SC.17.Pl.6.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
37
26 B
9

MAG 123

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



ɿinicus Fratta del. Joſeph de Benedictis in.

DE CULTU SANCTORUM
DISSERTATIONES DECEM,

Quibus acceſſit Appendix de Cruce.

A U C T O R E

D. JOANNE CHRYSOSTOMO
TROMBELLI BONONIENSI

Canonico Regulari Congregationis Rhenanæ, & Sanctiſſimi Salvatoris Bononiæ Abbate.


SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV

P. O. M. DICATÆ.

TOMI I. PARS PRIOR

Complectens Diſſertationes IV.



BONONIÆ, MDCCXL.

Ex Typographia Laurentii Martelli. *Superiorum Facultate.*

BEATISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

Sanctiſſimis ejus pedibus ob-volutus

Ampliſſimam, & perennem felicitatem precatur

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI.

E*Ditâ jam, BEATISSIME PATER, priori parte Diſſertationum illarum, quas de* Sanctorum Cultu *com-*

po-

poſueram, præloque ſubjectis reliquis, hærebam prorſus, atque anceps mecum ipſe reputabam, cui eædem diſſertationes dicandæ forent. Occurrebas Tu ſane in primis, quòd eum laborem a me ſuſcipi, evulgarique præceperas, ſæpe me cunctantem, ac pene renuentem verbis confirmans, atque exemplo tuo. At æquum eſſe ajebant alii, ut Romano Pontifici ea Scripta devoverem, quibus dogmata, ac ritus noſtri illuſtrarentur, atque ab Hæreticorum cavillis vindicarentur. Dum hæc recogito conſilii incertus, repente nunciatum eſt nobis, Te afflatu quodam divino, non vi ulla, aut ſtudio hominum, Romanum Pontificem fuiſſe electum: quo quidem nuncio cum incredibili gaudio omnes affecti ſint, tum

mihi illud etiam accidit jucundiſſimum, quòd dubitatio omnis ſublata eſt, Tibique uni inſcribendas eſſe novi lucubrationes quaſlibet meas: Tibi ſcilicet Auctori, ſtudiorumque meorum patrono, Tibi Eccleſiæ præſidi, magiſtro, ac duci, Tibi noſtrorum dogmatum aſſertori, ac vindici, Tibi denique errorum omnium profligatori: Cui quidem ſi minus illæ diſplicebunt, non modo apud Catholicos, verum etiam apud ipſos Eccleſiæ hoſtes non mediocrem auctoritatem fortaſſe obtinebunt. Cur enim id mihi ſperare non liceat, quando quidem novimus, Tè apud eoſdem Eccleſiæ hoſtes, dum noſtræ adhuc Civitati præeſſes, tantam excitaſſe tui nominis exiſtimationem, ut publicum obſequii erga te ſui extare voluerint

argumentum; quo nimirum palam fieret, ipſos Calvini, ac Bezæ ſectatores, qui Romanam Eccleſiam, & Epiſcopos magnopere odiſſe conſueverunt, tui eſſe admiratores, ac laudatores eximios. An non placuit Genevenſibus Bibliopolis, dum eos libros, quos Molina de Juſtitia & Jure *ſcripſerat,* (*) *edi cu-*

(*) Coloniæ Allobrogum anno 1733. hi libri editi ſunt, præpoſitis epiſtola, quam dedicatoriam appellant, & epigraphe hac, quam deſcribere operæ pretium reor.

Eminentiſſimo
ac Reverendiſſimo Principi
Proſpero
S. R. E. Cardinali
Lambertino,
Archiepiſcopo Bononienſi,
Generis nobilitate clariſſimo,
quem
Sacræ, publicæque rei adminiſtrandæ
Gratiæ, Muſæque omnes
Ita effinxerunt,
Ut in uno literarum elegantiam,
Prudentiæ maturitatem,
Et religionis cultum
ad ſæculi delicias
Collocaſſe videantur,
Novum hoc de Patria, gentreque ſua,
Et in eum obſequii
Publicum monumentum
Marcus -- Michael Bouſquet & Socii
D. D. D.

curarunt, eoſdem ſpectatiſſimo tuo nomine inſigniri? Quæ quidem res cum rara eſt, ac prorſus inaudita, tum vero apertiſſime oſtendit, ſapientiam, bonitatem, ac reliquas virtutes tuas in tenebricoſis etiam emicare regionibus: Quibus enim vero ut aliquando lux veritatis effulgeat, non deerunt, qui conentur: Aſt ego quoque ad id maxime adnitar, theologicas diſputationes, in quibus me pridem Scholæ exercuerunt, continenter evulgans. Videbunt in his ſane, ut arbitror, Adverſarii ipſi, quàm verax ſit Catholicorum doctrina, & quàm remotæ a reprehenſione conſuetudines eæ, quas vehementer damnant. Videbunt Patrum, videbunt Conciliorum, videbunt veteris Eccleſię auctoritate firmatas, atque

adeo erroris omnis, ac ſuperſtitionis expertes. Hanc videlicet (quod Tu, BEATISSIME PATER, probe noſti) laborum meorum mihi metam, finemque conſtitui: atque eò Te quidem ipſum ſpectare novi, quum crebris hortationibus tuis ad id muneris ſuſcipiendum excitabas. Utinam tua, BEATISSIME PATER, utinam mea deſideria, ac vota expleantur; explebuntur vero fortaſſe, ſi (quod a Deo O. M. etiam, atque etiam oro, atque obſecro) plurimis annis Eccleſiæ, Patriæque ornamento, atque incolumitati ſervaberis, omneſque intelligant, illum nobis præeſſe Pontificem, qui Veterum Præceſſorum ſuorum Veſtigiis inhærens, verbo pariter, & exemplo Chriſtianam Rempublicam moderatur.

CUM

CUM Reverendiſſimus P. D. Jo: Chryſoſtomus Trombelli Abbas S. Salvatoris Bononiæ, & S. Theologiæ Lector emeritus Diſſertationes decem de *Sanctorum Cultu* elaboraverit, ipſaſque Typis evulgare meditetur, committimus Reverendiſſimis PP. D. Joanni Alberto de Grandi Abbati S. Michaelis Candianæ, Ex generali, Indicis Conſultori, Sac. Theologiæ Doctori Collegiato, ac Lectori emerito; D. Andreæ Galli Abbati S. Cæciliæ Corbariæ, Indicis Conſultori, & S. Theologiæ Lectori emerito; ac D. Alphonſo Zabborra Abbati S. Antonii Viennen. Patavii in eadem univerſitate Sacræ Theologiæ Doctori Collegiato, nec non Lectori emerito, ut videant, & referant &c.

D. Celſus Miliavacca Abbas Generalis.

THeologicas Diſſertationes decem *de Sanctorum Cultu* a Reverendiſſimo P. D. Jo: Chryſoſtomo Trombelli Bononienſi Monaſterii SS. Servatoris Bononiæ Præſule, ac Sacræ Theologiæ Lectore emerito exaratas, jubente Reverendiſſimo P. D. Celſo Miliavacca noſtræ Congregationis Generali, ſedulo evolvi; neque in eis aliquid adverſus Orthodoxæ Fidei Dogmata, rectoſque mores deprehendi: immo quum ſingula ad SS. Scripturarum, ac divinæ, atque Apoſtolicæ traditionis normam ſint expreſſa; idcirco ut publici Juris fiant communi omnium utilitati, cenſeo.

Dabam ex Ædibus S. Michaelis de Candiana Prid. Non. Sextil. Anno reparatæ ſalutis 1740.

D. Jo: Albertus de Grandi Abbas Ex generalis Canonicorum Regularium Sanctiſſimi Servatoris, &c.

JUſſu Reverendiſſimi P. D. Celſi Miliavacca Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ Sanctiſſimi Salvatoris Abbatis Generalis *Diſſertationes decem de Cultu Sanctorum*, quas in publicam lucem editurus conſcripſit Reverendiſſimus P. D. Joannes Chryſoſtomus Trombelli ejuſdem Congregationis Canonicorum Regularium, & Sanctiſſimi Salvatoris Bononiæ Abbas, attente legi; & Authoris in vindicandis Eccleſiæ dogmatibus diligens ſtudium, in perſcrutandis Veterum Sententiis, ac ritibus impigrum laborem, in explicandis Theologicis, & Criticis controverſiis non mediocrem perſpicuitatem ſuſpexi. Nihil in illis adverti, quod aut expungendum, aut cenſura notandum judicaverim; Sed dignas eſſe cenſeo, quæ ab Eccleſiaſticæ Traditionis, & Doctrinæ ſtudioſis omnino probentur.

D. Antonius Andreas Galli ejuſdem Congregationis Canonicus Regularis, & Abbas &c.

UT Reverendiſſimi Patris D. Celſi Miliavacca noſtræ Congregationis Abbatis Generalis mandatis obſequerer, attente perlegi exhibitum mihi opus, cui titulus: *De cultu Sanctorum Diſſertationes decem*, *quibus acceſſit Appendix de Cruce*, Auctore D. Joanne Chryſoſtomo Trombelli Bononienſi: in quo nihil prorſus comperi, quod ſanæ, & Orthodoxæ doctrinæ non congrueret, verum vehementer admiratus ſum præſtantem Authoris in rebus Theologicis, in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & Patrum doctrina eruditionem, qui Adverſarios Heterodoxos, præclara methodo, optimis rationibus, firmiſſimiſque argumentis undequaque petitis refellit, ut in hoc rerum genere nihil amplius deſiderari poſſe videatur. Quapropter opus hoc digniſſimum cenſui, quod publici juris fiat.

Patavii die 6. Auguſti 1740.

D. Alphonſus Maria Zabborra S. Antonii Viennenſis Abbas &c.

Vi-

Vidit D. Aurelius Caſtanea Clericorum Regularium Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro Emo, & Rmo Dno, Domino Proſpero Laurentio Cardinali Lambertini Archiepiſcopo Bononiæ, ac S. Romani Imperii Principe.

Die 29. Februarii 1740.

Ad Ad. R. P. Lectorem Publicum Alexandrum Cialli, ut videat, & referat pro S. Officio.

MUltum quidem debeo P. V. Rmæ, quod mihi præbuerit occaſionem legendi librum inſcriptum de *Cultu Sanctorum*, quem publici juris facere optat Rmus P. D. Joannes Chryſoſtomus Trombelli Rhenanæ Congregationis Canonicus, ac SS. Salvatoris hujuſce Civitatis Abbas: Auctoris nomen mihi jam pridem acceptiſſimum ſatis illum illuſtrem reddidiſſet, niſi ſi materiæ ſoliditas, doctrinæ perſpicuitas, eruditionis varietas, ac profunditas ſuperabunde illuſtraret; quam ob rem cum in hoc, alioquin oculatiſſimo ſæculo, non deſint hæreticorum cæcitates, atque cavillationes, illis medendis, vel diſſolvendis opportunum, aptiſſimumque judico; hoc Chriſtianæ Theologiæ Tyrones, Eccleſiaſticæ eruditionis ſtudioſos plurimum profecturos exiſtimo, propterea quod nihil Romanæ Fidei, Sacris Scripturis, Sanctorum Patrum Traditioni, vel etiam Sacrorum Conciliorum, Tridentini potiſſimum, Sanctionibus adverſum contineat; illum itaque approbatione dignum exiſtimavi, exindeque imprimendum eſſe, ſi P. V. Rmæ videbitur, cenſeo. Dabam ex Monaſterio S. Joannis Baptiſtæ Monachorum O. S. B. Congregationis Cæleſtinorum VIII. Kal. Quinctilis An. MDCCXL.

D. Alexander Cialli S. Th. Lector, & Pub. in Bononienſi Archi-Gymnaſio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Profeſſor.

Stante hac atteſtatione

IMPRIMATUR.

F. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis S. Off. Bononiæ.

NOS

NOS D. CELSUS MILIAVACCA MEDIOLANENSIS

Abbas Generalis Canonicorum Regularium Congregationis SS. Salvatoris Ordinis Sancti Auguſtini.

Dilecto Nobis in Chriſto Reverendiſs. Patri D. Jo: Chryſoſtomo Trombelli, Lectori Emerito, & SS. Salvatoris Bononiæ Abbati Salutem in Domino.

PIas, ac Eruditas Canonicorum noſtrorum in Vinea Domini pro viribus laborantium Lucubrationes, libenter lucem aſpicere permittimus, cum ex illarum Evulgatione Dei gloriæ, Proximorum utilitati, & Religionis Decori incrementum acceſſurum fore ſperamus. Cum itaque Nobis ſignificaveris, elaboratas a Te fuiſſe latino idiomate Diſſertationes De Cultu Sanctorum, ſana doctrina, ſelectaque eruditione refertas (pro'ut Nobis ſua atteſtatione retulerunt tres Ordinis noſtri Theologi, quibus illas examinandi, & approbandi curam commiſimus) quas prælo ſubjicere deſideras, ſi ad id Noſter, quemadmodum ſupplex exoraveras, conconſenſus acceſſerit; Nos, ne Laborum tuorum fructus in tenebris deliteſcant, libenter precibus tuis annuentes, præmiſſis inhærendo, facultatem Diſſertationes præfatas typis evulgandi, quantum in Nobis eſt, tenore præſentium concedimus, & elargimur; quatenus ea omnia, quæ a Sacro Concilio Tridentino circa Librorum impreſſionem præſcribuntur, exactè, & integrè obſerves. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem has dedimus in noſtra Canonica S. Petri ad Vincula de Urbe XV. Kalendas Octobris MDCCXL.

D. Celſus Miliavacca Abbas Generalis &c.

Reg. Fol. 57.

Loco ✠ Sigilli

D. Cajetanus Fiorini Cancellarius.

IN

INDEX CAPITUM,

Quæ in hac priori primi tomi parte continentur, cum ſuis argumentis.

DISSERTATIO I.

CAPUT PRIMUM.

Traditur definitio cultus: tum celebratiſſima illa diviſio proponitur, quæ cultus Sacri, de quo tantummodo agimus, genera eſſe vult latriam, hyperduliam, & duliam, quorum quidem nominum varias ſignificationes aſſerimus, aptaſque rei noſtræ ſeligimus. pag. 9.

CAP. II.

Occurrimus Proteſtantium Oppoſitionibus. pag. 13.

CAP. III.

De Adorationis, ac Venerationis etymologia, natura, ac diviſione. Æquivocam eſſe non modo apud Hebræos, verum etiam apud Græcos, & Latinos adorationis, *& affinium nominum ſignificationem. Non raro tamen ad ſignificandum Deo adhibitum cultum ea nomina ſumi. Id veterum auctoritate comprobamus.* Venerationis *vocabulum accipi ſolere ad denotandum cultum Sanctis delatum: interdum tamen cultum Dei eo nomine exprimi.* pag. 16.

CAP. IV.

Summa Controverſiæ, quæ nos inter, & Proteſtantes agitur. pag. 26.

DIS-

DISSERTATIO II.

CAPUT I.

Enumerantur externi hoſtes cultus Sanctis adhibiti. Ii ſunt Gentiles, Mahometani, & Judæi, quorum nonnullas adverſus Sanctorum cultum criminationes, conatuſque ediſſerimus. pag. 32.

CAP. II.

Recenſentur ii, qui Chriſtianam fidem profeſſi Sanctorum cultui obſtiterunt, & hujus hæreſis Auctor inquiritur. pag. 35.

CAP. III.

Neque Baſilidem, neque eos Gnoſticos, quos cap. 20. libri 3. reprehendit Irenæus, neque Cainos, ſeu Cajanos, neque denique Manichæos omnes, a cultu Sanctis adhibendo abhorruiſſe, probabilibus argumentis evincimus. pag. 39.

CAP. IV.

De Euſtathio, cujus in Concilio Gangrenſi damnantur errores, quique omnium primus Sanctorum cultum improbaſſe putatur, differitur: & duo de eo quæruntur, quiſnam ille fuerit, & num revera omnium primus adhibitam Sanctis venerationem expreſſe oppugnaverit. pag. 42.

CAP. V.

Exponitur quid de Eunomio, & Arianis, quid de Joviniano, quid denique de Vigilantio ſentiamus. pag. 52.

CAP. VI.

Recenſentur ii, qui Sanctorum cultum poſt Vigilantium ad noſtra uſque tempora oppugnaverunt. pag. 55

DIS-

DISSERTATIO III.

CAPUT I.

Summa diſputationis capita. pag. 68.

CAP. II.

Generali quodam argumento ab auctoritate Eccleſiæ deſumpto oſtenditur, Cælites omnes, ideſt tam Angelos, quàm Sanctos mortali vita functos precibus, atque ope ſua nos adjuvare. pag. 68.

CAP. III.

Quantum ad tuendam Catholicam perſuaſionem proſit illius vetuſtatem oſtendere: tum ad quæſtionem ipſam deſcendimus, & adducimus teſtimonia, ex quibus conſtet, putaſſe Hebræos etiam ante Chriſtum, Sanctos vita functos ſua nobis apud Deum ſuffragatione, & precibus opem ferre. pag. 71.

CAP. IV.

Expenduntur eæ ſolutiones, quibus hactenus dicta infirmare contendunt adverſarii. pag. 74.

CAP. V.

Enumerantur ea argumenta, quibus oſtenditur putaſſe Hebræos ab Angelis curam noſtri agi, multaque beneficia ſuis precibus a Deo nobis impetrari. pag. 79.

CAP. VI.

Exponuntur explicationes, quibus allegata nuper teſtimonia evitare ſe poſſe contendunt Heterodoxi, eæque refelluntur. pag. 81.

CAP. VII.

De eadem Angelorum apud Deum interceſſione perſuaſos fuiſſe Chri-

Chriſtianos ex iiſdem Veteris teſtamenti locis oſtendimus: quibus etiam alia tum ex novo Teſtamento, tum ex Sanctorum Patrum libris deſumpta teſtimonia adjungimus. pag. 84.

CAP. VIII.

Iis occurrimus, quæ in propoſitam ſuperiore capite Sententiam a Proteſtantibus objici conſuevere. pag. 87.

CAP. IX.

Apud Chriſtianos invaluiſſe de Sanctorum apud Deum interceſſione ſententiam. Id primo inſinuatur argumento deſumpto ex interceſſione Angelorum, tum peculiariter ex Scripturis evincitur. pag. 91.

CAP. X.

Quædam Proteſtantium cavillationes proponuntur. pag. 94.

CAP. XI.

Brevi expedita prima objectione, quæ paritatem ab Angelorum interceſſione deductam impetit, alioque delata ſolutione potiſſimæ difficultatis, illius ſcilicet, quæ a Chriſti mediatione petitur, commodius deinceps pertractandæ, repelluntur reliqua, quæ Capite ſuperiori objecta ſunt. pag. 96.

CAP. XII.

Patres, aliaque Eccleſiaſtica monumenta allegamus, a vetuſtioribus incipientes, & poſt deſumptum ex quadam D. Ambroſii, ſeu ſi vis, alterius, quiſquis eſt, Ambroſii nomine vulgata Epiſtola teſtimonium, illudque expenſum, Acta S. Ignatii, & Polycarpi, Irenæum quoque producimus, & ab adverſariorum cavillis vindicamus. pag. 99.

CAP. XIII.

Proferuntur ad id ipſum comprobandum Acta Martyrum Scillitanorum, Origenes, Euſebius, & Acta Maximi Marty-

tyris *pag.* 104.

CAP. XIV.

Idem argumentum proſequimur, oſtendimuſque ſubſequentium etiam Patrum auctoritate, ac teſtimonio putaſſe fideles tum primis ipſis Eccleſiæ ſæculis, tum etiam poſteriori-bus, Sanctorum vita functorum ope, ac precibus nos ad-juvari. Producimus Cyprianum, Acta S. Theodori, Prudentium, Opera quædam Athanaſio olim adſcripta, Hilarium, & Baſilium, quorum quidem monita adver-ſus acutulas quaſdam adverſariorum ſolutiones ſuſtine-mus. *pag.* 107.

CAP. XV.

Gregorium Nazianzenum, Gregorium alterum, Niſſenum nempe, Ephrem Syrum, Ambroſium ſanctiſſimum, do-ctiſſimumque Mediolanenſem Epiſcopum allegamus, illu-ſtramuſque. *pag.* 112.

CAP. XVI.

Sanctorum patrocinio defendi, juvarique nos, Hieronymi, cujus teſtimonia ſe eludere poſſe temere confidunt adver-ſarii, Gaudentii, & Chryſoſtomi auctoritate proba-mus. *pag.* 117.

CAP. XVII.

Ab Auguſtino exorſi, alios plurimos afferimus Patres eidem dogmati faventes. Horum enumerationem ad Leonem Ma-gnum uſque producimus. *pag.* 121.

CAP. XVIII.

Ad idem dogma confirmandum primo quidem ſeptem Leonis Magni loca adducimus; tum Valerianum, alioſque Pa-tres allegamus, quorum ſeriem Alexandri III. teſtimonio concludimus. *pag.* 126.

CAP. XIX.

Ad id ipſum comprobandum alia duo adducuntur argumenta,

quorum primum e viventium precibus, alterum ex communione Sanctorum, de qua in Apoſtolorum Symbolo mentio fit, deſumitur. Ac primo quidem expenditur primum. pag. 133.

CAP. XX.

Expenditur Argumentum alterum, illud nempe, quod Sanctorum communio nobis præbet. pag. 137.

CAP. XXI.

Proponitur, refelliturque generalis quædam ſolutio, quam omnibus Patrum teſtimoniis adhibent. Minime erraſſe eos, quos allegavimus Patres, quos quidem ex tribus prioribus ſæculis proferre neceſſe non eſt, cum ii ſummam etiam habeant auctoritatem, qui poſt vixerunt, pietate, & eruditione clariſſimi. pag. 141.

CAP. XXII.

Auctoritate, & exemplis ea, quæ ſuperiori Capite diximus, comprobamus. pag. 146.

CAP. XXIII.

Diſſolvuntur ea, quibus nituntur oſtendere, Patres minime conſtantes fuiſſe in aſſeverando Cælitum erga nos patrocinio, ideoque diſſolvuntur ea, quæ a Sanctorum Patrum auctoritate adverſus nos urgent. pag. 150.

CAP. XXIV.

Refutatio tertiæ ſolutionis, Patrum teſtimoniis adhibitæ. Non admodum multas fuiſſe a Patribus ex tempore effuſas homilias, orationeſque: pleraſque ſane procul dubio extemporales dici non poſſe. Fuiſſe quidem aliquas ſive ex parte, ſive etiam prorſus extemporales: quarum exempla afferimus: id tamen haud multum uſitatum fuiſſe. pag. 155.

CAP. XXV.

Etiam ſi prorſus extemporales forent Patrum, quos produximus, Orationes, aptiſſimas eſſe tamen ad Eccleſiæ ritus,

tus, & dogmata comprobanda. pag. 163.

CAP. XXVI.

Diluuntur argumenta ex Theologica ratione deſumpta, ac primo quidem ex eo, quod Sanctorum ſuffragatio, atque adjumentum Deo, & Chriſto ſint injurioſa: Cujus rei occaſione quæritur, num mediatores, patroni, & advocati noſtri appellari poſſint Sancti. pag. 168.

CAP. XXVII.

Depulſio cavillationum, & argumentorum, quibus Sanctorum interceſſionem ex eo oppugnant, quod impoſſibilis judicetur. pag. 178.

CAP. XXVIII.

Occaſione deſumpta ex eo objectionum genere, quod inexplicabilem eſſe contendit modum, quo nos poſt mortem adjuvent Sancti, eumdem modum explicare incipimus, & ſtatim quærimus, a quonam accipiamus beneficia, quæ a Sanctis poſcimus. pag. 185.

CAP. XXIX.

Proponimus, ſolvimuſque quæſtionis partem alteram, id eſt per quem Sancti impetrent: an ſcilicet ipſi per ſe, an alterius ope, & interventu. Ea argumenta recenſemus, quibus permoti nonnulli putant, Sanctos a Patre ipſo immediate, interdum ſaltem petere; tum alia, ob quæ plerique arbitrantur, eos a Chriſto Patrem deprecante expoſcere, & impetrare. pag. 190.

CAP. XXX.

Oſtenditur Sanctos ferendæ nobis opis cupidos aliorum etiam Sanctorum ſuffragia, & adjumenta non recuſare. pag. 198.

CAP. XXXI.

Num pro nobis impetrent Sancti non modo precibus apud Deum fuſis, verum etiam objectu meritorum Chriſti, & ſuorum. pag. 200.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. XXXII.

Proponuntur primo, tum diſſolvuntur ea argumenta, quibus probare contendunt, temere inductam eſſe eam perſuaſionem, quæ ſtatuit, Sanctos vita functos ſuis apud Deum precibus, ac ſuffragatione nos adjuvare. pag. 101.

CAP. XXXIII.

Expenditur poſtremum argumentorum genus, quod a precum pro nobis fuſarum a Sanctis, eorumque interceſſionis apud Deum adhibitæ inutilitate deſumitur. pag. 208.

CAP. XXXIV.

Oſtenditur, non modo pro tota Eccleſia, ſed pro peculiaribus etiam perſonis, & indigentiis orare, & a Deo beneficia ſuis precibus impetrare Sanctos. pag. 210.

CAP. XXXV.

Recenſentur ea argumenta, quibus ſententiam ſuperiori Capite propoſitam oppugnant: Sanctos ſcilicet ajunt univerſæ tantum Eccleſiæ, non ſingillatim nobis opem ſuis precibus ferre, ſi ferunt. pag. 212.

CAP. XXXVI.

Primo argumentorum capiti occurrimus, oſtendimuſque, revera a Beatis noſtra conſpici. pag. 216.

CAP. XXXVII.

Diſſolvimus ea, quæ adverſus perſuaſionem ſuperiori capite propugnatam allata ſunt. pag. 219.

CAP. XXXVIII.

Explicantur probabiles modi, quibus res noſtras Sancti noſſe facile poſſunt. Denique oſtenditur, neceſſe non habere Sanctos ad ſuffragationem, atque opem ferendam nobis, ut certe noſcant res quaslibet noſtras. pag. 225.

Eas

CAP. XXXIX.

Eas probationes ex Scriptura deſumptas, quas ad aſſeverandam Sanctorum de rebus noſtris ſcientiam Catholici afferre conſueverunt, ab acutulis quibuſdam Proteſtantium interpretationibus vindicamus. pag. 229.

CAP. XL.

Diſſolvuntur ea, quæ ad infirmandam perſuaſionem Catholicorum arbitrantium, ſingillatim Sanctorum precibus, atque ope adjuvari nos poſſe, ab experientia, & a Theologica ratione deſumpſerunt. pag. 230.

CAP. XLI.

Refertur, atque expenditur id, quod de Fructuoſo narrat Auguſtinus: oſtenditurque, Catholicorum ſententiæ minime adverſari ea, quæ referuntur ab eodem Auguſtino, Fructuoſi verba. Denique indicatur locus, ubi ea diluimus, quæ ex tertio capite repetunt. pag. 232.

CAP. XLII.

Attinguntur ſumma capita perſuaſionis illius, quæ apud Catholicos jam dudum invaluit: ideſt Sanctos a Deo etiam expoſcere, nobiſque impetrare temporalia quædam beneficia. Vindicatur quoque ab objectis eadem perſuaſio. pag. 235.

DISSERTATIO IV.

CAPUT I.

Poſt brevem præfationem indicantur loca, quibus alibi uberrime oſtendetur, ſanctis viris vita functis ab Hebræis venerationem fuiſſe adhibitam. Hic autem paucis oſtenditur, Angelos ab iiſdem Hebræis fuiſſe cultos. pag. 240.

CAP. II.

Ab objectionibus vindicatur noſtra perſuaſio. pag. 242.

CAP. III.

Veterum teſtimoniis valde probabilibus evincitur, laudatiſſimum eorum eſſe perſuaſionem, qui putant, Angelis cultum aliquem ſacrum, ſed quem longe divinus cultus præſtaret, a primis uſque Chriſtianis fuiſſe adhibitum. pag. 245.

CAP. IV.

Juſtini, & Theodoreti loca ab adverſariorum cavillationibus defenduntur. pag. 247.

CAP. V.

Poſitiva argumenta contra propoſitam aſſertionem recenſentur, atque hic quidem ea proponuntur Scripturarum, & Patrum teſtimonia, quibus Deo tantum cultum, obſequium, honoremque deferre jubemur. pag. 253.

CAP. VI.

Eadem argumenta refelluntur, ac primo quidem explicantur, illuſtranturque ea teſtimonia, quæ Deum tantummodo coli poſſe aſſeverant. pag. 256.

CAP. VII.

Recenſemus ea Scripturarum, & Patrum loca, in quibus ad-

adverſariorum quidem ſententia expreſſe Angelis cultus demitur. pag. 262.

CAP. VIII.

Expenduntur priora loca ſuperiori capite objecta, ideoque verſic. 2. capitis XVII. *Deuteronom. & verſic.* 18. *capitis ſecundi epiſtolæ ad Coloſſ.* pag. 264.

CAP. IX.

Illuſtratur Canon quintus & trigeſimus Synodi Laodicenæ. Explicantur quoque objecta ex Theodoreto, & Origene loca. pag. 269.

CAP. X.

Solvitur argumentum, quod ex Apocalypſi in nos intorſerunt. pag. 272.

CAP. XI.

Valde probabilibus argumentis oſtenditur, a primis uſque Eccleſiæ temporibus conſueviſſe Chriſtianos Sanctis vita functis cultum adhibere. pag. 275.

CAP. XII.

Recenſentur ea argumenta, quibus antiquitatem cultus Sanctis adhibiti oppugnant. pag. 277.

CAP. XIII.

Diluere incipimus argumenta capite ſuperiori propoſita, & nunc quidem explicantur loca objecta ex Scriptura, ideoque duo illa, quæ ex Actibus Apoſtolorum deſumuntur. pag. 281.

CAP. XIV.

Ea diſſolvuntur, quæ ex Actis S. Polycarpi, ex Hieronymo, Epiphanio, Auguſtino, Fulgentio, & Leone Magno attulerunt. pag. 282.

Il-

CAP. XV.

Illuſtrantur, explicanturque eæ Patrum ſententiæ, in quibus docemur, Sanctorum cultum in eorum imitatione; poſitum eſſe. pag. 284.

CAP. XVI.

Ea quoque Patrum loca illuſtrantur, in quibus traditur, adhibendum Sanctis cultum in dilectione quadam ſitum eſſe. pag. 288.

CAP. XVII.

Expenduntur ea Patrum loca, in quibus ſervi, & conſervi noſtri dicuntur Sancti: eorumque confutatur opinio, qui ex iiſdem locis eruunt, Sanctos a nobis coli non poſſe. pag. 291.

CAP. XVIII.

Oſtenditur, haud opportunam eorum eſſe evaſionem, qui faſſi, in Patrum libris reperiri certa argumenta cultus adhibiti Sanctis, relativum tantummodo eundem eſſe ajunt, Deo ſcilicet delatum in Sanctis, veluti in inſtrumentis, & miniſtris. Indicantur etiam loca, in quibus poſtremo loco objectis difficultatibus fiat ſatis. pag. 294.

CAP. XIX.

Ea proferuntur argumenta, quibus pium, Deoque acceptum probatur eſſe cultum Sanctis adhibitum. pag. 296.

CAP. XX.

Afferuntur quædam adverſariorum argumenta, quibus a pietate alienum comprobare ſtudent cultum Sanctis adhibitum, iiſque occurrimus. pag. 299.

CAP. XXI.

Reliquas adverſariorum objectiones, quibus pietatem in Sanctorum cultu ſitam oppugnant, afferimus. pag. 304.

Pri-

C A P. XXII.

Primas diſsolvimus ſuperioris Capitis oppoſitiones, & oſtendimus, appellari rectiſſime poſſe religioſum eum cultum, qui Sanctis adhibetur. pag. 306.

C A P. XXIII.

Expenduntur ea, quæ ex communibus Deo, & Sanctis delati cultus argumentis objiciunt, amoventurque ſi qui ea in re extant ſcrupuli. pag. 309.

C A P. XXIV.

Diſſolvuntur ea, quæ ex ſuperſtitione in Sanctorum cultum facile irrepente, atque ex ejuſdem ſuperſtitionis periculo deducunt. pag. 313.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Miraberis fortaſſe amice Lector, quod ego, qui duodeviginti annos ipſos in ſeverioribus diſciplinis tradendis impendens, nullum aut Philoſophicum, aut Theologicum librum edidi, dum multos interea, aut ex Latina, aut ex Gallica lingua converſos, quin & verſiculos quoſdam, & luſus meos facile evulgarem, nunc ſubito a litteris ad alios regendos accitus, tale opus in publicum proponam, quo Theologus exteris etiam appaream. At ſi quis ad rationem conſilii mei adverterit animum, non admodum, ut arbitror, mirabitur, quod ad hæc tempora diſtulerim, quæ ut protinus in lucem emitterem, viri etiam optimi cupiebant. Norunt omnes quot interdum graves, & ab inſtituto meo, & litteris alieniſſimas curas ſubire coactus ſum, quibus dum vaco, Theologicas exercitationes intermittere compellor. Quum vero faventibus Superis ab iis aliquando emerſi, repetiique antiqua ſtudia, adeo me in iis occupatum ſenſi, ut dum cuncta exſequi de meo volo, & ſedulo in iis exercere diſcipulos, eo caruerim otio, quo fruantur neceſſe eſt ii, qui ſuas lucubrationes litteratorum judicio probandas perpolire optant, atque exornare. Sed non propterea tam impeditus ab his, aut a mala valetudine, qua ſæpe opprimor, fui, ut lucubrationes quaſcumque meas omnino negligerem. Immo quoniam Theologicum aliquid coram prodire jubebant ii, quorum auctoritati niſi paruiſſem, maximam in me concitaſſem invidiam, atque offenſionem, diu perquiſivi quidnam tandem excerpere debuiſſem, quo multorum voluntati ſatisfacerem. Atqui ea, quæ adoleſcens compoſueram, minime nunc approbo; etſi enim igneum quodpiam, vividumque in iis eluceat, juvenilia ſunt tamen, multaque lima indigent, ut perficiantur. Ea vero Scriptorum meorum pars, in qua mihi utique non prorſus diſpliceo, eas quæſtiones, diſputationeſque complectitur, quas præſens hominum ingenium averſatur: putant nempe in iis plus acuminis, quàm emolumenti ineſſe. Selegi itaque partem eam, in qua de Sanctorum cultu agitur: ætatis quippe noſtræ deſiderio, ac conſuetudini viſa eſt ea tractatio accomodata. Plurimum ſcilicet dogmatis, plurimum etiam hiſtoriæ,

atque eruditionis comprehendit, ideoque res illas, quæ adeo nunc amantur, ut cetera ſtudia nullo fere in honore ſint. Tanto vero lubentius eam ſelegi, quanto certius in ſpem deveni fore ut illam non modo Catholici, verum etiam ii legerent, nec improbarent, quos baptiſmalibus aquis ablutos aliquando Eccleſia recepit in filios, haberetque nunc etiam, niſi quorumdam, quibus ipſi ſe regendos commiſere, error neſcio quis, aut potius malus dolus ab ejuſdem Eccleſiæ ſinu, complexuque averteret. Adverſus hos ſane ita Catholicorum partes Sanctos coli, invocarique, eorumque reliquias, atque imagines in honore haberi volentium tueor, ac defendo, ut modeſte, ac liberaliter cum iis agam, ab aculeis, ac dicteriis omnino abſtinens; in quibus ſi ſcribentis ingenium, ac quidam mentis vigor, ac vis elucet, cavenda ſunt tamen, in his præſertim concertationibus: quippe plerumque exacerbant, firmantque in ſimultatibus, & odiis eos, quorum tam etſi bona cauſa non eſt, bonum tamen, ſæpe etiam fervens ingenium eſt, & ad cavillationes, atque ad maledicta promptiſſimum. Eum enim vero ſervavi morem, quem Auguſtinus cum Donatiſtis, & Pelagianis tum in Eccleſiam ſævire incipientibus ſervari volebat, ut ſcilicet veritate humanitati conjuncta ad Eccleſiam deducerentur. (1) Porro dum eas lucubrationes retracto, emen-

(1) *Nos tamen, fratres, patientes circa illos* (Donatiſtas) *ſimus. In fervore ſunt, & tumore oculi, quos curamus. Non dico ut curare ceſſemus, ſed ut non inſultationibus ad majores amaritudines provocemus; rationem leniter reddamus, non de victoria ſuperbe exultemus: Servum enim Domini litigare non oportet Apoſtolus dicit, ſed mitem eſſe ad omnes, docibilem, patientem, in modeſtia corripientem diverſa ſentientes: ne forte det illis Deus pœnitentiam, & reſipiſcant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ſecundum ipſius voluntatem. Patienter ergo ferte: ſi ſani eſtis &c.* (Auguſtinus n. 15. ideſt poſtremo Sermonis olim XXII. *de Verbis Apoſtoli*, nunc in ſerie 164.) *Impetremus ergo ſi poſſumus a fratribus noſtris* (Pelagianis) *ne nos inſuper appellent hæreticos, quod eos talia diſputantes nos appellare forſitan ſi velimus poſſimus, nec tamen appellamus. Suſtineat eos mater piis viſceribus ſanandos: portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium eſt, quo progrediuntur; multum eſt, vix ferendum eſt; magna patientia adhuc ferri. Non abutantur hac patientia Eccleſiæ, corrigantur, bonum eſt. Ut amici exhortamur, non ut inimici litigamus. Detrahunt nobis ferimus . . . . . . habete ad illos, qui noſtis illos, habete cum illis amice, fraterne, placide, amanter, dolenter; quidquid poteſt faciat pietas; quia poſtea diligenda non erit impietas.* Auguſtinus n. 20. id eſt poſtremo Sermonis olim XIV. *de Verbis Apoſtoli*; in nova ſerie 294.

emendoque, ſtudeoque ſtylo facili, ſed neque incompto, nec rudi ita propoſitum argumentum perſequi, ut nihil prætermittam eorum, quæ ad id utilia eſſe cenſeo, tot menſes abeunt, ut dum demum extremam manum Operi admoveam, quum a ſchola ad honorificentiſſimam provinciam repente avocor. Caſu itaque, & fortuito factum eſt, ut tum paratum ad edendum haberem librum, quum Theologicas diſciplinas alios docere deſii. Ceterum jam pridem de eo edendo cogitaram, nec levem ob id inſumpſeram operam. Sed de tempore, quo librum edo, jam ſatis egi. Ut ad librum ipſum revertar; collegi profecto in eo (quod nuper dixi) quidquid ad propoſitum meum conducere putavi; niſi ſi ea exceperis, quæ quatuor amplis voluminibus ediſſeruit Vir dignitate, ac meritis Eminentiſſimus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ac noſter Antiſtes, quem honoris cauſa nomino, Proſper Lambertinus: viderer enim præclariſſimi Scriptoris gloriæ invidere, ſi eas diſputationes recuderem, in quibus ipſe ſumma cum laude ſe exercuit. Tu ſtudiis meis utere Amice Lector, Deumique, cujus honori vertitur adhibitus Sanctis cultus, enixe deprecare, ut adjuvantibus Sanctorum precibus, eorum præmiis, ac beatitudine perfruar.

PRÆFATIO
AD AUDITORES.

Varias Dæmonis artes, conatuſque noviſtis Optimi adoleſcentes. (1) Ejici ſe a Mundo per Chriſti mortem ægerrime paſſus, (2) vires expertus eſt ſuas; quidve poſſet in Deum, qui ſe mundi principatu exſuerat, eventu voluit comprobare. Continuo Deum ipſum aggreditur, illique unitatem, ſummam excellentiam, mundique Creationem adimere nititur. Profecto unitatem, atque excellentiam ſummam Deo abſtulere ii, quos refellit libro ſecundo, (*a*) vetuſtus, ac diligens ſcriptor Iræneus. Creationem vero Simon Magus, & Menander (*b*) Saturninus quoque, & Baſilides: (*c*) Quin & Carpo-

(*a*) Capite primo.
(*b*) Vide Iræn. cap. olim xx. in nova editione xxiii. n. 2. Iterum cap. olim xxi. in nova editione xxiii. n. 5.
(*c*) Capite ſubſequenti n. 3. & 4.

(1) Dæmonem auctorem idololatriæ, & hæreſeon facere ex Auguſtino didicimus. Nempe hic Cap. 8. alias num. 10. libri illius, quem inſcripſit *de utilitate jejunii*: *Hoſtem quippe* (inquit) *quem patimur*, illi (Pagani) *non patiuntur; illos, & non iſta agentes ipſe poſſidet. Videt eos adoratores falſorum deorum, videt eos ſervos, & ſervos dæmoniorum: quid illi lucri eſt quia litigant, aut quid damni eſt quia non litigant? Et unum quamvis falſum & vanum ſentientes, ſibique conſentientes, ſic eos poſſidet. At vero cum deſereretur, & multi ad unum Deum concurrerent, ejus ſacrilega Sacramenta deſererent, templa everterent, idola frangerent, Sacrificia prohiberent, vidit ſe perdidiſſe quos tenebat, vidit a ſua familia receſſiſſe, verum Deum cognoviſſe: quid faceret? Quomodo inſidiaretur? Concordes nos ſcit quod poſſidere non poſſit, unum Deum nobis dividere non poteſt, falſos deos nobis ſupponere non poteſt. Sentit eſſe vitam noſtram caritatem, mortem noſtram diſſenſionem; lites immiſit inter Chriſtianos; quia multos deos non potuit fabricare Chriſtianis; ſectas multiplicavit, errores ſeminavit, hæreſes inſtituit.* Cum Auguſtino, quod ad hæreſes ſaltem attinet, conſenſit Leo Magnus, dum Sermone 7. de nativitate hæc eloquitur. *Non enim deſinit Hoſtis antiquus transfigurans ſe in Angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, & ut quoquo modo fidem credentium corrumpat, inſtare.*

(2) *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* Joannis xii. 31.

pocrates, (*d*) & Cerinthus, (*e*) aliique horum ſimiles, quos prima Chriſtianæ Religionis ætas hæreticos per ſummum horrorem vidit, & condemnavit. Irritos ut ſenſit primos impetus; Trinitatem adortus eſt, Praxea ut probabilis fert opinio, auctore, aut certe ſtultiſſimę hæreſis propagatore. (*f*). Hæc fruſtra conatus, Verbum Patris impetit, illique Ario Duce (*g*) eripere cupit divinitatem. Hac perſiſtente, in Spiritum Sanctum erumpit, & eum Macedonio anteceſſore, creatis rebus annumerat. (*h*) Quum vero ſpe illuſum ſe vidit, neque Chriſtum, quod modis pluribus pertentavit, diſſolvere potuit (*i*) ſæviit in Mariam, illique adimere ſtuduit Virginitatem, (*k*) Matris Dei præſtantiam, (*l*) & reliquas egregias dotes. Quod ubi minimè conſecutus eſt, tum demum alio ſe convertit, & in Cælites, quos perperam inſecuti fuerant Eunomius, & Vigilantius, furorem exercuit ſuum, ac per honeſtiſſimam pietatis, & religionis ſpeciem, adhibitam illis venerationem tollere, ac penitus delere contendit. Metuens porro ne ſi linguas tantum in eos acueret, facile reprimeretur, gladios adhibuit, quos Leo Iſauricus, aliique Principes, qui illum perinde in imperio, atque in impietate ſubſecuti ſunt, in Catholicos diſtrinxerunt. At Catholici omnino in avita perſuaſione perſtitere; plerique vero eorum ipſorum, qui Leonis, & Conſtantini impiæ Synodo adhæſerant, poſt breve tempus ab errore, cui ob metum furentium Principum aſſentiri viſi fuerant, reſipuere, & laudabiles traditiones confirmatæ ſunt. Ne fruſtra tamen & fraudes compoſuiſſe, & minas ſuas jactaſſe putaretur, quoniam novos errores cudere non poterat, haud ita multis ab hinc ſæculis veteres inſtauravit, atque in primis odium in cultum Sanctorum. Quoniam ergo nos veritatem Catholicam in dogmatis aliis, & expoſuimus, & defendimus, hic quoque eamdem, & exponere, & tueri noſtras partes eſſe arbitramur. In Vigilantium itaque, atque in Eunomium, in Leonem Iſauricum, & veteres horum ſimiles, in eos quoque, qui ſe Proteſtantes, aut Reformatores, ſeu Reformatos appellarunt, potiſſimum ſcribimus: at ea lege, ut neque prætereamus quæ ad hiſtoriam ſpectant, neque eas Controverſias intactas relinquamus, quæ inter Catholicos inſtituuntur. Ut vero, quod hactenus conſuevimus, articulatim, ac diſtincte rem uberrimam pertractemus, in decem Diſſertationes eam partiemur. Harum prima cultus definitionem, & diviſionem ſtatim ediſſeret, tum controver-

ſiæ

(*d*) Vide cap. xxv. novę edition. xxiv. antiquæ.

(*e*) Vide cap. xxvi. novę editionis, antiquæ vero xxv.

(*f*) Vide Tertullianum in libro *contra Praxeam*, & *de Præſcriptionibus capite poſtremo* (ſi tamen Tertulliano poſtremum hujuſce libri caput tribuis.)

(*g*) Conſule quæ alibi fuſe attulimus in hanc rem.

(*h*) Vide quæ de Macedonio ex Rufino, Epiphanio, Auguſtino, Nazianzeno, aliisque priſcis Scriptoribus edocet Tillemontius to. 6. pag. 412. & ſubſequen. editionis Venetæ.

(*i*) Vide Petavium de Incarnat. lib. 1. cap. 6. & 7.

(*k*) Vide Petav. de Incarnat. lib. 14. cap. 3.

(*l*) Ibidem lib. 1. cap. 7. 9. & 12.

ſiæ ſummam, quæ nos inter, & Proteſtantes hac de re agitur. Secunda ejuſdem venerationis hoſtes recenſebit. Quoniam vero cultus adhibitus Sanctis, tum aliis quidem arugmentis, tum certe ea innititur perſuaſione, quæ cenſet nobis opem, præſidiumque ferre Cælites, de ope ac præſidio nobis a Sanctis collato, ideoque de eorum interceſſione agemus. Id tertiæ Diſſertationis erit munus. In quarta de cultus Sanctis adhibiti antiquitate, & præſtantia diſſeremus, eumque antiquiſſimum, pium, & nobis utilem eſſe oſtendemus. In quinta de Invocatione dicemus, & precibus, quibus Sanctorum ſuffragia expoſcimus. In ſexta enumerabimus, vindicabimuſque reliquos modos, quibus eoſdem Sanctos colere conſuevimus. Poſtremas quatuor aſſignabimus iis, quæ Sanctorum cauſa veneramur, eorum nempe reliquiis, & Imaginibus. Tractatui terminum imponet utiliſſima quædam appendix, in qua de Dominica Cruce, illiuſque Imaginibus diſputabimus. His fortaſſe accedet auctarii loco deſcriptio præcipuarum virtutum, meritorum, ac privilegiorum Mariæ Virginis, ac Sanctorum illorum, qui illi carnis affinitate, ac cognatione propiores fuere.

DISSERTATIO I.

Traditur primum definitio, ac diviſio cultus, tum proponitur ſumma controverſiæ, quæ nos inter, & Proteſtantes agitur.

CAPUT I.

Traditur definitio cultus: tum celebratiſſima illa diviſio proponitur, quæ cultus Sacri, de quo tantummodo agimus, genera eſſe vult latriam, hyperduliam, & duliam, quorum quidem nominum varias ſignificationes afferimus, aptaſque rei noſtræ ſeligimus.

I. SI omnis, *quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur,* (1) noſtrum officium ac munus erit ſtatim definire, quid ſit cultus. Porro tametſi Grammatici vocabulum *Cultus* ad varias, eaſque valde diſſitas, & a noſtro propoſito remotiſſimas ſignificationes deducant, Theologi tamen, dum eam vocem adhibent, non aliud intelligere videntur, niſi confeſſionem quamdam, &, ut fere appellant, proteſtationem excellentiæ rei alicujus, quam animo agnoſcimus, & honoramus, tum etiam, ſi opus ſit, externis quibuſdam ſignis ad id inſtitutis palam exhibemus. Quod ſi excellentia illa ſita ſit in ſupremo dominio, quod habeat in res omnes illud, quidquid eſt, quod colimus, tum cultus divinus illi defertur, eumque qui creaturę adhibet, contra rectam rationem peccat, ac Deum offendit, cum id

(1) Cicero lib. primo de Officiis num. 2.

id Creaturæ deferat, quod Deo tantum deferri debet. Si vero minor illa ſit, ex præſtantia Creaturæ illius, atque excellentia quam colimus, & genus, & gradus, ut ita appellem, aliaque plurima deſumet cultus. Hinc cultum in tot & genera, & gradus dividere poſſumus, quot ſunt genera, & gradus excellentiarum, quas agnoſcimus, & honoramus: Hinc mirum non eſt, ſi vocabulum hoc *cultus* perinde uſurpetur ad ſignificandum ſummum illud obſequium, quod Deo debemus, atque illud multo minus, quod Principes etiam merito expoſcunt. Id ſane agnovit Tertullianus, dum hæc ait. (*a*) *Nos unum Deum colimus, quem omnes naturaliter noſtis, ad cujus fulgura, & tonitrua contremiſcitis, ad cujus beneficia gaudetis*. Mox non veretur dicere *coli a Chriſtianis Imperatores. Colimus ergo* (inquit ille) *& Imperatorem ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quidquid eſt, a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem*. Sed nos, qui ad Sacram excellentiam ſermonem contraximus, omiſſis reliquis, de quibus alii plurimi agunt, de illa tantummodo confeſſione, ac proteſtatione loquimur, qua Sacram excellentiam agnoſcimus, & honoramus.

(*a*) Capite 2. libri *ad Scapulam*.

II. Porro tria Sacri honoris ſuprema genera Catholici recenſere, eaque Græcis vocabulis exprimere conſueverunt: nempe *Latriæ*, *Duliæ*, *Hyperduliæ*. Latriæ nomine eum Sacrum honorem ſignificari ajunt, qui Deo defertur: quippe hoc nomine denotari volunt ſummam illam ſervitutem, quam ob Creationem, conſervationem, & reliquos affines titulos Deo debemus. Hinc quamquam Græca ipſa vox ſervitutem quamlibet denotare videatur, Eccleſiaſtica tamen conſuetudine ad genus illud ſervitutis ſignificandum coarctata eſt, qua ſolo Deo ſervire debemus; Neque vero temere coarctata eſt: Evangelica quippe præit auctoritas. Chriſtus ſcilicet (*b*) citans verba illa (*c*) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, inducitur utens voce latreuſis: illi ſoli adhibebis *Latriam*. Porro ſimillimum veri eſt ab hoc Græco Evangelii loco permotos fuiſſe Doctores noſtros, ut Latriæ vocabulo tum uterentur, quum exprimere vellent ſummum illud, atque humillimum, obſequium, venerationem, ac ſervitutem, quam Deo præſtamus. En vadem dictorum Auguſtinum, qui (*d*) ſic loquitur. *Hic eſt enim divinitati, vel ſi expreſſius dicendum eſt, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo ſignificandum, quoniam*

(*b*) Matth. 4. v. 10.
(*c*) Deuteron. 6. v. 13.
(*d*) Lib. x. de Civ. cap. 1. num. 2.

mihi ſatis idoneum non occurrit Latinum, Græco, ubi neceſſe eſt, inſinuo quid velim dicere: Λατρείαν *quippe noſtri, ubicumque Sanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſtolus Servos Dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine Græco nuncupari ſolet.* λατρεία *vero ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt, qui nobis Divina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, ut pene ſemper, ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Et mox, (e) *Quæ* λατρεία *Græce nuncupatur, & Latine interpretatur ſervitus, ſed ea qua colimus Deum.* Et in libro xx. contra Fauſtum cap. 21. *At illo cultu, qui Græce* λατρεία *dicitur, Latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.* Non abſimilia edocet ille cap. 6. alias num. 13. lib. 1. *de Trinitate*, & quæſt. 61. in Geneſim. Eadem tradunt Iſidorus lib. 8. *Originum*, ſeu *Etymologiarum* (f), Beda in verba illa Lucæ 4. *Dominum Deum tuum adorabis*, aliique ex Latinis. E Græcis vero tum alii multi aſſentiuntur, tum certe Tharaſius in Epiſtola ad *Conſtantinum*, & *Irenem*, quæ extat in actione ſeptima Synodi Nicenæ Secundæ.

(e) Ideſt num. 3.

(f) Capit. ultimo.

III. Non defuerunt tamen, qui Etymologiam hujus vocis *Latria* aliunde deducentes, aptiſſime per eam cultum Dei ſignificari monerent. Derivant ſcilicet vocem *Latriam* a τοῦ τρεῖν, quod eſt tremere, cui addentes particulam λα, quæ in greco eloquio ſignificationem auget, ea voce illud ſummum obſequium exprimi dixerunt, quod maximo tremore teſtatum facimus. Porro quiſnam tremore noſtro, ac formidine ſumma dignus perinde eſt, ac Deus, in cujus manu omnia noſtra ſunt poſita? Hinc in ſcriptura ipſa noſter timor dicitur, perinde ac noſter amor, ac ſpes noſtra, ideſt objectum noſtri timoris (ideoque Latriæ) ſicut eſt noſtri amoris, & ſpei. (2).

 IV. Du-

(2) Audite quid doceat Natalis Alexander diſſ. 25. in ſæculum Eccleſiæ quintum pag. 344. editionis Pariſienſis. „ Quo etiam „ ſpectat ipſa nominis etymologia: derivatur enim λατρεία a „ verbo τρεῖν, ideſt tremere, & particula λα, quæ ſignificatio- „ nem auget apud Græcos: quaſi vehemens tremor *latria* no- „ mine ſignificetur. Tremoris autem illius vehementiſſimi ſo- „ lus Deus objectum eſt. Hinc Deuteronomii 6. dicitur *Do-* „ *minum Deum tuum timebis*. Hinc forſan ipſum Dei nomen „ a Græ-

IV. Duliæ vocabulum (δυλεία) priſcis temporibus minime reſtringebatur ad ſignificandam venerationem illam, quam deferimus Sanctis, ſed ad ſervitutem cujuſque generis, immo ad obſequium, aut certe demiſſionem quamlibet, tametſi ingenuam, denotandam adhibebatur. Hinc quod in vulgata noſtra (g) legitur *ſervite* (*ſed per caritatem ſervite invicem*) in Græco extat δυλεύετε *dulevete*. Et jam dudum monuit Auguſtinus Latriam deferri Deo propter illius divinitatem; Duliam vero illi deferri veluti Domino. En quæ dixi verba Auguſtini (h) *Si ſervieris Diis eorum, erunt tibi offendiculum. Hinc Græcus* δυλεύσης *habet, non* λατρεύσης. *Unde intelligitur, quia & δυλεία debetur Deo tamquam Domino,* λατρεία *vero non niſi Deo tamquam Deo.* Idem quoque Auguſtinus phraſim Pauli Apoſtoli ſecutus multo ampliorem ſignificationem impertit voci *Dulia*, quàm noſtris temporibus tribuere conſueverimus: Sic enim loquitur (i) *Non eo modo, quo jubemur per Caritatem ſervire invicem, quod eſt* δυλεύειν, *ſed eo modo, quo tantum Deo ſervitur, quod eſt Græce* λατρεύειν.

(g) Cap. 5. Ep. ad Gal. v. 13.

(h) Lib. 1. quæſt. in Geneſ. quæſt. 94.

(i) Lib. 1. de Trinitate cap. 6. alias num. 13.

V. At quamquam hæc, & affinia monita in multis Veterum libris occurrant, & ea ipſa ætate, qua vixit Petrus Lombardus, vox *Dulia* multo latius acciperetur, (k) Theologi tamen minus antiqui coarctavere eam vocem ad ſignificandum tantummodo cultum illum, honorem, ac venerationem, quam Sanctis adhibere Catholica conſuevit Eccleſia, quæ dum jam pridem nomina *hypoſtaſis*, *homouſion*, *perſona*, & alia etiam in ſacrum uſum transferens, ſignificationem paulo alieniorem ab antiqua, & ſua tribuit, anſam ſubminiſtravit, defenſionemque Theologis, ut ſi ad evitandas amphibolias, veterum vocum ſignificationem immutare, aut novas cudere neceſſe ducerent, id ſine reprehenſione facerent.

(k) Vide eum lib. 3. diſtinct. ix.

VI. Quod ad Hyperduliam attinet, ſi credimus doctiſ-

,, a Græco δέος (quod eſt timor) ductum eſt. Eoque non obſcure alluſit Poeta celebris dum ſic cecinit. *Deus, & timor ille deorum eſt*. Hinc Geneſis 31. dicitur juraſſe *Jacob per timorem Patris ſui Iſaac*. Timorem Iſaac Moyſes Deum Jſaac nominavit. Latriæ itaque nomen merito aſſumptum eſt ad ſupremum illum cultum ſignificandum, quo Deum ſolum venerari debemus, velut illum timentes, ut judicem: velut ab illo empti, ut Redemptore; velut illius obſequio ac dominio penitus mancipati, & ab ejuſdem nutu modis omnibus pendentes.

ctiſſimo Gabrieli Vaſquez, (*l*) viſi ſunt nonnulli veterum pro ea ipſa quam Sanctis deferimus veneratione eam vocem ſumere. At certe multo aliter noſtris temporibus loquimur, & vocem *Hyperdulia* reſtringimus ad denotandum peculiarem illum cultum, venerationemque, quam Virgini Deiparæ adhibemus propter eximias illius virtutes, & merita, quibus multo elatior eſt Angelis, & Sanctis reliquis, & peculiare Venerationis genus promerita eſt.

[*l*] In Commentariis in tertiam partem diſp. 98. cap. 1. n. 3.

VII. Neque vero recentiorum Theologorum ea vocabula in hac ſignificatione adhibentium licentia quædam eſt, & veterum omnium exemplo deſtituta uſurpatio. Scilicet vetuſtus ſane, & laudatiſſimus Scriptor eſt Bonaventura. Is tamen innuit cæpiſſe ante eum ſumi hæc vocabula in ea ipſa ſignificatione, qua ſumimus nos. En ea quæ dixi Bonaventuræ verba (*m*) *Ex hoc enim, quod mater Dei eſt, prælata eſt ceteris creaturis, & eam præ ceteris decens eſt honorari, & venerari: hic autem honor conſuevit a Magiſtris hyperdulia vocari. Et accipitur verbum illud de gloſſa ſuper* 1 *Regum, ubi dicitur dulia major, & dulia minor.* Et mox: *Ad illud, quod objicitur, quod Chriſtus honoravit Matrem ſuam: dicendum quod verum eſt: Sed Chriſtus non adoravit eam adoratione latriæ, ſed hyperduliæ, non enim adoravit eam, ut Deam, ſed ut filius matrem ſuam &c.* En in ſumma diviſio propoſita.

[*m*] Lib. 3. ſenten. diſtin. 9. quæſt. 3.

CAP. II.

Occurrimus Proteſtantium Oppoſitionibus.

I. DUplicis generis oppoſitiones urgent, Theologicas, & Grammaticas. De Theologicis nihil hic dicimus, quippe eas referemus, repellemuſque quum de Virginis Deiparæ dignitate, ac præſtantia non indiligenter diſſeremus. Porro Grammaticæ hæ ſunt. Voces Latria, & Dulia ejuſdem plane ſignificationis ſunt, & ſi quod extat inter eas diſcrimen, hoc eſt, quod latria mercenariam ſervitutem ſignificat, Dulia vero plerumque mitiorem, nec viro ingenuo indignam, ſed interdum etiam aſperam quamdam, & immi em, cujus modi denotatur in Exod. 13. verſ. 3. & 14. & iterum cap. 20. verſ. 2. At Pontificii in propoſita diviſione multo aliter hæc ſumunt, & his vocibus ſignificationes tribuunt ab antiquis, nativiſque alie-

alieniſſimis. Profecto valde remota eſt ab hodiernis ſignificationibus illa Levit. 23. v. 7. *Omne opus ſervile non facietis in eo*: Græce quippe extat λάτρευτον. Significatio vero vocis *Duliæ* adeo ab ea diſtat, quam nos ei tribuimus, ut nullus omnino ex veteribus in ea ſignificatione adhibuerit, ſed monuerint omnes aliquod ſervitutis genus ab ea voce ſignificari, at ſervitutem Sanctis procul dubio deferre non poſſumus nos, *qui Deum, & Unigenitum ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſolum dominatorem* agnoſcimus, & veneramur. Id vero ita compertum eſt, ut ex Catholicis ipſis non defuerint, qui harum vocum abuſionem vehementer reprehenderint. Hoc modo Martinus Ayala. (a) *Quamquam* (inquit) *neſcio, an proprie Duliæ bujuſmodi officium debuiſſet appellari, cum veneratio illa, quæ communiter Sanctis debetur, minime in ſignum ſervitutis exhibeatur: omnes enim Servi Dei ſumus &c.* Hyperduliæ vero vocabulum adeo novum eſt, & Veteribus inuſitatum, ut prorſus nullum afferre poſſimus veterum exemplum, cujus ſuffragio confirmetur. Hæc adverſarii.

(a) De traditionibus part. 2. conſid. 7. cap. 1. §. *Tertio quod*.

II. Quorum impetus ſic retundo. Fateor equidem a Veteribus multo diverſam ſignificationem tributam eſſe vocibus Latriæ, ac Duliæ, ac nos tribuamus. Sed quod ad primam attinet, Auguſtini, aliorumque Scriptorum, e quibus nonnullos nuper citavimus, auctoritas non levem purgationem nobis ſubminiſtrat, ſi ſignificatione non nihil a veteri remota adhibeamus. Eorum nimirum exemplum animum nobis addidit, ut paulo aliter, ac conſueverint priſci Scriptores *Duliæ* vocem, aliaſque ſimiles adhibeamus. Scilicet ſi noſtris jamdudum licuit Latriæ vocem a priori ſignificatione aliquantum abducere, & ad aliam deflectere, cur non licebit nobis Duliæ vocem ab antiquiſſima ſignificatione aliquantum abducere, & ad aliam deflectere, quam non prophanorum auctoritas, ſed Eccleſiaſtica conſuetudo dedit? Quod ſi prophanas, immo & Poetarum auctoritates cum grammaticis præſertim agenti adhibere licet, præclare ſane Horatius cecinit.

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

plurimaque extant exempla, quibus certiores efficimur a Doctoribus noſtris immutatas fuiſſe quandoque antiquas vocum ſignificationes, ut eas ſacro uſui accomodarent; quod palam demonſtrant notiſſima exempla vocum *Perſona*, & *Hy-*

Hypoſtaſis, quæ quum adhibentur, ubi de Trinitate Sanctiſſima agitur, ab Eccleſiaſtica auctoritate ſignificationem obtinent multum ab ea diverſam, quàm antea obtinebant.

III. Eadem vero Eccleſiaſtica auctoritas Hyperduliæ vocem in Theologiam invexit; uſi ſunt nempe Doctores noſtri jure ſuo, atque imitati ſunt exemplum clariſſimorum illorum, ac Sanctiſſimorum Patrum, qui in Nicæno Concilio in fidei confeſſionem vocem *Homouſion* a paucis antea adhibitam in Eccleſiam introduxerunt, & ut ita loquar, ſanctificaverunt. Non ergo inſcitiæ linguæ Græcæ, non imperitiæ antiquitatis (quod hoſtes noſtri ajunt) tribuendum eſt, ſi vocabula aut nova excogitaverimus, aut vetera paulo deflexerimus ab ſua ſignificatione: non temere quippe, neque imprudenter id egimus, ſed cauto, exploratoque conſilio. Quod ſi cultum Virgini adhibitum non hyperduliam, ſed *Duliam maiorem* appellare vis, appella ut libet. Etenim voce hac *Hyperdulia* non aliud quidpiam a Doctoribus noſtris intelligitur, niſi quoddam ſublimius, atque elatius genus Duliæ, minime vero genus aliud cultus, venerationiſque, quod latriæ proximum ſit atque affine. Perſpicuis verbis id edocet Vaſquez (b) *Hyperdulia* (inquiens) *non eſt virtus diſtincta a Dulia, ſed eximium opus illius*. Hinc diviſio cultus Sacri erit in duo præcipua membra, quorum unum, quod Latriam vocamus, Deo tribuimus: alterum illud, quod Duliam appellamus, & in duas partes iterum dividitur. Hyperdulia dicitur una, quam Mariæ aſſignamus: Dulia altera, quam Sanctis reliquis: & hanc, ut a prima diſcrimines, Duliam ſimplicem appella ſi placet. At his quidem animadverſionibus, iis omnibus occurritur quæ objecerunt; nam quod attinet ad id, quod deſumunt ex ſervitute, quam Deo profitentur etiam Sancti *conſervi* noſtri, id nunc omitto, cum copioſiſſime eo de argumento alibi acturus ſim.

(b) In tertiam partem D. Thomæ in quæſt. xxv. art. 8. alias diſp. cxiii. num. 14.

CA-

CAP. III.

De Adorationis, ac Venerationis etymologia, natura, ac diviſione. Æquivocam eſſe non modo apud Hebræos, verum etiam apud Græcos, & Latinos adorationis, *& affinium nominum ſignificationem. Non raro tamen ad ſignificandum Deo adhibitum cultum ea nomina ſumi. Id veterum auctoritate comprobamus.* Venerationis *vocabulum accipi ſolere ad denotandum cultum Sanctis delatum: interdum tamen cultum Dei eo nomine exprimi.*

I. POſtulat argumentum, & illius, de qua agimus, quæſtionis affinitas nexuſque, ut de adorationis, venerationiſque etymologia, ac natura, tum de diviſione illius accuratius agamus. Quamvis enim leviſſima, & ad Grammaticos magna ex parte pertinens videri poſſit hæc inquiſitio, multo tamen gravior fortaſſe ea eſt, quam tu arbitrabaris. Hoc enim ex ea conſequitur emolumentum, ut in luce poſitis variis horum nominum ſignificationibus, acutulæ quædam, atque importunæ evitentur objectiones, quæ ſuper horum vocabulorum haud probe intellecta vi, ac poteſtate conſtructæ ſunt.

II. At dum de harum vocum etymologia diſſerere inſtituo, non illum, unde emanant derivanturque, fontem aperire in animo habeo. Id difficile in primis, &, ſi juvantibus Superis aſſequeremur, inutile fortaſſe foret. (a) Quum ergo etymologiam dico, vim ſignificationemque harum vocum intelligo, nam id quoque ad Etymologiam pertinere Grammatici putant. Ut vero a prima, ideſt ab *adoratione* exordiar, quoniam non pauci ex veteribus Deum tantummodo adorandum eſſe dixerunt: creaturas vero non item; arbitrati ſunt viri etiam docti uſurpari non poſſe vocabulum hoc *adoratio*, illique affinia ad ſignificandum delatum Creaturis honorem: ideoque *adorationis* nomine aut id ipſum denotari, quod per Latriam denotatur, aut ſi quod inter hæc vocabula diſcrimen eſt, hoc tantum eſſe, quod *Latria* demiſſio ſit animi, corporis vero *adoratio*. Et hæc quidem Proteſtantium videtur eſſe perſuaſio, dum Catholicos ex eo etiam idololatriæ accuſant, quod hi non vereantur *adorationis* vocabulo uti ad exprimendam eam animi demiſſionem, quam Creaturis excellentibus, & potiſſimum Sanctis adhibent, ſi eam

(a) Vide ſi vis ea de re differentem Petavium num. 4. Capitis 2. lib. 15. *de Incarnatione*, & Lexicum clariſſimi Facciolati ad verbum *adoro*.

animi

animi demiſſionem exteriori aliquo argumento teſtatam faciant.

III. Ad evellendos itaque ſi qui in Catholicorum animis ineſſent ſcrupuli, abigendamque adverſariorum noſtrorum calumniam, facile oſtendam multo latiorem, quàm ipſi putent, eſſe hujus vocis *Adoratio* ſignificationem, ideoque immerito ſive impietatis, ſive inſcitiæ redargui Catholicos, dum interdum Mariam, & Sanctos *adorari* ajunt.

IV. Quod ſi remotius pertractationem hanc deduci vis, quidve adorationis nomine Hebræi intelligerent, exponi jubes, obſequor libens, & ſtatim oſtendo Hebræos adorationis nomine non illud tantummodo ſummum obſequium intellexiſſe, quod Deo adhibetur in argumentum ſupremi dominii, quod in nos habet, verum etiam minora illa obſequia, quæ Creaturis præſtantibus deferimus, quum illarum excellentiam, aut præclara erga nos merita teſtificamur: veluti cum *populum terræ* adoravit Abrahamus, cum Saulem adoravit David, cum Davidem Nathan propheta adoravit. Præclare id jam pridem animadverterat Auguſtinus, dum (*b*) commentariis illuſtrans verba illa, *Exſurgens autem Abraham adoravit populum terræ*, hæc ait. „ Quæritur quomodo ſcriptum ſit *Dominum Deum* „ *tuum adorabis*, *& illi ſoli ſervies:* cum Abraham ſic ho„ noraverit populum quendam gentium, ut etiam adora„ ret. Sed animadvertendum eſt in eodem præcepto non „ dictum *Dominum Deum tuum ſolum adorabis*, ſicut ſcri„ tum eſt, *& illi ſoli ſervies*, quod eſt græce λατρεύσεις: Ta„ lis enim ſervitus nonniſi Deo debetur. Unde damnan„ tur idololatræ, ideſt ejuſmodi ſervitutem exhibentes ido„ lis; quæ debetur Deo. (*c*) Nec moveat quod alio lo„ co in quadam Scriptura prohibet Angelus hominem ado„ rare ſeſe, & admonet, ut Dominus potius adoretur. „ Talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo poſſet ado„ rari; & ideo fuerat corrigendus adorator. -- Hactenus Auguſtinus.

V. Ad hunc Auguſtini locum forte reſpexit *Petrus* ille magni nominis Abbas Cluniacenſis, quem etiam *Venerabilem* appellari mos eſt, dum epiſtola ſecunda libri primi, in qua Petrobuſianorum errores refellit (*d*) ad hunc modum loquitur. „ Sed eſt alius adorationis modus, qui licet „ eodem nomine, quo & ille divinum cultum ſignificans, „ vocetur: non tamen eo, niſi humana, & ut ſupra di„ ctum eſt, hominibus impendenda reverentia ſignatur.

[*b*] In libro, quem inſcripſit *Quæſtiones in Geneſim*, quæſt. 61.

[*c*] Apocal. 19. 10.

[*d*] Sub eo titulo, qui ſic inſcribitur. *Contra id, quod dicunt Crucem Domini nec adorandam, nec venerandam, ſed magis confringendam, & conculcandam eſſe*, *fol*. XX. *col*. 2.

„ Hoc magnus ille Patriarcha Abraham adoravit populum terræ, filios videlicet Heth. Hoc Loth teſtimonio „ quoque Petri Apoſtoli juſtus ſubverſores Sodomorum „ Angelos adoravit. Hoc fratres Joſeph, eum proſtrati in „ terram: hoc Joſue principem Militiæ Domini Angelum: hoc Propheta Nathan David Regem: hoc fortaſſis etſi malus Nabuchodonoſor Prophetam Danielem „ adoravit. Neque enim credendum eſt, Sanctos homines, vel Sanctos Angelos cultum Deo tantum debitum „ aut hominibus impendiſſe, aut ſibi impendi æquanimiter toleraſſe. Unde clarum eſt modum hunc non eſſe „ adorationis divinæ, ſed venerationis humanæ, nec eſſe „ ſingulare illud inſigne deitatis, ſed officioſam, & communem exhibitionem honoris.

VI. Cave vero putes hæc ideo ab allegatis Doctoribus tradi, quod latinam Bibliorum interpretationem tantummodo ſequantur, non vero Hebraica ipſa volumina. Scilicet hæc utentia voce *iiſtachù* derivata a radice Sciachàh, & quam vulgata noſtra vertit *adoravit*, ea utuntur voce, qua obſequium ſummum corporis demiſſione teſtatum quis facit, ſive Deo obſequium illud, ſive Angelis, ſive etiam hominibus adhibeatur. Deo delatum exhibent verſiculus 26. & 52. capitis 24. Geneſis: *inclinavit ſe homo*, & *adoravit Dominum* . . . . *Quod cum audiſſet puer Abraham procidens adoravit in terra Dominum*. Angelis adhibitum verſiculus 2. capit. 18. ejuſdem Geneſis. *Quos* (Angelos) *cum vidiſſet* (Abraham) . . . . . . *adoravit in terra*, & verſ. 1. capitis 19. *Veneruntque duo Angeli*...... *Qui* (Loth) *cum vidiſſet eos* ...... *adoravit pronus in terram* ..... Hominibus vero etiam adhibitum indicat verſ. 7. capitis 23. Geneſis. *Surrexit Abraham*, & *adoravit populum terræ*, *filios videlicet Heth*, quibus locis voce *iiſtachù* utitur Hebraicus Textus; qua ipſa etiam utitur libro III. Regum cap. 1. verſ. 16. *Inclinavit ſe Bethſabee*, & *adoravit Regem*. Vide Arcam Noe, ſeu Lexicum Marci Marini egregii e noſtra Congregatione viri ad vocem *biſtachavàh*: part. 1. pag. 193.

VII. Græci quoque id quod nos *adorationem*, προσκύνησιν appellantes, ambiguo vocabulo expreſſerunt, quodque perinde adhiberi poteſt ad ſignificandam illam animi demiſſionem, confeſſionemque ſupremæ excellentiæ, quæ Deo debetur, ac minorem illam, qua homines colimus. Hinc ſæpiſſime ab iis etiam Patribus, qui cautius locuti

ſunt

ſunt, audies adorandos eſſe Sanctos, eorumque imagines; nec, dum id facimus, metuendum eſſe, ne in idololatriam incidamus: etenim latria tum eſt, quum *exteriori obſequio adjungitur fides*, qua ſcilicet credatur illud, quod eo obſequio colitur, Deum eſſe.

VIII. Nec latini, quod facile potuiſſent, vocis ambiguitatem ſuſtulere. Quis enim neget multas huic voci tributas eſſe ſignificationes, quæ remotiſſimæ ſunt ab ea, quam nonnulli tantummodo agnoſcunt, ut ſcilicet denotet ſummam illam ſubmiſſionem, quæ Deo adhibenda eſt? Lege obſecro, quæ Clariſſimus Facciolatus in ſuo Lexico ad vocem *adoro* recenſet, & apertiſſime intelliges multo ampliorem eſſe vocis hujus ſignificationem, quàm aliqui putent. Quid quod ad exprimendum enixiorem amorem, præſertim ſi cum obſequio conjunctus ſit, uſurpari voces has *adoratio*, *cultus*, & affines, ſi quæ ſunt aliæ, nemo ut arbitror in dubium vertet, qui in veterum Scriptorum lectione detritus ſit? Sed neque hanc ipſam ſignificationem multorum quidem judicio prorſus comtempſere Eccleſiaſtici Scriptores, nam illi favere ajunt Paulinum, & Auguſtinum. Nempe Paulinus v. 154. Natalis IX. S. Fælicis hæc ait

Ecce Sacerdotis reditum ſatiatus adoro,
Suſcipiens humili metantem in Corpore Chriſtum.

Auguſtinus autem cap. 34. alias n. 75. libri, quem inſcripſit de *moribus Eccleſiæ Catholicæ* ſepulcrorum, & picturarum adoratores reprehendens, eos videtur diſtringere, qui majorum, amicorumque ſuorum vita functorum tanto amore flagrant, & deſiderio, ut ab eorum ſepulcris, & imaginibus ſe omnino avelli non ſinant.

IX. At nulla ſane frequentior eſt hujus nominis uſurpatio, quàm quum adhibetur ad denotandum delatum alicui honorem. Quoniam vero plura ſunt honoris genera, ad quæ ſi fictum honorem adjungas, horum augebitur numerus; ad hæc ſignificanda uſurpari conſueviſſe adorationis nomen teſtes ſunt Eccleſiaſtici Auctores exemplis iſtius modi referti. Hinc merito Petavius (*e*) eruit *generalem eſſe eam vocem*, *& ex uſu ſacrarum litterarum tam ad profanum*, *& civilem honorem*, *quam ad Sacrum*, *& Divinæ Majeſtatis peculiarem adhiberi:* quamquam non in ſacris tantum litteris, aut Eccleſiaſticis Scriptoribus iſtius modi exempla extant. Nam ad honorem teſtificandum adhibet Marcellinus (*) hæc locutus: *Inter complures alios honore conſpi-*

[*e*] De Incarnat. lib. XV. cap. 2. n. 5.

(*) Lib. 21. cap. 6.

ſpicuos, adoraturi Imperatorem peregre venientem ordinantur etiam ex Tribunis inſignibus. forte etiam cap. 9. ejuſdem libri, dum de Lucilliano hæc narrat. *Verum cum primitus viſus adorandæ purpuræ datam ſibi copiam advertiſſet, recreatus &c.* Sed nos, quod propoſuimus, Eccleſiaſticos auctores proferamus.

[*f*] Cap. 2. alias n. 5. libri, quem adverſus Vigilantium ſcripſit.

X. Hieronymus (*f*) ſic Vigilantium diſtringit. *Dolet Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in ſterquilinium, ut ſolus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur*. Rurſus, at non per jocum, ſed ſerio *adorationis* vocabulum ſumit ad honorem ſacrum ſignificandum, hæc inquiens (*g*). *Ergo ne erit illa dies, quando nobis liceat ſpeluncam Salvatoris intrare? . . . . . Samariam pergere, & Joannis Baptiſtæ, Eliſei quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare*.

[*g*] n. 12. id eſt poſtremo Epiſtolæ illius, quam Paulæ & Euſtochii nomine ad Marcellam ſcripſit, eratque olim 17. at in Veronenſi editione 46. eſt.

XI. Paulinus Nolanus ita ſumpſiſſe videtur, dum verſ. 305. Natalis XI. S. Fælicis hæc ait.

Et magni ſolium breve Confeſſoris adorat
Jugiter e variis confecta frequentia terris.

XII. Nec ab uſu iſto abhorret Auguſtinus (ſi Auguſtinus is eſt, cui tribuas ſermonem olim 25. *de Sanctis*, nunc in appendice 204.) Etenim num. 3. hujuſce Sermonis hæc lego. *Nam beatiſſimum Petrum piſcatorem modo genibus provolutis adorat excellentia Imperatorum*. Et procul dubio idem num. 5. Epiſtolæ olim 44. nunc 17. *Ad ſummam* (inquit) *ne te hoc lateat . . . . . . nihil denique ut numen adorari*. Dum enim addit Auguſtinus verba illa *ut numen*, haud obſcure innuit aliquo, quod longe a Divino abſit, Creaturam obſequio adorari poſſe.

(*h*) Cap. 3. Dialogi primi.

XIII. Sulpicius Severus his accedat, quippe (*h*) ſic inducit loquentem Poſtumianum: *Libuit animo adire Carthaginem, loca viſitare Sanctorum, & præcipue ad Sepulcrum Cypriani Martyris adorare*.

(*i*) Cap. 4. ſerm. 4. *in Epiphaniæ ſolemnitate*.

XIV. Eodem ſpectat Sanctiſſimus Pontifex Leo primus. Etenim (*i*) hæc de Manichæis enunciat. *Ut doceant in Sole, & Luna colere Chriſtum, & ſub nomine Spiritus Sancti ipſum talium impietatum magiſtrum adorare Manichæum*.

XV. Nec ſunt prætermittenda verba S. Venantii Fortunati, qui in fine libri quarti, id eſt poſtremi inter eos, quos de Vita S. Martini ſcripſit, ſic poetarum morem ſecutus, libellum alloquitur ſuum.

Ac Fortunati benedictam Martyris urnam,

Pon-

Pontificemque pium, Paulum cupienter adora.
* * * * * * * * * * * * * *

Inde Ravennatem placitam pete dulcius Urbem,
Pulpita Sanctorum per relligioſa recurrens,
Martyris egregii tumulum Vitalis adora.

XVI. Innumera alia extant ejuſdem conſuetudinis exempla, quæ conſulto prætereo, ne videar ea velle diligentius inculcare, quæ haud difficile in pleriſque veterum ſcriptis occurrunt. Si alia tamen adjungi vis, hæc duo adjunge ex Gregorii Turonici libris deſumpta. cap. 95. lib. 1. *Miraculorum*, alias *de Gloria Martyrum* hæc de Theodoſio Imperatore narrat. *At ille veniens adoravit eos* (ſeptem Germanos fratres apud Epheſum quieſcentes) *pronus in terra*. Et capite ſecundo libri ſecundi item *de Gloria Martyrum*. *Tunc cum magno pſallentio* (inquit) *plaudente populo, in loco, ubi nunc adoratur, Domino annuente perducitur*.

XVII. Haud diſſimulandum eſt tamen (idque ipſum conſtare etiam arbitror ex pleriſque teſtimoniis, quæ nuper attuli) plerumque ſumi vocem hanc *adoratio*, & affines alias ad denotandum obſequium illud, quod cum corpore incurvato, aut humi proſtrato exhibetur. Non hic repetam, quæ modo allegavi ſive ex Scriptura, ſive ex græcis, ſive etiam ex latinis Scriptoribus, ſed tamen haud omiſerim apud Hebræos vocem *iiſtachù*, quam latini, uti dixi, vertere conſueverunt *adoravit*, demiſſionem proſtrationemque, aut certe incurvationem corporis ſignificare: Græcos vero frequentius ſumere vocem προσκύνησιν ad denotandam corporis demiſſionem, quàm ad ſignificandum interiorem animi affectum: quem morem multi ex latinis, dum *adorari* aliquid ajunt, ſequuntur: idque tam crebro, ut Jonas Aurelianenſis (*k*) hoc intereſſe diſcrimen moneat inter vocabula *colere*, & *adorare*, ut ad animum pertineat cultus, ad corpus adoratio: Ideo Dominum cap. 20. Exodi vetuiſſe, ne aut cultus, aut adoratio idolis deferretur. *Non adorabis ea, neque coles*. En verba quæ dixi Jonæ Aurelianenſis. *Aliud eſt colere, aliud adorare: Poteſt quis interdum & invitus adorare: ſicut nonnullis regibus adulantes, cum eos in hujuſmodi ſtudia deditos viderent, adorare ſe ſimulant idola, cum in corde ipſorum certum ſit, quia nihil eſt idolum. Colere vero eſt toto huic affectu, & ſtudio mancipari. Utrumque ergo reſecat ſermo divinus, ut neque affectu colas, neque ſpecie adores*. Quæ verba ipſa omnino deſcripſit Jonas ex homilia VIII. Origenis in Exodum, ſive ea

[*k*] Lib. 1. de Cultu Imaginum part. 1. tom. 4. Biblio. Patrum col. 544.

Ori-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Origenis ipſius ſint, ſive Rufini (1), qui in latinam linguam eam, aliaſque multas Origenis homilias tranſtulit: quamquam idem Jonas ſe deſumpſiſſe ea dicit ex expoſitione Origenis in Epiſtolam ad Romanos.

XVIII. Id vero tametſi haud ubique verum ſit; etenim vocabulum cultus interdum uſurpatur ad corporis demiſſionem, ad animi vero affectionem ſignificandam vocabulum *adoratio*; indubitatum eſt tamen (quod jam innui) vocabulum hoc *adoratio* fere adhiberi conſueviſſe ad denotandum illud obſequium, quod corporis demiſſione præſtatur, tametſi animus a demiſſione abſit. Hieronymus numer. quinto Vitæ Malchi ſic Malcum ipſum loquentem inducit. *Tandem grandi amne tranſmiſſo pervenimus ad interiorem ſolitudinem, ubi dominam, liberoſque ex more gentis adorare juſſi, cervices flectimus.*

XIX. Nonnunquam tamen ita ad honorem Divinæ Majeſtatis peculiariter ſignificandum reſtringitur ea vox, ut Deum tantummodo adorari poſſe edoceamur. Plurima ea de re congeſſit teſtimonia Petavius (*l*) quibus alia addi ſi vis, addere non recuſo. Hieronymus num. 1. Epiſtolæ ad Riparium (*m*) hæc ait. *Nos autem non dico Martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem, & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti ſæculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne ſerviamus Creaturæ potius, quam Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus.* Et num. 5. libri contra Vigilantium. *Quis enim, o inſanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Auguſtinus cap. 55. alias n. 108. libri *de Vera Religione* ad eamdem ſignificationem videtur coarctare vocem hanc, dum de Sanctis hominibus vita functis ait *honorandos eſſe propter imitationem, non adorandos propter religionem*. Similiter Fulgentius cap. 4. libri *ad Donatum*. *Quia (inquiens) ipſe Deus ſibi ſoli præcipiens tantummodo ſerviendum, ſeque jubens a fidelibus adorandum prorſus interdixit, ne quis auderet Creaturam adorare,*

[*l*] Lib. 15. de *Incarnatione*. cap. 2. num. 5.

(*m*) Olim 83. in Veronenſi editione 109.

(1) Patres Sancti Mauri paulo aliter vertunt. Ecce illorum interpretatio. *Aliud eſt adorare, & aliud colere. Nam qui toto animo hiſce ſervit, non modo adorat, verum etiam colit. Qui autem rem ſimulate ac propter gentes facit, non colit quidem, ſed adorat. Ejuſmodi reperies in Numeris, qui ut mulieribus placeant, idola adorant.*

re, Creaturæque ſervire. Fulgentium præceſſerat Leo Magnus cap. 6. Sermonis II. de Nativitate hæc proferens. *Illa ergo Virtus, illa Sapientia, illa eſt colenda Majeſtas, quæ univerſitatem Mundi creavit ex nihilo, & in quas voluit formas, atque menſuras terrenam, cæleſtemque ſubſtantiam omnipotenti ratione produxit. Sol, Luna, & ſydera ſint commoda utentibus, ſint ſpecioſa cernentibus. Sed ita, ut de illis gratiæ referantur auctori, & adoretur Deus, qui condidit; non creatura, quæ ſervit.*

XX. Eodem pertinet id, quod Theodulphus Aurelianenſis in Epiſtola ad Parochiæ ſuæ Sacerdotes tradit (*n*) omnes exhortans, ut *ſolo Deo Creatore ſuo adorato Sanctos invocent, ut pro ſe intercedere ad Majeſtatem Divinam dignentur.*

(*n*) Cap. 23. To. 2. operum Sirmondi pag. 672.

XXI. Cum his conſentit inprimis Petrus ille Cluniacenſis Abbas, quem nuper allegavi, in illo ipſo capite Epiſtolæ Secundæ libri primi, cujus nuper memini, non modo quia non *adorationem Divinam, ſed venerationem humanam* eſſe ait obſequium illud, quod hominibus etiam Sanctis delatum eſſe ex Veteri Teſtamento novimus: *Unde clarum eſt* (inquit) *modum hunc non eſſe adorationis Divinæ, ſed venerationis humanæ, nec eſſe ſingulare illud inſigne deitatis, ſed officioſam, & communem exhibitionem honoris*: Sed multo maxime quia adorationis vocabulum ad Dei cultum pertinere ait (*) *Ad hunc Dei cultum pertinet & verbum hoc adorationis, de quo agitur: ſed tunc proprie, quando Deum tantum auctorem, & rectorem ſuum eſſe intelligit; quando eum ut Deum agnoſcens, ſicut Deum glorificat, & gratias agit &c.* Etiam Carolinorum librorum auctor ſæpe vetat, ne imagines, & Sancti adorentur, quibus tamen Sanctis venerationem deferendam eſſe non raro docet (2).

[*] Pag. 19. col. 4.

XXII.

[2] Tam crebra ſunt loca, in quibus hic auctor imagines, & Sanctos etiam adorari vetat, ut ea indicare ſupervacaneum videatur. Quod ad Sanctorum venerationem attinet, hæc ſeligo ex cap. 24. lib. 3. „ nec Sanctorum Martyrum, ſeu Confeſſorum „ reliquiis, quæ apud fideles ipſorum amore venerationi haben- „ tur, coæquandæ creduntur (imagines) . . . . cum præſertim „ Sanctorum veſtes, & his ſimilia ideo veneranda ſint, quia „ aut in Corporibus &c. . . . . cum plurimorum hominum „ oſſa ob altare prophanum polluendum combureret, nequaquam „ intemerata ſervare præciperet, niſi Sanctis oſſibus vene- „ rationem exhibendam ſciret. Ecce quibus exemplis, ut cetera „ taceamus, monſtratum eſt Sanctorum cineribus venerationem „ exhiberi debere; dicant illi ubi unquam jubeamur imagines „ adorare.

XXII. Et hanc quidem hujus vocis ſignificationem videntur amplecti Concilii Tridentini Patres. Etenim quum de adhibito Sanctis cultu agunt, *venerationem:* (3) quum vero ſermonem habent de eo cultu, quem Deo & Chriſto (vero Deo) præſtamus , *adorationem!* appellant (4).

XXIII. Theologos audivi, qui dicerent propterea adorationem *rigoroſe* ſumptam uni Deo tribui, quia Deus ſolus vere habet in ſe excellentiam, quam vera *adoratione* agnoſcimus: cum qua excellentia ſi conferas creatas quaslibet excellentias, evaneſcunt illæ, nullæque apparent: ideoque adorari nequeunt. Alios audivi, qui docerent adorationem , quum reſtringitur ad ſignificandum obſequium Deo adhibendum, antonomaſtice ſumi : ideſt ad ſignificandam demiſſionem illam ſummam, quam Deo deferimus ob illam, quam habet eximiam, ſupremamque præſtantiam, quæ reliquorum omnium origo & cauſa eſt, originis & cauſæ expers.

XXIV. Mihi tamen ſatis eſt noſſe non deeſſe hujusmodi exempla, eaque notiſſima. Sic vetuit Chriſtus, ne Magiſtri diceremur in terris, quòd unicus eſſet Magiſter Deus: ideſt ea præſtanti ratione Magiſter, qua nos eſſe non poſſumus. Dominum etiam ſæpiſſime appellamus Deum, ſupremum illud ejuſdem Dei dominium indicantes, quod agnoſcimus, & hac voce profitemur. Patrem etiam noſtrum, quum eundem Deum dicimus, eum profitemur eſſe, ex quo omnis *Paternitas in Cœlo, & in terra:* quod aliis facile confirmari exemplis poteſt, ſi tu vis. Et hoc quidem modo vocabulum *cultus* adhibuere interdum Sancti Patres. Sane Hieronymus num. 1. Epiſtolæ ad Riparium, quam nuper allegavi negat a Chriſtianis Creaturam quamcumque coli. *Non Angelos . . . . & omne nomen quod nominatur . . . . colimus*; Auguſtinus quoque apertiſſime (o) in eundem ſenſum hæc ait. *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia ſi pie vixerunt, non ſic habentur, ut tales quærant honores; ſed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes.*

(o) Num. 108. lib. quem *de vera Religione* inſcripſit.

[3] De invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum: *Sanctorum . . . Sancta Corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti veneranda eſſe --ita ut affirmantes ſanctorum reliquiis venerationem, atque honorem non deberi -- eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam -- Sanctos, quorum illa* [imagines] *ſimilitudinem gerunt veneremur -- reliquiarum veneratione*. Seſſ. 25.

(4) *Chriſtum adoremus -- excitentur ad adorandum, ac diligendum Deum &c.*

tes. Et mox (ideſt n. 110.) *Quod ergo colit ſummus Angelus, id colendum eſt etiam ab homine ultimo, quia ipſa hominis natura, id non colendo, facta eſt ultima*. Tamen Tertullianus (p) cujus verba jam adduxi, & idem etiam Auguſtinus (q) multo latius ea voce utuntur. En ipſa Auguſtini verba. „ Proinde ſi tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur. Dicimur enim colere etiam homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus. Nec ſolum ea, quibus nos religioſa humilitate ſubjicimus, ſed quædam etiam, quæ ſubjecta ſunt nobis, coli perhibentur.

(p) Cap. 2. lib. ad Scapulam.

(q) lib. x. de *Civitate* cap. 1. n. 2.

XXV. Et de adorationis quidem vocabulo plura fortaſſe quam oportuerat dicta ſunt, ſed tamen hac in re abundare potius volui, quàm pauca proponere: plurimam enim utilitatem hæc ipſa exemplorum ubertas, ac copia afferet.

XXVI. Veniamus nunc ad vocabulum *Veneratio*. Apud Veteres pro cultu numinibus adhibito non raro ſumebatur. Sed Eccleſiaſtici Scriptores præſertim minus antiqui ad ſignificandum eum honorem, quem Creaturis præſtamus, uſurpare conſueverunt. Amalarius Fortunatus cap. 14. lib. 1. de *Eccleſiaſticis Officiis* ſic adhibet hæc inquiens. *Virtutem Sanctæ Crucis, quam accepit ex Dei filio, adoro*: (r) *creaturam nullam colendo, ut Deum adoro, ſed venerando*. Eodem ſpectant etiam illa Auguſtini verba (s) in ſermone recitato in Natali Sanctorum Martyrum Fructuoſi, Augurii, & Eulogii num. 9. *Cariſſimi veneramini Martyres, laudate, amate, prædicate, honorate; Deum Martyrum colite*: Similiter Petri Venerabilis monita. *Unde clarum eſt modum hunc non eſſe adorationis Divinæ, ſed venerationis humanæ*. Et ne multos afferam, Tridentini Patres, (quod modo etiam dixi) quum de adhibito Sanctis cultu loquuntur, *venerationem* conſtanter nominant. Verba jam allegavi, neque ea hic repetere neceſſe eſt.

(r) Tom. x. Bibl. Patr. pag. 338.

(s) olim 101. de *diverſis* in nova editione 273.

XXVII. Cave tamen putes adeo conſtanter id fieri, ut ad divinum etiam cultum ſignificandum ea vox interdum non ſit adhibita. Idem ille Petrus Venerabilis, quem crebro citavi, *venerationem* appellat eum cultum, quem ſtatim adorationem agnoſcit eſſe. *Immo magis* (inquit) *Chriſtum in ipſa* (Cruce) *venerandum, & adorandum eſſe Deo prorſus ſubditus, & devotus Chriſticolarum affectus invenit, ſervavit, inſtituit*. Et Eccleſia in eo hymno, quem

in Euchariſtiæ laudem concinit, diciturque a D. Thoma Aquinate compoſitus, ſic fideles alloquitur.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui.

Sed procul dubio multo frequentius in priori, quàm in poſteriori ſignificatione *Venerationis* vocabulum adhibent Auctores noſtri. Et de his vocibus, earumque uſu, & ſignificationibus hactenus.

CAP. IV.

Summa Controverſiæ, quæ nos inter, & Proteſtantes agitur.

I. RECtiſſime a majoribus noſtris traditum eſt, ut quæ ſuſcipitur de aliqua re diſputatio, dilucide, ac perſpicue exponatur; ut ſcilicet probe aſſecuti quid, qualeve ſit illud, de quo diſputatur, ab ambiguitatibus, atque amphiboliis arceamur. Quænam circa cultum Sanctis adhibitum Eccleſiæ ſint ſenſa, noſſe poſſumus quidem ex variis Catholicorum defenſionibus, ac ſcriptis, in quibus antiquam, & conſtantem Catholicorum traditionem exponunt. At quoniam interdum nonnulla de ſuo inſerunt, quæ Eccleſia nondum ſanxit, ſed fidelium arbitratui reliquit: hinc ut conſtet quænam hac in re Eccleſiæ dogmata ſint, Tridentini definitionem exhibeo, quæ ut alibi fuſe videbimus, eadem plane tradit, quæ jam pridem a Conciliis, & Patribus tradita ſunt. Scilicet Tridentinum (a) hæc proponit „Mandat Sancta Synodus omnibus Epiſcopis, & ceteris docendi munus, curamque ſuſtinentibus, „ut juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum a „primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, „Sanctorumque Patrum conſenſionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, in primis de Sanctorum interceſſione, invocatione, reliquiarum honore, & legitimo Imaginum uſu, fideles diligenter inſtruant, docentes eos, „Sanctos una cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro „hominibus Deo offerre, bonum, atque utile eſſe ſupipliciter eos invocare: Et ob beneficia impetranda a „Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, „qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt; ad eorum orationes, opem, auxilium confugere; illos vero, „qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes „invocandos eſſe; aut qui aſſerunt, vel illos pro homini-

(a) Seſſ. 25. ſub titulo *De invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus.*

„ nibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe Idololatriam ; vel pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti: vel ſtultum eſſe in cœlo regnantibus voce, vel mente ſupplicare, impie ſentire.

II. Ex his vero dictis eruo Eccleſiæ Catholicæ dogmata hæc eſſe. Sanctos intercedere. *De Sanctorum interceſſione . . . . fideles inſtruant*. Interceſſionem vero in eo ſitam eſſe, quod orationes ſuas pro hominibus Deo offerant, orentque pro nobis, & beneficia impetrent. *Docentes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, & ob beneficia impetranda &c. . . . . . . per quæ* (Corpora Sanctorum) *multa beneficia a Deo hominibus præſtantur*. Ex quare conſequitur non modo non obſiſtere verbo Dei, aut adverſari honori unius mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti, non modo non eſſe ſtultam, aut etiam idololatriam; ſed bonam eſſe, atque utilem, quæ ad eos dirigitur, ſupplicem invocationem, & petitionem auxilii. „ Docentes eos, Sanctos una cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda, a Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum..... ad eorum orationes, opem, auxilium confugere; illos vero qui negant Sanctos æterna felicitate in Cœlo fruentes invocandos eſſe: aut qui aſſerunt . . . . . eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti: vel ſtultum eſſe in Cœlo regnantibus voce, vel mente ſupplicare; impie ſentire.

III. Hæc ſunt in ſumma tum circa Sanctorum interceſſionem, tum circa confugium ad eos, atque invocationem, & preces noſtras iis adhibitas, Tridentini monita. At reliquas, ut ita appellem, hujuſce cultus partes minime prætermiſere cautiſſimi ii Patres: mox enim damnavere eos, qui affirmabant Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi: vel eas, aliaque Sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari: atque opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari: tum inter cetera jubent, ut *Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes, atque ebrietates non abutantur, quaſi feſti dies in honorem ſanctorum per*

luxum, & laſciviam agantur. Imaginibus vero Sacris cultum deferendum ajunt, illiuſque genus explicant, & emolumenta proponunt. Sed quod ad Reliquias, atque Imagines Sanctorum attinet, fuſe alibi, ac cumulatiſſime agemus. Illud conſtat Petavio judice (*b*) „ Summam litis „ hanc eſſe, utrum præter Chriſtum primarium, ac præ- „ cipuum mediatorem, alii ſint adhibendi minores, & „ ſecundarii, qui apud hunc pro hominibus intercedant: „ an hos invocare liceat, & religioſe colere, ſacra in „ eorum celebrare memoriam, & in eandem Baſilicas eri- „ gere; tum eorum corpora vita defunctorum, ac reli- „ quias venerari. Hoc Lutheri, & Calvini diſcipuli, hoc „ eſt, veterum errorum (inquit ille) interpolatores, ne- „ farium, & ſacrilegum eſſe clamant, & idololatriæ da- „ mnant. Nos id pium, & Chriſtianæ Religioni conſen- „ taneum eſſe, inde potiſſimum contendimus, quod per- „ petuo uſu, ac more Eccleſiæ Catholicæ receptum, com- „ mendatumque fuerit.

(*b*) Lib. 14. de Incarnatione capit. 15. §. 5.

IV. Porro quod de Sanctis hominibus mortali vita functis, Tridentini Patres, Petavius, aliique noſtri Theologi edocent, de Angelis quoque pro portione dicendum eſt. Scilicet quæritur, num Angeli pro hominibus intercedant: num eos deprecari, eorumque opem poſſimus expoſcere: num eorum Imagines cum laude colamus, templa Deo in eorum honorem erigamus, aliaque id genus, ipſi erga nos beneficientiæ, & bonitatis, nos vero erga eos obſequii, & fiduciæ argumenta præbeamus.

V. Satis vero (ut arbitor) ex his conſtabit noſtram cum Proteſtantibus diſputationem neque ſpectare modum, quo Sancti impetrant, noſque per eos beneficia recipimus: neque ſpectare modum, quo noſtras preces audiunt. Hæc ſane non extant in Tridentini decreto, & præclariſſimi Theologi apud optimos fratres de VValemburch (*c*) propoſita illis quæſtione: *Utrum ſit credendum fide catholica, Sanctis innoteſcere omnes preces noſtras ad eos directas; aut utrum hoc ipſum ſit abſolute neceſſarium ad fidem, & praxin invocationis Sanctorum, ut ſit ſalutaris*: pro parte negante ſteterunt.

(*c*) Tom. 2. pag. 238.

VI. Conſtat quoque errare eos, qui Romanam Eccleſiam propterea reprehendunt, quod Chriſto Sanctos æquet, parilem illis cum Chriſto tribuendo mediationem, ideoque invocationem, & cultum. Apage ſceleſtam perſuaſionem. Quod ad mediationem Sanctis tributam attinet, illius omni-

nino non meminit Tridentinum; immo quod genus impetrationis, & quàm a Chriſto dependens admittat, palam fatetur; dum decreto ſuo inſerit verba hæc. *Ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemtor, & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Quod vero ad invocationem ſpectat, qualem agnoſcat, aperit, dum *confugium* appellat *ad eorum orationes, opem, auxilium*, ut beneficia a Deo impetrent per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum &c. Quod denique ſpectat ad cultum, tantum abeſt, ut parilem Sanctis, & Chriſto tribuat, ut æquivocationem omnem evitare cupiens, *venerationem* cautiſſime appellet cultum delatum Sanctis, numquam vero *adorationem . . . . . a fidelibus veneranda eſſe . . . . . Sanctos, quorum illæ* (imagines) *ſimilitudinem gerunt, veneremur*. Contra, Chriſto delatum cultum *adorationem* nominat: *Chriſtum adoremus*.

VII. Nec minus conſtat errare eos, qui dicunt in Eccleſia Romana cogi fideles, ut relicto Chriſto ad Sanctos confugiant, eos invocent, deprecentur, & colant. Ubinam extant hæc in Tridentino? Quin etiam nullam in eo vocem invenies, a qua jubearis, ut Sanctos invoces, depreceris, aut colas: immo nullam vocem, a qua docearis neceſſe eſſe, ut hæc Sanctis præſtemus omnes. Contra & Georgius Caſſander (*d*) & Fratres VVallemburch (*e*) & Suarez (*f*) Natalis Alexander (*g*) aliique Clariſſimi Viri candide animadvertunt nullo fideles *omnes* ad rem hanc aut præcepto, aut neceſſitate devinciri, ſed tantum utilitate moveri.

VIII. Propterea vero dixi *nullo præcepto adigi fideles omnes*: quia procul dubio fideles aliquos, ut Sanctos colant, jubet Eccleſia: Eccleſiaſticis ſcilicet præſcribens, ut eas recitent preces, quas *Divinum Officium*, ſeu *Breviarium* appellamus, præſcribit etiam, ut Sanctos deprecentur, & invocent. Litanias eis dicendas præcipit, in quibus expreſſiſſime invocantur Sancti. *Sancta Maria, ora pro nobis. Sancte Michael, ora pro nobis. Sancte Petre, ora pro nobis. &c.* Sæpe etiam in hymnis, & reſponſoriis invocantur Deipara, & Sancti: veluti in hymno, qui canitur in Veſperis alicujus Apoſtoli, Apoſtolos deprecamur, ut voces ſupplicum audiant. *Audite voces ſupplicum.* Statim vero ſic eos oramus.

(*d*) In Conſultatione art. 21. inter Opera Theologica Grotii tom. 4. pag. 585.
[*e*] Tom. 2. pag. 232.
[*f*] In defenſione Fidei Catholicæ libro 2. cap. 9. n. 14. & 21.
[*g*] Differ. 5. alias 25. ſæculi 5. quæſt. 2. art. 2.

Qui

Qui templa Cœli clauditis,
Seraſque verbo ſolvitis,
Nos a reatu noxios
Solvi jubete quæſumus.

Præcepta quorum protinus
Languor, ſaluſque ſentiunt;
Sanate mentes languidas,
Augete nos virtutibus.

Etiam Deiparam Virginem deprecamur, invocamuſque in eo hymno, qui his verbis incipit. *Ave maris Stella:* in iis Antiphonis, quibus Sacrum Officium claudimus, & expreſſiſſime in duabus illis, quæ ad hunc modum incipiunt. *Salve Regina. Alma Redemtoris:* in eo Reſponſorio, quod canimus in matutinis precibus feſti Beatæ Mariæ Virginis ad Nives, & ſic incipit. *Fælix namque.* In feſto etiam Nominis Virginis Mariæ ſic ei ſupplicamus. *Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes &c.* Immo ſi Completorium excipias, antequam exordiamur eas preces, quas horas canonicas nominamus, Eccleſiæ juſſu orationi Dominicæ eam jungimus, quam Salutationem Angelicam, ſeu *Ave Maria* dicimus, in qua Mariam Virginem manifeſto obſecramus, invocamuſque. Sanctos porro omnes in die eorum feſto ſic oramus.

Et vos beata per novem
Diſtincta gyros agmina,
Antiqua cum præſentibus,
Futura damna pellite.

Apoſtoli cum Vatibus
Apud ſeverum Judicem
Veris reorum fletibus
Expoſcite indulgentiam.

Vos purpurati Martyres &c.

IX. Conſtat etiam temere reprehendi Catholicos, quod quædam amica diſſidia inter ſe inſtituant, dum explicare conantur genus cultus Sanctis adhibiti. Nimirum ſilente Tridentino, nihilque edocente, quo dirimas antiquas illas concertationes: *ad quam virtutem revocari debeat cultus adhibitus Sanctis:* num *Religioſus is appellari debeat, an tantum Sacer:* Et id genus alia, liberum cuique eſt ſentire quod libet, & ſua cogitata, dummodo probabilia, & a Veterum doctrina minime aberrantia proponere. Neque vero reprehehendi ſunt illi, qui hæc proponunt, quandoquidem obſequium ſuum erga Eccleſiam produnt ea admittendo, profitendoque, quæ illa admittit, profiteturque; in-

ingenium vero, & diligentiam exercent, dum ea, quæ aliqua ex parte adhuc latent, in luce ponere ſtudent.

X. Conſtat denique ferendos non eſſe eos, qui propter abuſus quoſdam in Sanctorum cultum illapſos, & cultum ipſum, & Catholicos omnes damnant. Ubinam abuſus hoſce Concilium approbat, ut eam ob rem Catholici Concilii Decreta excipientes damnari mereantur? Immo vero Concilium, & cum eo Catholici omnes, abuſus ſi qui irrepſerint, & condemnant, & pro viribus tollunt. Novimus porro ob Zizania, quæ Tritico ſe ſe immiſcuerunt, noluiſſe Deum, ut illico ſeges demeteretur, ne ſcilicet dum Zizania evellere cupit Agricola, Triticum evellat.

DIS.

DISSERTATIO II.

Enumerantur hoſtes Venerationis Sanctis adhibitæ.

CAPUT I.

Enumerantur externi hoſtes cultus Sanctis adhibiti. Ii ſunt Gentiles, Mahometani, & Judæi, quorum nonnullas adverſus Sanctorum cultum criminationes conatuſque ediſſerimus.

I. MOnuere jam pridem Catholici Doctores, in damnanda, reprehendendaque Sanctorum Veneratione conſenſiſſe Ethnicos, Mahometanos, Judæos, & Hæreticos, paucis eos omnes, qui Chriſtianæ Religionis aut certe Catholicæ hoſtes ſunt. Ut ab Ethnicis exordiar, de quibus etiam videas volo quæ tradit Theodoretus ſerm. 8. inter eos, quos de *Curandis Græcorum affectionibus* inſcribi mos eſt: quis dubitet primis ipſis Eccleſiæ ſæculis reprehenſos ab Ethnicis fuiſſe noſtros, quòd Martyres venerarentur, impeditoſque ſæpiſſime, ne eorum Corpora ſepelirent: quin interdum curaſſe eoſdem Ethnicos, ut Sepulcris, quibus fuerant illata, extraherentur, projicerenturque in mare? Quamquam vero notiſſima hæc ſunt, ne univerſa tamen videar prætermittere, unum afferam ex Euſebio, (*a*) Valeſii interpretationem ſecutus: „ Sed „ & Corpora regiorum cubiculariorum, quæ poſt mortem convenienti tradita fuerant ſepulturæ, ipſi eorum legitimi Domini erui ex ſepulcro, & in mare projici „ oportere cenſuerunt, ne quis illos ſepulcris conditos, „ pro Diis, ut ipſi quidem opinabantur, reputans, in poſterum adoraret. Vide etiam quæ idem Euſebius cap. 4. libri, quem inſcripſit de *Martyribus Paleſtinæ*, & Lactantius cap. XI. libri 5. *Inſtitutionum* hac ipſa de re tradunt.

(*a*) Cap. 6. lib. 8. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

II. Porphyrius teſte Hieronymo (*b*) Martyrum miracula, & interceſſionem irriſit. Julianus Apoſtata referente Cyrillo (*c*) hanc etiam ob cauſam Chriſtianos acriter di-

(*b*) Contra Vigilantium num. 11.

(*c*) Lib. 6. contra Julianum.

diſtringebat, eos Judæis pejores appellans: quippe Judæi unicum colebant Deum; Chriſtiani non unicum *hominem colebant* (Chriſtum tum ille indicat) *ſed plures*, *& infelices homines*: quo nomine procul dubio Martyres intelligit, quos odio maximo inſequebatur.

III. Non abſimile odium in Martyres, eorumque cultores explicavit Eunapius, quem Valentiniani, ac Valentis, tum Gratiani, quin & Theodoſii magni temporibus vixiſſe ferunt. Hic in Vita Edeſii (*) venerationem a Chriſtianis, ac præſertim a Monachis adhibitam Chriſti martyribus hiſce verbis (vertente Petavio, qui Adriani Junii interpretationem non multum probat) (*d*) deſcribit, & damnat. „ Monachos etiam in Cœnobo collocarunt, hominum ad hoc alligantes genus, ut pro „ intelligibilibus Diis, mancipiorum, ac ne illorum quidem proborum, cultum ſuſciperent. Quippe iſti Capita quorumdam colligentes, qui ſcelerum convicti, & „ publico judicio pœnis addicti fuerant, hos Deos faciebant, & ad eos advolventes ſe ſe, Numinum inſtar habebant, ad ipſorum ſepulcra polluti. Hos vero Martyres appellabant, ac Miniſtros, & legatos, qui ſupplicum preces ad Deos perferrent, ſervitia improba, & „ infida, flagriſque peſſime conciſa, quæ nequitiæ ſuæ „ cicatrices in ſuis Idolis circumferebant. Atque hujuſmodi Deos nihilominus terra parturit.

(*) Sub finem.

(*d*) Petavi: de *Incarnatione* lib. 14. cap. XI. §. 22.

IV. Iiſdem ferè temporibus Maximus Madaurenſis, homo Ethnicus ad Auguſtinum ſcribens (*e*) ſic venerationem Martyribus adhibitam irridet, condemnatque. „ Quis „ ferat Jovi fulmina vibranti præferri Mygdonem (legunt alii Migginem) Junoni, Minervæ, Veneri, „ Veſtæque, Sanaem (legunt alii Sanamen) & cunctis (pro nefas) Diis immortalibus Archimartyrem „ Namphanionem (legunt alii Namphamonem) inter „ quos Lucitas etiam haud minore cultu ſuſcipitur, atque „ alii interminato numero, Diis hominibuſque odioſa nomina, qui conſcientia nefandorum facinorum, ſpecie „ glorioſæ mortis ſcelera ſua ſceleribus cumulantes, dignum moribus, factiſque ſuis exitum maculati repererunt? Horum Buſta, ſi memoratu dignum eſt, relictis „ Templis, neglectis majorum ſuorum Manibus, ſtulti „ frequentant, ita ut præſagium vatis illius indigne ferentis „ emineat. *Inque Deum templis juravit Roma per umbras*. „ Sed mihi hac tempeſtate propemodum videtur bellum

(*e*) Vide Epiſtolam olim 43. in editione PP. S. Mauri XVI. n. 2.

„ Actiacum rurſus exortum, quo Egypta Monſtra in Ro-
„ manorum Deos audeant tela vibrare minime duratura.
Idem quoque Auguſtinus lib. XX. contra Fauſtum Cap. XXI. *vulgarem*, atque *poeticam* appellat *Paganorum opinionem*: quæ cenſet *in hoc nos Idola convertiſſe*, quod *Martyrum memorias honoramus*. Vide etiam quæ tradit idem Auguſtinus Cap. 26. libri 8. de Civitate.

V. Mahometanos Sanctorum venerationi adverſari multis quidem argumentis diſcimus, ſed præſertim ex iis quæ Prateolus (*f*) profert. Ex eo nempe novimus plane in eo convenire cum Mahomete Lutherum, quod Sanctis delatas preces, & cultum uterque reprobet. *Mahometes* (inquit Prateolus) *ut omnia innovaret*, *Dei unius prætexebat cultum*. *Itaque Mariam a Chriſtianis pro Deo haberi calumniabatur: unde & Mariæ*, *omniumque Chriſti Martyrum cultum omnem abrogavit*. Porro quis neſcit falſo Prophetæ ac legislatori ſuo plane parere, atque omnino conſentire eos, qui propterea ſe Mahometanos appellant, quod omnes prorſus Mahometis ſui anteceſſoris errores, & falſa dogmata conſectantur?

(*f*) In verbo *Mahometes*.

VI. Quantum Judæis adhibitus Martyribus cultus diſplicuerit, tum alia quidem haud dubia indicia, tum certe cura illa evincit, qua pro viribus ſtuduerunt, ne Chriſtiani Sanctiſſimi Martyris Polycarpi oſſa colligerent. Rem paucis deſcribo ex Euſebio (*g*) interprete Valeſio uſus.
„ Quidam igitur ſuggeſſerunt Nicetæ Herodis Patri,
„ fratri autem Dalces, ut Proconſulem adiret, mone-
„ retque, ne cadaver illius donaret, ne forte, ut ajebant,
„ relicto Crucifixo, hunc deinceps Chriſtiani colere inci-
„ perent. Et iſti quidem hæc ajebant ſuggerentibus, at-
„ que inſtantibus Judæis. Sed ejuſdem in Sanctorum venerationem odii aliud non leve argumentum præbet Leontius in libro 5. *Apologiæ pro Chriſtianis*, *& contra Judæos*, ex quo libro prolixum, & perſpicuum teſtimonium rogatu Legatorum Pontificis Romani legit in II. Nicæna Synodo, actione 4. Stephanus Diaconus, & Notarius. Vide obſecro teſtimonium ipſum. (*h*) Sed de his hactenus.

[*g*] Cap. 15. lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

(*h*) Tom. 8. Conci. pag. 883.

CA-

CAP. II.

Recenſentur ii, qui Chriſtianam fidem profeſſi Sanctorum cultui obſtiterunt, & hujus hæreſis Auctor inquiritur.

I. AD eos itaque veniamus, qui Chriſtianam fidem profeſſi Sanctorum cultui iniquiores ſe præbuerunt; ſed antea animadvertamus oportet eos in duplici differentia conſtitui. Nam alii cultum Sanctorum v. g. Martyrum improbabant, ex eo quod hoſce vere & Sanctos, & Beatos eſſe non agnoſcebant: vel quia Martyrium ipſum non exiſtimabant bonum eſſe, vel quia putabant eos non pro vera, ſed pro falſa religione vitam profudiſſe. Alii vero quamvis Sanctos vere eſſe illos, qui Sancti dicebantur, agnoſcerent, & in Beatis numerarent, illis tamen nullum adhibere Sacrum cultum volebant. Ad primum genus ſpectare videtur Baſilides, de quo mox eloquar, & Gnoſtici, quorum meminit Irenæus, Caini, quos redarguit Hieronymus, & forte ii Novatiani, qui Alexandriæ vivebant, dum illi Eccleſiæ præerat S. Eulogius anno fortaſſe 580. (*a*). Ad id etiam genus ſpectare videntur non pauci Ariani, qui Martyribus a nobis cultis demebant venerationem, vel quia pro eo dogmate mortui erant, quod ipſi improbabant, vel quia ſaltem in ea fide mortui erant, quam ipſi malam putabant. Ad ſecundum genus reliqui fere omnes pertinent. Hic tamen quum hoſtes enumerabo, neminem ſilentio præteribo, quamquam ſi penitius res attendatur, illi tantummodo referendi viderentur, qui Sanctos fatentes, cultum illis negabant.

II. Joannes Gaſpar Rutlandus (*b*) Baſilidem vetuſtiſſimum hæreticum hujuſce erroris auctorem facit, ac vadem dictorum Hieronymum ex ejus Epiſtola 68. citat in margine. *Primus autem* (inquit ille) *qui Sanctos venerandos, invocandoſque negaverit, fuit Baſilides hæreticus antiquiſſimus, teſte Hieronymo &c.* Vixit autem Baſilides antiquiſſimus ille primis Eccleſiæ temporibus, & quarta ex hæreſibus, quas enumerat Auguſtinus, ea eſt quæ ex Baſilide deſumpſit nomen.

III. Edocet Vir eximius Suarez (*c*) in eodem fuiſſe errore Gnoſticos, qui propterea reprehenſi ſunt ab Iræneo Capite 20. libri 3. Et revera in citato Cap. 20. (*d*) hæc verba extant. „ Et quum hæc ita ſe habeant, ad tantam

(*a*) Vide Photii Biblioth. tit. 181. pag. 414.

(*b*) In eo libello, quem inſcripſit *Loci Theologici communes* titulo *De Veneratione, & interceſſione Sanctorum.*

(*c*) In tertiam partem tom. 1. diſp. 52. ſect. 1.

(*d*) In nova editione 18. n. 5.

 „ teme-

„ temeritatem progreſſi ſunt quidam, ut etiam Martyres
„ ſpernant, & vituperent eos, qui propter Domini con-
„ feſſionem occiduntur, & ſuſtinent omnia a Domino
„ prædicta, & ſecundum hoc conantur veſtigia aſſequi
„ Paſſionis Domini paſſibilis Martyres facti, quos & con-
„ cedimus ipſis Martyribus.

IV. Cainis (forte Cajanis) vetuſtis ſane hæreticis viſus eſt aliquando Hieronymus præclaram hanc laudem tribuiſſe. En ipſa Hieronymi verba (e) „ Scribit adver-
„ ſum hæreſim tuam, quæ olim erupit adverſum Ec-
„ cleſiam, (ne in hoc quaſi repertor novi ſceleris glo-
„ rieris) Tertullianus, vir eruditiſſimus inſigne volumen,
„ quod *Scorpiacum* vocat, rectiſſimo nomine: quia arcua-
„ to vulnere in Eccleſiæ Corpus venena diffundit, quæ
„ olim appellabatur Caina hæreſis, & multo tempore
„ dormiens vel ſepulta a Dormitantio ſuſcitata eſt. Porro ſi Caina hæreſis illa eſt, cujus meminit Auguſtinus de hæreſibus diſſerens num. 18., antiquiſſimum fateamur oportet errorem hunc: Et certe haud recentes agnoſcimus hæreticos eos, contra quos Tertullianus ſcripſit.

(e) Cap. 3. alias n. 9. libelli adverſus Vigilantiũ ſcript.

V. Manichæos omnes Sanctorum venerationi infenſos fuiſſe, propterea nonnulli putant, quod S. Auguſtinus Fauſtum Manichæum hoc de errore accuſat. „ Nam quod
„ etiam (inquit Auguſtinus) (f) hinc nobis calumnia-
„ tur Fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in
„ hoc dicens nos idola convertiſſe, non tam me movet,
„ ut huic calumniæ reſpondeam, quàm ut ipſum Fau-
„ ſtum oſtendam ſtudio calumniandi etiam ab ipſius Ma-
„ nichæi vanitatibus exorbitare voluiſſe, & in vulgarem
„ atque Poeticam Paganorum opinionem, a quibus ſe
„ alieniſſimum cupit videri, neſcio quo modo incautum
„ incidiſſe.

(f) lib. 20. cap. 21.

VI. Euſtatium quemdam, ſeu potius Euſtathium, aut Euſtaſium, forte etiam Euſtachium, jubent alii, ut primum venerationis, cultuſque Sanctorum hoſtem agnoſcamus. Mirabile eſt autem quantum varient auctores in deſignando hoc Euſtatio, ſeu Euſtathio, aut Euſtaſio, qui procul dubio a Gangrenſi Concilio damnatus eſt. Putant nonnulli ipſiſſimum illum eſſe Eutactum, de quo loquitur Epiphanius hæreſi 40. Dixere alii eum eſſe, qui Arianorum partibus poſtea favit, & a Baſilio magno (g) acerrime reprehenſus eſt. Sed quiſquis is fuerit, ab eo o-

(g) In Epiſtola olim 79. in nova editione 223. & Epiſtola olim 345. in nova editione 224. iterum vero in Epiſtola olim 74. in nova editione 263. num. 3.

mnium

mnium primo Sanctis adhibitam venerationem fuiſſe impetitam viri doctiſſimi putavere. Idinnuit vetuſtus ſcriptor Jonas Aurelianenſis his verbis (*b*) „ Quapropter veriſimile videtur hujus novitii Sanctæ Eccleſiæ hoſtis animam ex „ duorum animabus priſcorum compactam, atque uno „ corpori indeptam, Vigilantii videlicet, & Euſtatii, „ qui (ut verbis Sedulii utamur) *ambo errore pares*, *quamquam diverſa ſecuti*. Licet enim in plurimis ab alterutro „ deſciverint, in contemnendis tamen Sanctorum Martyrum reliquiis, eorumque ſepulcris dehonorandis, & nonnullis Eccleſiaſticis traditionibus reprehendendis, unum „ perverſiſſime ſenſerunt. Quorum alterius error a Beato „ Hieronymo Sanctæ Dei Eccleſiæ eximio Doctore, veritatiſque fideliſſimo aſſertore, & veſani erroris experientiſſimo execratore ſtrenue ſuperatus: Alterius vero „ in Gangrenſi Concilio perpetuo anathemati a Sanctis „ Patribus eſt deſtructus (forte deſtrictus.) Verum id indubitate ſenſit Alphonſus de Caſtro (*i*) Etenim hæc ait. *Hujus peſtiferæ hæreſeos auctor primus, quod ſciam, fuit Euſtachius quidam, propter hunc errorem, & multos alios in Concilio Gangrenſi damnatus*. Id quoque apertiſſime videtur tradere Bellarminus (*k*) hæc elocutus. *Fuit antiqua hæreſis Euſtachii . . . . Sanctos non eſſe colendos, quæ rurſus per Calviniſtas, & Lutheranos renovata eſt*. Cum enim neminem Euſtachio iſto priorem enumeret, credibile eſt Bellarminum in ea fuiſſe ſententia, ut Euſtachium, ſeu Euſtatium auctorem hujuſce hæreſeos arbitraretur.

VII. Quamquam tempus, quo celebratum eſt Gangrenſe Concilium, minime notum eſt, in dubium tamen verti non poteſt Euſtathium illum, quem damnat Gangrenſis Synodus, ante Eunomium nequiorum Arianorum Principem vixiſſe (*l*): Quippe ſub initium ſæculi quarti Concilium illud celebratum eſt, cum Eunomius non ante annum 356. innoteſcere cæperit. Cenſent porro viri optimi, & doctiſſimi Eunomium adhibitæ Sanctis venerationi omnium primum obſtitiſſe. Profecto Hieronymus ſic Vigilantium alloquitur (*m*). „ Rides de reliquiis Martyrum, & cum „ auctore hujuſce hæreſeos Eunomio, Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis: nec tali ſocietate terreris, ut eadem „ contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur. *Et mox:* „ Niſi forte in morem Gentilium, impiorumque Porphirii, & Eunomii has præſtigias Dæmonum eſſe confingas, & non vere clamare Dæmones,

ſed

[*b*] In ipſo fere initio lib. 1. adverſus Blaſphemias Claudii Taurinenſis pr. par. to. 4. Bibliothecæ Patrum columna 538.

(*i*) In eo libro, quem ſcripſit adverſus hæreſes ad verbum *Sancti*.

(*k*) Cap. XI. libri primi *de Sanctorum beatitudine*.

(*l*) Vide Tillemon. tom. 6. de Arianis differentem ar. 96. pag. 502.

[*m*] Cap. 3. alias 9. libri adverſus Vigilantium ſcripti.

„ ſed ſua ſimulare tormenta. Id quoque affirmare videtur Aſterius in eo Sermone, qui *Encomium Martyrum* inſcribitur, hæc locutus. *Hæc plane Gentiles objiciunt, ac Eunomiani: Nos vere ad utroſque dicamus. Nos minime gentium adoramus Martyres &c.* ſcilicet ab Eunomio, veluti hæreſeos auctore, denominat eos, qui Martyrum cultui adverſabantur.

VIII. Neque aliud, puto, Ambroſius intellexit, dum (*n*) Arianos oppugnatores deſcribit interceſſionis, & miraculorum Sanctorum Martyrum. Etenim hoc vocabulo Eunomii diſcipulos indicaſſe conſentaneum eſt. Nempe deteriorum Arianorum Princeps erat Eunomius (*o*) & propterea Eunomii tempore Ariani vocabantur ii qui Eunomii aſſeclæ erant. At audite verba ipſa Ambroſii. „ Cui tamen celebritati (inquit ille) qui ſolent, invident. Et „ quia celebritatem veſtram invidis animis ferre non poſſunt, cauſam celebritatis oderunt, atque in tantum amentiæ prodeunt, ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam Dæmones confitentur. Sed hoc non mirum; ſiquidem tanta eſt incredulorum perfidia, ut tolerabilior ſit Diaboli plerumque confeſſio. Dicebat enim Diabolus: *Jeſu Fili Dei vivi, quid veniſti ante tempus torquere nos?* Et cum hæc audirent Judæi; ipſi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audiſtis clamantes Dæmones, & confitentes martyribus, quod pænas ferre non poſſint, & dicentes: Quid veniſtis, ut nos tam graviter torqueatis? Et Ariani dicunt: Non ſunt iſti Martyres, nec torquere Diabolum poſſunt, nec aliquem liberare, cum tormenta Dæmonum ipſorum voce probentur, & beneficia martyrum remediis ſanatorum, & abſolutorum indiciis declarentur.

IX. Joannes Maria Verratus Carmelita, Vir doctus (*p*) inventorem hujus erroris eſſe edocet Jovinianum. „ Hujus erroris auctor (inquit ille) & hæreſiarcha primo fuit Jovinianus, & Eunomius, & poſt hos Vigilantius, quem errorem cum ſuis auctoribus, Beatus Hieronymus in Epiſtola ſive libello, quem contra Vigilantium, quem Edormitantium nominat, ſcripſit egregie, recitat, & confutat.

X. At non defuere qui Vigilantium fuiſſe moneant primum Sanctorum cultus, venerationiſque reprehenſorem. Sic nempe diſputant: procul dubio falluntur ii, qui Baſilidi, aut Cajanis id tribuunt. Euſtathium vero illum, ſeu

(*n*) In Frobeniana editione 1538. to. 3. Serm. 91. Apud Petavium lib. 14. de Incarnatione Cap. 11. n. 6. Serm. 5. to. 5. col. 133. In nova Patrum S. Mauri Claſſe 1. Epiſtolarum, Epiſtola 22. n. 16.

(*o*) Vide Auguſtinum in libro de hæreſibus hæreſi 54.

[*p*] In libro, quem appellavit *Diſputationes adverſus Lutheranos* ſub titulo *De Sanctorum Invocatione, ipſorumque ſuffragiis*.

ſeu Euſtaſium, cujus nuper meminimus, auctorem hujuſce hæreſeos minime fuiſſe perſuadere videntur non levia momenta, quæ mox expendentur, quod dicere etiam poſſumus de Joviniano. Quod vero attinet ad Eunomium, ſi non falluntur ii, qui id tradunt, non aliud forte ſignificant, niſi ex impiis Eunomii doctrinis conſequi improbandum fore Sanctorum cultum. Ille enim qui Chriſtum adorare, colereque recuſat, & ſimplicem Creaturam fuiſſe ait, multo maxime cælitibus cultum adimet; & hanc ob cauſam prætermiſſum fuiſſe monent (q) ab Auguſtino, dum Eunomii errores deſcribit, errorem hunc. Supereſt ergo, ut quoniam certum alium auctorem minime comperimus, & de Vigilantio nos dubitare non ſinit Hieronymi auctoritas, Vigilantium hujuſce hæreſeos fateamur auctorem.

XI. Expoſuimus hactenus varia Hiſtoricorum, & Theologorum ſenſa de primo cultus, venerationiſque Sanctorum oppugnatore. Quid ego ſentiam, ſtatim aperiam.

[q] Vide Auguſtinum libro de hæreſibus hæreſi 54.

CAP. III.

Neque Baſilidem, neque eos Gnoſticos, quos cap. 20. libri 3. reprehendit Iræneus, neque Cainos, ſeu Cajanos, neque denique Manichæos omnes, a cultu Sanctis adhibendo abhorruiſſe, probabilibus argumentis evincimus.

I. Baſilidi demo non modo inventionis laudem, verum etiam errorem hunc. (a) Nimirum Auguſtinus, aliique veteres ſtulta Baſilidis dogmata deſcribentes, errorem hunc ſilentio premunt, minime prætermiſſuri, ſi revera Sanctorum cultum reprobaſſet. Quid quod Hieronymus in ea Epiſtola, quem citat Rutlandus, omnino non meminit Baſilidis: ubi vero illius non tantum meminit, verum etiam inſana errata recenſet, quod facit ille in Epiſtola ad Theodoram Viduam, (b) prorſus præterit rem hanc, certè non omiſſurus, ſi Sanctorum cultum reprobaſſet Baſilides. Is fateor a Martyrio Chriſtianos prohibuit, diſſuaſitque, quia ſcilicet Baſilide judice ab eo Chriſtianos arcet Chriſti exemplum, qui ne Martyrium ſubiret, Simonem ſubſtituit: qui Simon ab incautis Judæis Chriſtum neci dare putantibus, Cruci ſuffixus eſt; *non enim*

(a) Vide quæ de Baſilide tradit Epiphanius hæreſi 4. ſive 24.

(b) olim 29. in nova Veronenſi editione 75. n. 13.

enim paſſus eſt (inquit) *Chriſtus*, *neque Crucifixus eſt*; *Quo modo itaque potes*, *inquit*, *confiteri hunc Crucifixum*, *cum non ſit Crucifixus*, *& ignoras qui paſſus ſit?* (c) *qui enim id faciat mercede cariturum cum in ejus*, *qui hominem condidit*, *gratiam iſtud ſuſcipiat* (d). Sed ſi propterea eum vis inter hoſtes cultus Sanctis adhibiti recenſere, eos omnes recenſeas eſt opus, qui auctores ſunt, ne quis Martyr, aut Sanctus fiat, ideoque ne aliquando colatur. Hos tamen inter hoſtes Martyrii, & Sanctitatis annumerabo, ſi vis: inter expreſſos hoſtes cultus Sanctis adhibiti minime annumerabo.

(c) Philaſtri: hereſi 52. & Epiphanius ibidem n. 4.
(d) Epiphan. ibid. n. 4.

II. Ab hæreticis iis, quos reprehendit Iræneus, demptum fuiſſe martyribus cultum, ut candide eloquar, ex Irænei verbis minime aſſequor. Tantum video reprehendi eos, qui a Martyrio Chriſtianos avertebant. Horum falſas opiniones aptiſſime refellit Iræneus primum quidem exemplo, tum verbis Chriſti & Diſcipulos ad Martyrium hortantis, & prænunciantis eorum paſſiones, & præmia ampliſſima pollicentis illi, qui pænas, & tormenta pro ſe toleraſſet, comminantis quoque iis, quos a morte pro ſe toleranda, Tyrannorum cruciatus avertiſſent. *Quicumque ſalvaverit animam ſuam perdet eam, & qui perdiderit inveniet eam* . . . . *Nolite timere eos*, *qui occidunt corpus*, *animam autem non poſſunt occidere*: *timete autem magis eum*, *qui habet poteſtatem & corpus*, *& animam mittere in gehennam*, *& ſervare eas*, *quæ eſſent ad eum confeſſiones*. *Etenim ipſe confeſſurum ſe promittebat coram Patre ſuo eos*, *qui confiterentur nomen ſuum coram hominibus*; *Negaturum autem eos*, *qui negarent eum*, *& confuſurum*, *qui confunderentur confeſſionem ejus*. Quibus adductis tum continuo exclamat. *Et quum hæc ita ſe habeant*, *ad tantam &c.* Tanto vero animo ſius in hujuſmodi ſententiam adducor, quanto ſimilius veri eſt ab Iræneo reprehendi ſi non eoſdem, certe affines eorum hæreticorum, quos Tertullianus in Scorpiaco repellit. Porro hi, ut dicam deinceps, non Martyrum cultum, ſed Martyrium ipſum damnabant, & ab eo fideles abducebant. Quod ſi propterea cultus Martyribus adhibiti hoſtes dicere vis, quod a Martyrio amoventes Chriſtianos, eos prohibebant ne martyrium ſubirent, ideoque ne Martyrium paſſi deinceps colerentur, dic ut libet? Ego quidem tuis dictis minime obſiſtam; paucos tamen, ut arbitror, invenies, qui inter expreſſos hujuſce cultus hoſtes, eos de quibus agimus hæreticos hac de cauſa annumerent.

III. Quo

III. Quo ſpectent ea Hieronymi verba, in quibus Cajanos videtur facere auctores hujuſce hæreſeos, Theologi diſputant, ex eo vel maxime quod neque contra Cajanos, ſeu Cainos peculiariter ſcripſit Tertullianus eum librum, quem *Scorpiacum* appellavit: neque in eo libro quemquam diſtringit, qui cultum Sanctis ademerit: neque, quod noverimus, Cajani in hujuſmodi errorem fuerint lapſi. Quin ipſemet Hieronymus in eodem ipſo adverſus Vigilantium libro, Eunomium, uti vidimus, auctorem hujuſce hæreſeos facit. *Rides de Reliquiis Martyrum, & cum auctore hujuſce hæreſeos Eunomio &c.* Itaque ſic nonnulli accipiunt explicantque Hieronymi dicta, quaſi Gnoſticorum, contra quos Tertullianus Scorpiacum ſcripſit, portio quædam Cajani fuerint: inter eos autem nonnulli extiterint (at certe ii pauci, & neque Auguſtino, qui in libro de hæreſibus eorum errores enumeravit, neque Epiphanio, neque Philaſtico noti) qui Vigilantium hoc in errore prævenerint. Hieronymus autem tribuit cunctis errorem, qui peculiaris aliquibus fuit: quod mirum non eſt: novimus quippe creberrimo experimento eum, qui ab Eccleſia deficit, ut Sectæ adhæreat, erroribus Sectæ communibus ſuos adjungere, nec raro pejores iis ipſis, quos Secta, cui nomen dedit, profitetur. At ego Hieronymi dicta ſic accipienda cenſeo, ut Vigilantius cum iis hæreticis, contra quos Tertullianus ſcribit, in eo conveniret, quod Martyrium, martyreſque deſpiceret. Scilicet, ſicut hæretici illi Martyrium deprimebant, monentes Chriſto minime acceptam eſſe Martyrum mortem, & eorum Sanguinem Deo inviſum, ita Vigilantius Martyrium deprimebat, Martyrum merita, virtutem, & interceſſionem apud Deum attenuans, immo prorſus tollens cum cultu iis adhibito. Huc Hieronymum reſpexiſſe ſubſequentia illius verba declarant. „ Miror quod non dicas nequaquam perpetranda Martyria, „ Deum enim, qui Sanguinem Hircorum, Taurorumque „ non quærat, multo magis hominum non requirere. „ Quod quum dixeris, immo et ſi non dixeris, ita haberis quaſi dixeris. Qui enim reliquias Martyrum aſſeris eſſe calcandas, prohibes Sanguinem fundi, qui nullo honore dignus eſt.

IV. Quod ad Manicheos attinet, ſi generatim loquamur, Venerationis Sanctorum inimicos minime reor: Quippe deſcriptores errorum, quibus infecti fuere Manichæi, hujuſce minime meminere. Quid quod Auguſtinus ipſe ver-

bis nuper adductis non obſcure indicat non Sectæ communem, ſed peculiarem Fauſto Manichæo fuiſſe erorem hunc, & in hujuſmodi re eumdem Fauſtum *calumniandi ſtudio ab ipſius Manichæi vanitatibus exorbitaſſe, & in vulgarem, atque Poeticam Paganorum opinionem. . . . incautum incidiſſe*? Itaque ſi ſubſequentibus ſæculis a cultu Sanctis adhibendo abhorruere ii, qui Manichæorum veluti ſurculi, propagineſque appellati ſunt, quòd veterum Manichæorum impia dogmata excitarunt, inter peculiares eorum hæreticorum, non inter totius Sectæ errores id recenſe: quamquam negare non auſim ex affinitate errorum, opinionumque ſuarum ad demendum Sanctis cultum, aut certe plurimum imminuendum fuiſſe deductos; conſentaneum quippe eſt, ut cultum reliquiis denegent ii, qui carnem, immo corporea omnia execrantur.

CAP. IV.

De Euſtathio, cujus in Concilio Gangrenſi damnantur errores, quique omnium primus Sanctorum cultum improbaſſe putatur, diſſeritur: & duo de eo quæruntur, quiſnam ille fuerit, & num re vera omnium primus adhibitam Sanctis venerationem expreſſe oppugnaverit.

I. VEnio nunc ad Euſtathium, ſive Euſtatium, aut ſi vis Euſtachium, ſeu alium, quiſquis is appelletur, in Concilio Gangrenſi damnatum. Duo ut nuper innuimus de eo quæruntur: quis ille fuerit: & num re vera cultum Sanctis adhibitum fuerit averſatus; nam ſi fuit averſatus, cum nullum, qui in hoc errore eum expreſſe præceſſerit, habeamus, auctorem faciemus illius hæreſis, quæ mox Eunomium, tum Vigilantium, alioſque deinceps plurimos habuit ſectatores.

II. Ut a prima quæſtione exordiar, tres video hac ſuper re opiniones. Cenſet prima illum ipſum eſſe Euſtathium Sebaſtenum Epiſcopum, quem Arianorum partibus fuiſſe addictum Baſilius, aliique ex veteribus indicant. Cenſet alia illum ipſum eſſe, qui ab Epiphanio hæreſi 40. Euctatus appellatus eſt. Tertia denique vult ignotum eſſe noſtris temporibus Euſtathium illum, nec priſca ipſa ætate admodum notum.

III. At quod ad primam attinet, minime adducor ut ſentiam eum, qui in Gangrenſi Concilio damnatus eſt, eum-

eumdem fuiſſe Euſtathium Sebaſtenum Epiſcopum, qui Arianorum, aut certe Semiarianorum partibus, atque erroribus addictus videtur fuiſſe. Quis probabile putet Baſilium illum, qui errores cunctos, & geſta Euſtathii Sebaſteni probe noverat, & ſæpe illi exprobat, damnationem illius, & inſana dogmata in Eccleſiaſtico Concilio, cui interfuit Oſius Baſilio notiſſimus, aut ignoraſſe, aut aſſecutum non manifeſtaſſe?

IV. Multo etiam minus probabile eſt neminem ex veteribus Euſtathii Sebaſteni æqualibus eidem Euſtathio errores eos exprobaſſe, quos Gangrenſis Synodus damnat; cum ſæpe reprehenderint, illique exprobrarint errores ejus, certe non omiſſuri, ſi illum reum, multoque maxime ſi auctorem noviſſent eorum criminum, quæ Gangrenſis Synodus condemnat.

V. Neque flecti te ſinas ab auctoritate Socratis, & Sozomeni, quorum primus, ideſt Socrates cap. 33. editionis veteris (*a*) libri ſecundi, alter vero, ideſt Sozomenus cap. 13. (in editione vetere) (*b*) libri tertii multorum judicio Euſtathium Sebaſtenum Epiſcopum auctorem eſſe hæreſeon in Concilio Gangrenſi damnatarum affirmant. Nimirum affinitate, aut etiam omnimoda convenientia nominis decipi potuere; præſertim quum, ne a nomine Euſtathii diſcedamus, moneat optimus (*c*) Tillemontius Socratem, & Sozomenum produxiſſe Vitam S. Euſtathii Epiſcopi Antiocheni multo longius, quàm Theodoretus diligentiſſimus ſcriptor produxerit. Quippe Theodoretus jam tum mortuum ait, quum electus eſt in Epiſcopum Meletius; ideoque anno 361. vita jam functus fuerat; Socrates tamen, & Sozomenus ordinatum ab eo anno 370. Conſtantinopoli Epiſcopum narrant. Quæ res Tillemontium, alioſque viros ſapientes coegit, ut dicerent tributum id fuiſſe a Socrate, & Sozomeno nominis convenientia deceptis Euſtathio Antiocheno, quod alius egit Euſtathius. Sed quæcumque fuerit Socrati, & Sozomeno errandi cauſa, certe erraſſe videntur, dum Euſtathium Sebaſtenum eorum errorum, qui in Gangrenſi Synodo damnati ſunt, auctorem fecere. Sed non in hoc tantum erravit Socrates, verum etiam in eo, quod Epiſcopum tum diceret, quum a Gangrenſi Synodo damnatus eſt Euſtathius, & hanc ob rem fuiſſe depoſitum. „ Ceterum Eu-
„ ſtathius (inquit Socrates eo, quem nuper allegavimus
„ loco) poſt hæc etiam in Synodo Gangrenſi, quæ ipſius
„ cau-

(*a*) Novæ vero Valeſii 43.

(*b*) At in Valeſii editione 14.

[*c*] Vide Tillemon. tom. 7. Eccleſiaſt. hiſt. in adnot. in S. Euſtathiũ adnot. 5. pag. 654. col. 1.

„ cauſa in Paphlagonia collecta fuerat, condemnatus eſt,
„ eo quod poſt condemnationis ſententiam adverſus ip-
„ ſum probatam in Synodo Cæſarienſi multa contra Ec-
„ cleſiaſticas leges ageret; nam & uxorem ducere prohi-
„ bebat &c. Tamen nullum Epiſcopalis dignitatis in eo, qui damnatur, indicium extat in Gangrenſis Synodi damnatione, quæ eam dignitatem minime diſſimulaſſet, ſi eam aliquando obtinuiſſet Euſtathius, & ab ea (quod narrat Socrates) *a patre ſuo Eulalio Cæſareæ Cappadocum Epiſcopo jam antea depoſitus fuiſſet, eo quod veſtem Sacerdoti minime convenientem geſtaſſet*: & certe ex Baſilii Epiſtolis minime novimus hanc ob rem fuiſſe depoſitum: Quamquam ex Sozomeno intelligimus putaſſe multos, errores, propter quos acerrime reprehenditur, minime edocuiſſe Euſtathium, ſed ab aliquibus illius diſcipulis fuiſſe in vulgus diſſeminatos. *Alii tamen ipſum quidem hac culpa liberant; quoſdam vero ex ejus diſcipulis accuſant, qui nuptias damnarent, & in ædibus conjugatorum orare recuſarent, & Presbyteros, qui uxores duxiſſent, contemnerent &c.*

VI. His argumentis ſecunda ſententia innititur. Affines adeo ſunt Euſtathii in Gangrenſi Concilio damnati errores erroribus Eutacti illius, cujus meminit Epiphanius hæreſi 40., ut ſi diligentius accuratiuſque inſpexeris, ipſiſſimi eſſe videantur, & ſi quod eſt leve, & accidentale illud ſit inter eos, non ſubſtantiale, aut eſſentiale diſcrimen. Cur ergo eumdem horum recuſabis fateri auctorem? Neque enim duos fuiſſe indicant duo hæc nomina Euſtathius, & Eutactus. Nimirum unum fuit hominis nomen, ſed quod dum a librariis tranſcribebatur, ſive id inſcitia fieret, ſive quod provinciæ diverſitas varietatem in pronuntiando, ideoque etiam in ſcribendo efficeret, varie ſcribebatur, cujus quidem varietatis infinita propemodum exempla afferam, ſi afferri vis, & innumera habes in Bollando, Papebrochio, Tillemontio, aliiſque viris clariſſimis de hiſce controverſiis differentibus.

VII. An non etiam provincia, in qua hi errores diſſeminati ſunt, huic conjecturæ favet? Etenim in Armenia eos errores fuiſſe diſſeminatos tam Socrates, & Sozomenus, quam Epiphanius tradunt. Quod ſi dubites eoſdem, aut certe affines errores iis, qui in Gangrenſi Concilio damnantur, ab Eutacto, ſeu Euſtathio, cujus meminit Epiphanius, fuiſſe propoſitos, confer obſecro errores, quos Gangrenſe Concilium damnat, cum iis, de quibus Epiphanius Eutactum

ctum accuſat, videbiſque aut ipſiſſimos eſſe, aut certe adeo affines, ut ſejungi vix poſſint. Damnabat nuptias, & eſum carnium quarumlibet Euſtathius a Gangrenſi damnatus. (*d*) Cætus fidelium in Eccleſiis, & oblationes, quæ ibidem celebrabantur, contemnebant illius diſcipuli, *perfectam in ſua ſcientia vindicantes rationem* (*e*). At nonne credibile eſt damnaſſe nuptias, & eſum carnium quarumlibet illos, quorum Princeps *ſenex fuerat aſperitate ipſa horribilis, & ad ſimulationem affectatus*: *E quorum numero alii jejunia ſimulantes, Monachorum ſpecie ſimplicioribus illudebant, ac ſe bonorum omnium abdicatione venditabant?* Quidnam ſane aliud abdicatio, ſeu renunciatio iſta eſt, cujus peculiariter meminit Epiphanius, niſi ea, quam damnant Canones 14. 15. & 16. Gangrenſis Synodi? Etiam peculiare veſtium genus, quod relictis communibus gerebant ii, quos reprehendit Canon XII. Gangrenſis, apertiſſime tribuit Epiphanius auctori hujus Sectæ, & Eutacti Magiſtro Petro; quippe hic *aſperitate ipſa horribilis, & ad ſimulationem affectatus, Pater vulgo cum ob ætatem, tum ob habitum ipſum appellari ſolebat*. Tribuit quoque Eutacti Diſcipulis, *quod jejunia ſimulantes Monachorum ſpecie ſimplicioribus illuderent*. Quid quod ſimillimum veri eſt ſive ad Sectæ hujus auctorem, ſive ad Conſectatores errorum, quibus ille imbuerat ſuos, reſpexiſſe Concilium Gangrenſe, dum Canone 7. & octavo jubet ut oblationes, primitiæ, & eleemoſynæ tradantur Epiſcopo: quippe Petrus ille Sectæ auctor *pleroſque abdicatis fortunis ad te pertraxit . . . . Idem quidquid habebat, in egenos diſtribuere, & quotidie ſtipem erogare conſueverat*.

VIII. Quod ſi reliquos, quos Gangrenſe Concilium condemnavit, Euſtathii errores prætermiſit Epiphanius, alioſque horum loco recenſuit, ex qua re conjecere non pauci diverſum plane ab Euſtathio illo, quem redarguit Gangrenſe, eſſe Eutactum hunc, cujus Epiphanius meminit illius hæreſes enumerans, vel ignota nobis cauſa quadam id factum eſt, nec tamen inuſitatum: videmus enim ab Auguſtino in ſuo de hæreſibus libro prætermitti non pauca, quæ vetuſtiores ſcriptores recenſent: vel ex eo provenit, quod Eutacti, illiuſque diſcipulorum errores fidei Catholicæ adverſantes exponere tantummodo Epiphanius voluit, non eos, quibus Eccleſiaſticam diſciplinam pervertere ſtuduit Eutactus, cujus hac in parte errores ſtatim a Gangrenſi Synodo condemnati nullos deinceps aſſeclas ha-

(*d*) Vide Can. I. 2. IX. X. XIV. XV. & XVI.

(*e*) Vide Can. XIX.

(f) Ad annum 361. prope finem.

habuere. „ Rurſus vero (inquit Baronius) (f) quos reliquit
„ poſt ſe libros impietate refertos, eoſdem probe cogni-
„ tos idem Epiphanius impugnavit, prætermiſſis erroribus
„ illis ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus in Con-
„ cilio Gangrenſi damnatis, quod vel poſt dictum Con-
„ cilium eſſe deſierint, atque oblivione ſepulti, vel fue-
„ rint cum ipſorum auctore ſimul extincti.

IX. Quod ſi animum diligentius advertas ad ea, quæ de Eutacto illo ſuo Epiphanius ſcribit, apertiſſime intelliges de Eutacti hujus magiſtro id eos tradidiſſe ſcriptores, ex quibus ſuam de Euſtathio monaſticæ converſationis auctore narrationem contexuit Sozomenus, quod idem Sozomenus Euſtathio Sebaſteno tribuit. Hæc ſcilicet in Epiphanio numero ipſo primo Capitis 40. libri illius, quem adverſus hæreſes ſcripſit, invenimus. „ Qui cum infelix
„ (Eutactus) illud dogma combibiſſet, in patriam re-
„ verſus profiteri cæpit quod didicerat. Ejuſmodi porro
„ velut ab aſpide venenum, a ſene quodam hauſerat,
„ nomine Petro, ſed minime hac appellatione digno:
„ qui in Eleutheropolis, & Hieroſolymorum finibus ha-
„ bitabat, tertio ab Hebrone lapide, Oppido, quod Ca-
„ barbaricha nominant. Huic porro ſeni veſtitus erat ini-
„ tio aſperitate ipſa horribilis, & ad ſimulationem affe-
„ ctatus: ac cum extrinſecus ovis pelle eſſet inductus,
„ lupus erat intus rapaciſſimus, & occultus. Anachoreta
„ quippe eſſe videbatur in ſpelunca degens. Qui quidem
„ pleroſque abdicatis fortunis omnibus ad ſeſe pertraxit,
„ Paterque vulgo cum ob ætatem, tum ob habitum ip-
„ ſum appellari ſolebat. Idem quicquid habebat, in ege-
„ nos diſtribuere, ac quotidie ſtipem erogare &c.

X. Sed duabus his opinionibus reclamat tertia quædam opinio, ea nempe, quæ ignotum eſſe vult Euſtathium illum, quem condemnant Gangrenſes Patres. Sic vero diſputant ii, quibus poſtrema hæc opinio placuit. Euſtathium Sebaſtenum Epiſcopum magni nominis inter ſuos illum non eſſe, quem Synodus Gangrenſis condemnat, liquido oſtendunt argumenta ea, quibus inductus eſt Baronius, ut Euſtathio Sebaſteno Eutactum Archonticæ Sectæ Principem ſubſtitueret. At ne eidem Eutacto improbandam laudem hanc tribuamus vetant quædam profecto non levia momenta. Quis nimirum in animum inducat ſuum, aut ignoraſſe, aut ſi non ignoravit, prætermiſiſſe Epiphanium de Eutacto loquentem damnationem Concilii,

cui

cui inter ceteros magnus Oſius, aut interfuit, aut forte etiam præfuit? An parum intererat de ea damnatione lectores certiores facere? Quid quod tam etſi errores quoſdam communes habuerint Euſtathius ille, quem damnavit Gangrenſis Synodus, & Eutactus, adverſus quem ſcribit Epiphanius, negari tamen non poteſt, multos tribui a Concilio Gangrenſi errores Euſtathio, quorum ne meminit quidem Epiphanius, & multos ab hoc deſcribi, de quibus reticet Gangrenſis Synodus. Quod vero ait Baronius propterea id factum eſſe, quia *poſt dictum Concilium eſſe deſierint, atque oblivione ſepulti, vel fuerint cum ipſorum auctore ſimul extincti*, facile repellitur. Etenim ad hiſtoricum diligentem pertinet eas etiam referre pravas opiniones, quas tum nemo ſequitur, præſertim ſi metuere merito poſſumus, ne ſi reprehendere prætermiſerimus, commodum aliquod ex noſtro ſilentio ii deſumant, quos reprehendimus. Quod ſi tot, tantoſque errores, quos Epiphanius non præterit, veteribus Euſtathii erroribus illius addidere diſcipuli, quis putet antiquos illos adeo fuiſſe averſatos eoſdem diſcipulos, ut Epiphanii tempore nulla eorum memoria extaret? Ad hæc: nemo unus, quem noverimus ante Baronium, Euſtathium a Gangrenſi condemnatum eumdem eſſe cenſuit, atque Eutactum Archonticorum Principem, tam etſi ut famam aliquam aliunde etiam ei conciliarent, cum Euſtathio Sebaſteno confunderent. Reliquum itaque eſt, ut ignobilem hominem Euſtathium illum fuiſſe dicamus, adeoque neglectum, ut Hieronymus, qui ut Vigilantio inventionis laudem adimeret, ad Eunomium, atque adeo ad Cajanos uſque aſcenderit, hoſque erroris a Vigilantio evulgati auctores fecerit, omnino non meminerit Euſtathii, tametſi multo apertius, & certius quàm Cajani a Sanctorum cultu fideles Euſtathius averterit.

XI. En quid de Euſtathio varii ſentiant. Hac in re vos ſentite quod libet; neque enim mihi alio properanti propoſitum eſt, ut leviora hæc diſſidia dirimam. Probabilior tamen pleriſque viſa eſt poſtrema ſententia, quæ procul dubio valde fundata eſt.

XII. Supereſt quæſtio altera, quæ magis ad inſtitutum noſtrum pertinet. Num ſcilicet revera Euſtathius ille, cujus in Gangrenſi Concilio damnantur errores, omnium primus adhibitam Sanctis venerationem oppugnaverit. Plerique affirmant. Nonnullos tamen audivi, qui conje-

ctuns quibuſdam ſuis id in dubium vertere contendebant. Singula exponam. Qui improbaſſe ajunt, ſic diſputant. Inter ceteros errores Euſtathii, & Diſcipulorum ejus, qui in Gangrenſi Synodo damnantur, recenſetur quod reprehenderint *Martyrum Baſilicas, & omnes, qui illuc conveniunt, & rem ſacram ibi peragunt*. Id vero conſtat tum ex deſcriptione, enumerationeque errorum Euſtathii, tum ex Canone 20. qui Interprete Gentiano Herveto talis eſt: *Si quis arrogantia utens, & Martyrum congregationes abhorrens, & ſacra, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias accuſet, ſit anathema:* tum denique ex concluſione ipſa, & veluti complexione, atque epilogo totius doctrinæ Concilii. En ipſa illius verba. „ Domos Dei honoramus, & qui „ fiunt in iis conventus, ut ſanctos, & utiles recipimus, „ non pietatem in Domibus includentes, ſed omnem lo„ cum in Dei nomine ædificatum honorantes, & quæ fit „ in ipſa Eccleſia congreſſionem ad publici utilitatem re„ cipimus, & inſignes fratrum beneficentias . . . . & ut „ ſemel dicamus, quæ a Divinis Scripturis, & Apoſto„ licis tradita ſunt, in Eccleſia fieri optamus. Porro duo errores Euſtathii damnantur a Concilio; alienatio a fidelium cætibus, & contemptus, ſeu accuſatio memoriarum Martyrum. Vide Canonem 20. nuper citatum. Itaque erroribus ceteris jungebat Euſtathius contemptum Martyrum, & reprehenſionem cultus eorum: quem errorem appellat Synodus accuſationem. *Si quis . . . . . eorum Martyrum memorias accuſet, ſit anathema.* His, quas intrinſecas probationes appellare poſſumus, extimas addunt ſane non contemnendas, auctoritatem ſcilicet Alphonſi de Caſtro, Bellarmini, & præſertim Jonæ Aurelianenſis, quorum verba jam allegavimus. Quid quod conjecturas profecto non leves addere poſſumus ad id ipſum comprobandum? Nonne ſimillimum veri eſt adhibere martyribus cultum recuſaſſe eos, qui inter Martyres multos recenſere cogebantur, qui dogmata, quæ ipſi in Eccleſiam inducere ſtudebant, exemplo damnabant ſuo? Quot enim inter Martyres recenſemus, qui ſacris nuptiarum nexibus fuere devincti? Plurimos etiam inter Martyres colimus, qui ſacros cætus frequentabant, qui Eccleſiæ oblationes exhibebant.

XIII. At nudius tertius virum doctum audivi, qui adverſus hæc ſuſpiciones quaſdam ſuas mihi propoſuit, quas diſſimulare nefas duxerim. En illæ. Difficillimum ad credendum eſt, quod

quod veteres omnes, qui de Sanctorum cultu locuti ſunt, Gangrenſis Synodi Canones ignoraverint, præſertim quum aſſeruerit Symmacus in Concilio Romano VI. a ſe coacto hujuſce Concilii Canones Apoſtolica auctoritate fuiſſe conditos (g) Quod ſi eos Canones non ignoraverunt, & tamen inter Vigilantii anteceſſores minime Euſtathium enumerarunt, reliquum eſt, ut inter Vigilantii anteceſſores recenſeri ille nequeat, ideoque vel deceptus ſit Jonas Aurelianenſis, qui primus omnium, quos noverimus, id tradit, aut certe ita ſit intelligendus, uti intelligitur S. Hieronymus, dum Cajanos anteceſſores Vigilantii facit. Martyres quippe, eorumque cultum reprehendere videtur ille, qui ab eorum Baſilicis abeſt: vel demum ita ſit intelligendus, ut tam Euſtathius, quam Vigilantius pares in errore fuerint, quod uterque a veteribus, & eccleſiaſticis traditionibus receſſerit, ſuaque ſenſa Patrum monitis, & ſuos privatos conventus publicis fidelium conventibus in Eccleſia factis antepoſuerit. Sic certe interpretari poſſumus verba Jonæ Aurelianenſis poſita in ipſo fere initio libri primi adverſus blaſphemias Claudii Taurinenſis. Et hæc quidem ex negativo argumento proferebat præclarus ille, quem dixi Vir. Ex ipſiſmet vero Concilii verbis, ideoque ex poſitivo argumento ſic diſputabat. Neque invocationis, neque precum, quæ Sanctis deferuntur, Concilium meminit, tam & ſi hæc potior, & ut ita loquamur, ſubſtantialis, atque eſſentialis pars hujuſce cultus ſit: neque etiam meminit reliquorum argumentorum, quibus hic cultus adhibetur. Omnino etiam reticet interceſſionem, & alia interceſſioni affinia, tam & ſi fere interceſſione innitatur Sanctorum cultus.

(g) Vide tom. v. Concil. col. 511.

XIV. Reprehendebatur itaque ab Euſtathio Catholicorum conſuetudo, quòd ſacra peragerent, conventus cogerent, & preces publicas funderent tantummodo in Eccleſiis, ſeu in Baſilicis Martyrum, quæ ſæpe Oratoria, & Martyria appellabantur, deſumpto nomine a precibus, quas fideles ibi fundebant, & a Martyrum Sepulcris, & monumentis. Euſtathius nimirum, & Euſtathii aſſeclæ ædes privatas eligebant, in quibus ſacra facerent, cætus cogerent, & preces funderent, non quo Martyres contemnerent, iiſque adhibitam venerationem odiſſent, ſed quod in aliis non paucis, atque in hac quoque re ab Eccleſiaſtica conſuetudine ſe flecti non ſinerent, & ſuam auctoritatem, & peculiares ritus, Eccleſiæ aucto-

ritati, ritibuſque anteponerent. Id certe indicant ea Concilii verba. „ Martyrum quoque Baſilicas, & omnes, „ qui illuc conveniunt, & rem Sacram ibi peragunt, re„ prehendere . . . . Nam unuſquiſque eorum, cum ſe„ mel ab Eccleſiaſtico Canone receſſit, veluti proprias ſi„ bi leges habet. Neque enim communis his omnibus ſen„ tentia eſt: ſed unuſquiſque quod ſibi venit in mentem, „ hoc adjecit in ignominiam Eccleſiæ, & ſuum ipſius da„ mnum.

XV. Quod ergo quoddam non leve genus contemptus videbatur eſſe hæc alienatio a cætibus fidelium in Martyrum templis coactorum, deſpicique videbantur non modo fideles, eorumque myſteria, & cætus, ſed & Martyres, in quorum Baſilicis agebantur, propterea contemptum Martyrum, & memoriarum eorumdem Martyrum Synodus tribuit Euſtathio, & illius aſſeclis. At animadvertas velim, non perſuaſioni de dempta martyribus interceſſione, de contemptis, aut minime auditis precibus noſtris, aut alteri cuipiam his affini, ſed arrogantiæ id aſcribi. *Si quis arrogantia utens, & Martyrum congregationes abhorrens, & ſacra, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias accuſet, ſit anathema.* Porro ſi in ea, pro qua poſtea ſtetit Vigilantius perſuaſione ſtetiſſet Euſtathius, id expoſuiſſet Synodus, non tantum arrogantiam, quam procul dubio in eo detegimus, qui privatos conventus agi vult a fidelibus in æde non ſacra, & martyrum corporibus, & reliquiis, ceteriſque quæ dudum Eccleſiaſtica conſuetudine in more erant, deſtituta.

XVI. Tametſi vero non pauci putent errores Euſtathii duos commemorari a Concilio in Canone 20, nempe alienationem a fidelium cætibus, & locis, in quibus Sacra peragebantur (quæ alienatio damnata antea etiam fuerat Can. 5.) & condemnationem venerationis adhibitæ Martyribus, ſeu eorum memoriis: *Et eorum memorias accuſet*: non propterea certo novimus duos errores ibi commemorari. Sæpe enim, ut firmius, vehementiuſque inculcetur eadem res, variis exprimitur modis, & ſi improbanda eſt, illius damnatio iteratur. Nonne videmus Can. 5. & 20. iterari damnationem alienationis a fidelium cætibus? Vox autem illa, quam Latinus interpres vertit *accuſare* (*memorias accuſet*) verti commode poteſt, reprehendere, contemnere, aut aliud his affine: tum vero ea ſubeſt explicationi, quam nuper attulimus, & ſi ea non

pla-

placet, dic accuſatas memorias, quod accuſarentur ii cætus, qui propter memorias, aut certe ad memorias Martyrum fiebant. Si enim eos non accuſaſſent Euſtathius, & ſui, cur ad eos non accedebant, & cum reliquis fidelibus preces non fundebant, nec dies agebant feſtos? At age: duplicem Euſtathii errorem commemorarit Synodus. Duplicem errorem agnoſcemus, quorum primus eſt abeſſe a fidelium cætibus, ideoque a communione precum, oblationum, & reliquorum emolumentorum, quæ ex ea communione proveniunt, & quibus ſe privant, qui ab iis abſunt, *in ignominiam Eccleſiæ, & ſui ipſius damnum*. Alter vero non celebrare memorias Martyrum, quæ celebrabantur recitatis eorum actis, & laudibus, quibus incitamur ad virtutes, deducta ab eorum exemplo exhortatione: ideoque non adhibere cultum eorum reliquiis, & id genus alia, quæ exercebant fideles ad eorum memorias coacti, exercere vero non poterant ii, qui a cætibus fidelium ad Martyrum memorias coactorum ſeſe removerant. Quamquam vero vocabulis his *memoriæ Martyrum* ſignificari conſueverint monumenta, & reliquiæ Martyrum, indubitatum eſt tamen feſta etiam in Martyrum honorem inſtituta iiſdem verbis ſignificari: dicebantur quippe *memoriæ*, quia ad celebrandam Martyrum memoriam inſtituta erant; hinc in publicis precibus eorum nomina exponebantur, recitabatur Oratio panegyrica in eorum laudem, aliaque id genus peragebantur, ob quæ *memoriæ* appellari poterant ea feſta: Quid? quod convenientiſſimum eſt ad eam ſignificationem reſtringere vocabula iſta. Etenim feſtorum celebratio eccleſiaſticos conventus expoſcit, quos non expoſcit Sanctorum cultus. Porro ad eccleſiaſticos conventus, a quibus aberant Euſtathius, & ſui, apertiſſime Concilium reſpicit.

XVII. Jonæ Aurelianenſis auctoritati facile occurritur, ſi ea attenderis, quæ nuper propoſui. Alphonſus de Caſtro, & Bellarminus probatiſſimi quidem ſunt; at vel decipi ii potuere, vel latiori quadam ſignificatione hujus erroris auctorem fecerunt Euſtathium, quatenus negligens ſacros conventus, & feſta in Martyrum honorem celebrata, Martyribus honorem ab Eccleſia adhibitum præſtare omittebat.

XVIII. Perſpicuum eſt vero eas, quæ allatæ ſunt, conjecturas minime nos cogere, ut Euſtathium a Gangrenſi damnatum delati Sanctis cultus hoſtem fuiſſe dicamus;

Fateor, ſi vis, eos Sanctos, quos ſuis erroribus adverſantes noverat, minime coluiſſe. At reliquos, quos Virginitas, pauperieſque laudabiles, interdum etiam Martyres effecerat, colere poterat, & generatim eos, quos a ſua doctrina minime abhorruiſſe credebat. Sed de Euſtathio fortaſſe plus ſatis.

CAP. V.

Exponitur quid de Eunomio, & Arianis, quid de Joviniano, quid denique de Vigilantio ſentiamus.

I. VEnio ad Eunomium, quem Vigilantii anteceſſorem, auctoremque erroris hujus manifeſto tradit Hieronymus, neque obſcure id indicat Aſterius, quorum jam verba retulimus. De eo fere ſentiunt hiſtorici, aut omnium primum Sanctorum cultum expreſſe improbaſſe, aut certe indicatum potius, quàm palam propoſitum ab aliis errorem manifeſto, & audacter edocuiſſe. Hinc vero proveniſſe, ut Eunomiani dicerentur, qui Sanctorum interceſſionem, miracula, adhibitamque illis venerationem ferre non poterant, & Arianis attribueretur ea opinio, non quo revera Arianorum omnium foret, ſed quod vel eorum foret, qui puram, & nulla explicatione, coarctationeque lenitam Arii doctrinam profiterentur, cujuſmodi erant Eunomius, & ejus aſſeclæ, vel quod eorum foret, qui omnino ferre non poterant illos, quos in Catholica religione, interdum etiam pro ea mortuos noverant. Præclaros ſane magiſtros, eos ſcilicet, quos omnium Arianorum peſſimos, & deterrimos antiquitas omnis execrata eſt. Neque vero temere hujus erroris expertes reliquos, mitiores ſaltem Arianos fuiſſe monui. Cur enim id illis tribues, quando quidem neque ab Auguſtino, neque ab aliis, qui veterum errores, atque hæreſes ſcriptis tradiderunt, error hic inter omnium Arianorum, aut Semiarianorum errores recenſetur? aliunde vero novimus eos, qui inter Arianos, aut certe inter Semiarianos enumerantur, a Sanctorum cultu minime fuiſſe alienos. Tales ſunt Euſebius Cæſarienſis, & auctor ille, cujus commentaria in Job ſub Origenis nomine prodierunt, quem Eraſmus Ariana labe infectum putavit. An non etiam Rex Athalaricus Arianus (a) Sanctorum cultum haud obſcure approbat, dum eorum

(a) Caſſiod. lib. 8. Epiſt. 33.

rum

rum defenſionem ſuſcipit, qui *ad Natale Sancti Cypriani religioſiſſime venerant peragendum*? Quis etiam dubitet Conſtantium Auguſtum, tam Arianorum, aut ſi vis, Semiarianorum partibus addictum, quàm Athanaſio, & fidei Nicænæ adverſantem, Sanctos coluiſſe, poſtquam hæc ex Philoſtorgio didicerimus? (*b*) „ Multis laudibus Conſtantium effert Philoſtorgius, atque eum Conſtantinopoli Eccleſiam ædificaſſe, quæ re vera & eſt, & dicitur magna. Reliquias etiam Andreæ Apoſtoli ex Achaja eum tranſtuliſſe ſcribit in Eccleſiam, quam ipſe abſolverat, quæ Apoſtolorum vocatur. Et juxta eam Eccleſiam Patris ſui tumulum collocaſſe. Lucam præterea Evangeliſtam ex eadem Achaja ab eo translatum eſſe in ſupradictam Eccleſiam. Timotheum denique Apoſtolum ab urbe Joniæ Epheſo in celebrem illam, ac venerabilem Baſilicam juſſu ejuſdem Conſtantii depoſitatum fuiſſe. „ Quod confirma, ſi vis, auctoritate Theodori Lectoris, (*c*) quippe ut ex excerptis hiſtoriæ illius conſtat „ Conſtantii temporibus allatæ ſunt Conſtantinopolim reliquiæ Sanctorum Apoſtolorum, Timothei ante diem octavum Calendas Julias: Andreæ autem, & Lucæ ante diem quintum nonas Martias, & depoſitæ ſunt in magna Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum ab ipſo dedicata.

II. Quod ſi Auxentius ille Mopſveſtenus Epiſcopus, cujus meminit Surius in vita S. Nicetæ, Arianus fuit, (quod putavit Tillemontius) (*d*) hinc etiam conjicere recte poteris Arianos re vera Sanctorum reliquias, ideoque Sanctos ipſos coluiſſe. Vide quæ tradit Surius (*e*).

III. Macedonianos porro eadem fere, quæ Semiariani, immo Ariani ipſi ſentiebant, ſenſiſſe certa res eſt, in eo tantum ab Arianis differentes, quod Macedoniani Verbo Divinitatem tribuerent, demerent Spiritui Sancto, cum Ariani Verbo etiam demerent, imminuerent vero Semiariani, minorem Patre Deum fere tradentes eſſe. At procul dubio Macedoniani Sanctos, eorumque reliquias coluere. Id diſcimus ex Sozomeno (*f*) apertiſſime docente ab Euſebia Diaconiſſa, & a Monachis Sectæ Macedonianæ Sanctorum Quadraginta Martyrum reliquias eximie fuiſſe cultas. An non etiam Martyres coluit Rex ille, cujus Gregorius Turonicus (*g*) meminit, qui tam etſi *ad ſepulcra Martyrum oraret*: *tamen Spiritum Sanctum Deum penitus eſſe non credebat?*

(*b*) num. 2. lib. 3.

[*c*] ſub finem lib. 1. interprete Valeſio.

(*d*) tom. 5. hiſt. Eccle. pag. 301.

(*e*) 15. ſeptem. pa. 262.

(*f*) lib. 9. cap. 2.

[*g*] lib. 6. hiſtor. Francorum cap. 18.

IV. Exem-

IV. Exempla reliqua miſſa facio, tam etſi multa: arbitror enim hæc ſatis eſſe ad oſtendendum non eos omnes, qui inter Arianos, aut ſaltem inter Semiarianos enumerati ſunt, etiam inter hoſtes cultus Sanctis adhibiti numerari poſſe.

V. Porro ex hactenus dictis habetis quid de opinione Verrati dicendum ſit, qui ſcilicet Jovinianum in hoc errore Eunomii anteceſſorem judicat. Eunomius, niſi fallimur, Jovinianum ætate præceſſit; & ſi forte non præceſſit, & eodem tempore uterque vixit, non hunc continuo Eunomio adjunxerim. Nimirum prorſus non video in hoc errore verſatum fuiſſe Jovinianum. Conſenſit quidem Joviniano in multis opinionibus Vigilantius, quam ob cauſam *mentem Joviniani in eo renatam* per jocum dixit Hieronymus (*b*), Joviniani comitem, & pediſſequum Vigilantium alii appellavere. At quod ad Sanctorum cultum attinet, ab hoc errore alienum fuiſſe arbitror Jovinianum. Nempe Joviniani errores hi erant. Virginitatem in merito parem eſſe Matrimonio. Eos qui baptizati vere ſunt, a Diabolo ſubverti non poſſe. Minime diſtare veſcentem cibis a jejunante, ſi cum gratiarum actione comedat. Æquale futurum fore Beatorum præmium. Quin ſi credimus Auguſtino accurato Scriptori, omnia peccata eſſe paria. Mariam, cum peperit, deſiiſſe eſſe Virginem. Quod ad Virginitatem contemptam attinet, aut omnino, aut fere conſenſit Joviniano Vigilantius. Id nempe conſtat ex num. 2. libelli contra Vigilantium ſcripti, ex quo etiam conſtat Epiſcopos aliquos in ſuam traxiſſe Sententiam, eos nimirum qui *non ordinabant Diaconos, niſi prius uxores duxiſſent: nulli cælibi credentes pudicitiam &c.* Quod ſi de deſpectis jejuniis ſermonem inſtituas, Joviniano comitem adjungere poſſumus Vigilantium, quem merito cum Joviniano contulit Hieronymus, quum in ipſo libelli contra Jovinianum initio hæc protulit. „ Ille (Jo„ vinianus) Romanæ Eccleſiæ auctoritate damnatus, in„ ter phaſides aves, & carnes ſuillas non tam emiſit ſpi„ ritum, quam eructavit. Iſte Caupo Calaguritanus, & „ in perverſum propter nomen viculi mutus Quintilianus, „ miſcet aquam vino: & de artificio priſtino ſuæ vene„ na perfidiæ, Catholicæ fidei ſociare conatur, impugnare „ Virginitatem, odiſſe pudicitiam, in convivio ſæcula„ rium contra Sanctorum jejunia proclamare. In reliquis, ut nuper dixi, conveniſſe non video Vigilantium cum Joviniano.

[*b*] nu. 1. libri adverſus eum ſcripti.

VI. Jam

VI. Jam vero, ut puto, plane noſcitis Vigilantium auctorem dici non poſſe hujuſce hæreſeos: Quippe eum aut præceſſit Euſtathius a Synodo Gangrenſi damnatus, aut ſi Euſtatium Sanctorum cultui minime adverſatum fuiſſe arbitreris, certe præceſſit Vigilantium Eunomius, cujus prava ſenſa circa Sanctorum interceſſionem, & cultum iis adhibitum, tum alia multa oſtendunt, tum deſpicientia miraculorum, quæ per Sanctorum reliquias peragebantur. Vide quæ nuper diximus. Ego ſane compertum reor Eunomium prave ſenſiſſe de Sanctorum patrocinio, curaque noſtri, & cultu iis adhibito: ideoque cum ætate Vigilantium præceſſerit, Vigilantio adimo hujus erroris inventionem. Neque vero ex eo quod, dum Eunomii errores recenſent, hunc reticeant Philaſtrius, & Auguſtinus, inferre poſſumus eidem errori Eunomium non adhæſiſſe: Quippe alios aliorum Hæreticorum errores ſæpe non enumerant Philaſtrius, & Auguſtinus, at eos ex aliis Scriptoribus intelligimus, ex quibus etiam diſcimus, ſi ex Philaſtrio, & Auguſtino non diſcimus, Sanctorum interceſſioni, miraculis, & cultui obſtitiſſe Eunomium.

CAP. VI.

Recenſentur ii, qui Sanctorum cultum poſt Vigilantium ad noſtra uſque tempora oppugnaverunt.

I. POſt Vigilantium primi eorum, quos ego noverim, adhibitum Sanctis cultum oppugnare viſi ſunt ii Novatiani, qui Alexandriæ morabantur, dum illi Eccleſiæ præerat S. Eulogius forte anno 580. (*a*). Num Novatiani reliqui eidem errori adhæſerint, incertum eſt, at hujuſce rei nullum probabile argumentum mihi occurrit. At etiam oppugnaverunt Pauliciani. Hi errores ſane non leves propoſuere, quorum ſeriem texere præſentis inſtituti non eſt. Vos monuiſſe ſit ſatis hæreſim hanc in Armenia potiſſimum viguiſſe ſæculo ſeptimo, & de ea loqui tum alios multos, tum certe inter vetuſtiores (*b*) Euthymium (qui Photium citat) (*c*) Petrum Siculum (*d*) Cedrenum, & Zonaram (*e*) tum inter recentiores Petavium, (*f*) licet paucis, & Natalem ab Alexandro. (*g*) Quis enim putet eos Sanctorum venerationi non fuiſſe adverſatos, qui communibus Manichæorum erroribus, & ſummo in Dominicam Crucem odio, hos etiam errores adjunxerint? quos quidem ex Cedre-

(*a*) Vide Photii Bibliothecam tit. 182. pag. 414.
[*b*] in Panop. tit. 21.
(*c*) pag. 18.
(*d*) pag. 434. edit. Pariſ. 342. Venet.
(*e*) lib. 16. annal. num. 2. pag. 156. edit. Pariſ. 122. Venetæ.
[*f*] 15. de incarn. cap. 7. §. 4. & 5.
(*g*) in ſua hiſt. ſæculi 7. cap. 2. ar. 3.

dre-

dreno referre placet. *Immoderata maledicendi impietate Sanctiſſimæ Deiparæ obtrectant. . . . . Vates quoque divinos, & reliquos Sanctos explodunt. Beatum Petrum magnum illum Apoſtolorum principem gravius reliquis omnibus & infamant, & prorſus a ſe rejiciunt, negantes eum in ullam ſalutis partem venire.*

II. Eundem etiam cultum oppugnaverunt non pauci ex iis, quos derivato a Græca lingua nomine Iconoclaſtas appellamus, ideſt Imaginum fractores, ſeu hoſtes, & oppugnatores. Dixi *non pauci*; tam etſi enim multi ex iis Sanctorum interceſſionem, & patrocinium agnoverint, neque manifeſto delatam eis venerationem oppugnaverint, ſed tantum Imagines, alii tamen ex eorum cætu omnino cum Vigilantio ſenſiſſe viſi ſunt, quin immo Vigilantii erroribus adjunxiſſe odium Imaginum, non Sanctorum tantum, verum Mariæ, & Chriſti ipſius. Hinc duæ veluti ſectæ Iconoclaſtarum effectæ ſunt, e quibus mitior Imagines tantum oderat: ceterum interceſſionem Sanctorum, & delatum eis cultum approbabat: deteriori alteri & Imagines, & interceſſio, & deprecatio, & cultus ſanctis adhibitus diſplicuerunt.

III. Ut a mitiori exordiar, Synodus, quæ imperantibus Conſtantino, & Leone Conſtantinopoli ab Iconoclaſtis Epiſcopis celebrata eſt, quæque ſe generalem perperam appellavit, quod ad interceſſionem Sanctorum, & cultum iis delatum attinet, cum Catholicis conſentire videtur, & vera eloqui. Sane tomo ſexto ſub finem definitionum hæc proponit. „ Si quis non confitetur Sanctam ſemper Virginem Mariam proprie, & vere Dei „ Genitricem, ſublimiorem eſſe omni viſibili, & inviſibili Creatura, & cum ſincera fide ipſius non expetit „ interceſſiones, tamquam fiduciam habentis ad Deum „ noſtrum, qui ex illa genitus eſt, anathema. „ Si quis „ non confitetur omnes Sanctos &c. Affinia tradit ea Epiſtola, quæ Michaelis, & Theophili Imperatorum nomine ad Ludovicum Imperatorem data eſt (1)

Tom. 8. Conci. pa. 1174. & 1176.

IV. Contra deteriores Iconoclaſtæ, ut nuper dixi, non modo Imagines, & Venerationem iis adhibitam averſati ſunt, verum etiam ſæviere in Reliquias, & interceſſio-

(1) *Poſtulantes interceſſiones, & interpellationes inviolatæ dominatricis noſtræ Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum.* Præponitur ea epiſtola iis ſcriptis, quæ Synodo Pariſienſi tribuuntur.

ſionem Sanctorum, cultumque iis delatum improbaverunt. Id indicat quidem Epiſtola prima Gregorii II. Romani Pontificis ad Leonem Iſaurum Imperatorem, quæ præponitur actis Concilii ſeptimi Generalis, Nicæni II. (*b*) ſed non obſcure quod ad interceſſionem Sanctorum, & Reliquiarum cultum attinet, id ipſum oſtendit Confeſſio Theodoſii Epiſcopi Ammorii, qui actione prima introductus in Concilium, ut ſuſpicionem erroris a ſe amoveret, Confeſſionem recitavit, in cujus limine ipſo hæc extant. (*i*) ,, Confiteor, & polliceor, & recipio, amplector, atque adoro principaliter intemeratam iconam Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri, & iconam Dei Genitricis, quæ illum ſine ſemine peperit, & auxilium, & protectionem ejus, & interceſſiones illius unaquaque die, ac nocte invoco ut peccator in adjutorium meum, tamquam eam, quæ habeat confidentiam apud Chriſtum Dominum noſtrum, qui ex ea natus eſt. Pari modo Sanctorum, & laudabiliſſimorum Apoſtolorum, Prophetarum, & Martyrum, & Patrum, atque cultorum Eremi iconas recipio, & adoro, non tamquam Deos (abſit) ſed affectum, & amorem animæ meæ, quem habebam prius in eos, etiam nunc oſtendens, rogo cunctos illos ex tota anima, ut intercedant pro me ad Deum, quatenus det mihi per interceſſiones eorum invenire miſericordiam penes ſe in die judicii. Similiter & lipſana Sanctorum adoro, & honoro, & amplector tamquam eorum, qui decertaverint pro Chriſto, & acceperint gratiam ab ipſo ad ſanitates efficiendas, & languores curandos, & Dæmones ejiciendos, quemadmodum Eccleſia Chriſtianorum ſuſcepit a Sanctis Apoſtolis, & Patribus, & uſque ad nos.

V. Quid quod Cedrenus (*k*) hæc de Leone Armeno ſcribit? ,, Enim vero Imperator Leo non tantum in errore de venerandarum Imaginum debita adoratione verſatus eſt, ſed etiam de Deiparæ, omniumque Sanctorum interceſſionibus impie ſenſit, omniumque Sanctorum reliquias more Arabum ſuorum Præceptorum abominatus eſt. Idem Cedrenus de Conſtantino Copronymo Leonis Armeni improbi Imperatoris nequiore Filio (*l*) hæc eloquitur. ,, Atque adeo univerſali edicto vetuit, ne quis in univerſum ſervorum Domini, ſancti titulo cohoneſtaretur: quin immo conſpui (*forte conculcari*, *aut proteri*) eorum Reliquias inventas juſſit, prohibuitque eorum in-

(*b*) Ibid. pag. 658.

(*i*) Ibid. pag. 706.

(*k*) para. 213. pag. edit. Pariſ. 455. Venet. 359.

(*l*) para. 217. pag. edit. Pariſ. 459. Venetæ 363.

„ terceſſionem poſtulari, quod eos nihil poſſe diceret. „ Atque addidit ſceleſtus, Mariæ quoque Virginis interceſſionem non eſſe implorandam; nihil enim præſtare „ poſſe (2).

VI. Haud ita multo poſt in Occidente Claudius Taurinenſis eam ob rem reprehenſionem Virorum optimorum offendit. Et ſane quod ad Imagines, & Cruces attinet, adeo manifeſta ſunt Claudii ipſius dicta, (*m*) adeo manifeſtæ ſunt accuſationes Dungali, & Jonæ Aurelianenſis adverſus eumdem Claudium, ut in dubium revocari non poſſit prava hac in re Claudii mens. Quod vero ſpectat ad memorias, ſeu Baſilicas, & monumenta Sanctorum, quis auſit eum omnino erroris expertem declarare? Neque enim dubitare ea de re ſinunt verba, quæ prope finem libelli, quibus Claudii Sententiæ defenduntur, extant. Adde ſi vis verba Jonæ Sententiam Claudii ipſiſmet ejuſdem Claudii vocibus exponentis (*n*). „ Ego enim iter illud (Romam) non approbo .... Qui hoc modo „ (ut ſupra dictum eſt) Claves Regni Cælorum intelligit, interceſſionem Beati Petri localiter non requirit..... „ Audite & hoc inſipientes in populo, & ſtulti aliquando „ ſapite, qui interceſſionem Apoſtoli Romam pergendo „ quæritis, quid contra vos dicat ſæpe dictus Beatus Au„ guſtinus &c.

VII. Quod ſi quæratur quid univerſim de Sanctorum interceſſione, & cultu a nobis iiſdem ſanctis adhibito ſentiret Claudius, ſtatim expono. Repete hic primum ea Claudii verba, quæ leguntur in nuper allegato libello: Ex iis ſcilicet liquido conſtabit, quàm pravè de Sanctorum interceſſione ſentiret. *Audite & hoc inſipientes &c.* Tum adjunge ea, quæ paulo ante de Sanctorum interceſſione

(*m*) Ea legas opto in eo libello, qui inſcribitur *Apologeticum, atque reſſcriptum Claudii Epiſcopi adverſus Teutmirum Abbatem*, & præpoſitus eſt illi libro, quem adverſus eumdem Claudium ſcripſit Dungalus, extatque parte ſecunda Biblioth. Patrum pag. 150.

(*n*) Vide pag. 578. 1. par. tom. 4. Biblioth. Patrum.

Tom. 2. li. 15. n. 8.

(2) Zonaras quoque hæc de Conſtantino Copronymo narrat „ Neque vero viventes dumtaxat Chriſti ſervos exagitavit, „ ſed & Divis Martyribus, & aliis Deo gratis inſultare „ non deſtitit, quos nihil poſſe aſſerebat, eorumque interceſſiones ficulneum preſidium appellabat: Reliquias autem partim per contumeliam terra obruit, partim demerſit, partim in cineres redegit. Paulo vero ante, ſeu num. VII. hæc de eodem Conſtantino enarrat. „ Et „ eo impietatis eſt progreſſus, ut etiam Sanctorum Reliquias igni traderet, & Sancti titulum neque Deiparæ, neque ulli eorum, qui Deo placuere, tribui juberet, ſed dici vellet: Apoſtolus Petrus, & Paulus, „ Martyr Georgius, & Theodorus, & ſic in ceteris.

ſione tradiderat: Et palam agnoſces tum interceſſionis Sanctorum, tum cultus iis adhibiti apertiſſimum hoſtem fuiſſe Claudium. En ea quæ dixi Claudii verba. „ Ac per hoc „ ſciendum eſt, quod tamdiu Antiſtitibus Eccleſiæ iſtud „ miniſterium conceſſum eſt, uſque dum ipſi peregrinan- „ tur in hoc mortali corpore: cum vero debitum mortis „ exſolverint, alii ſuccedunt loco ipſorum, qui eamdem „ obtinent judiciariam poteſtatem.... Quid eſt dicere: „ ſi fuerint in medio ejus Noe, & Daniel, & Job, id eſt „ ſi tantæ ſanctitatis, tantæ juſtitiæ, tantique meriti ſint, „ quantæ illi fuerunt, non liberabunt filium, neque fi- „ liam?.... Hæc idcirco dico, ut nemo de merito, vel in- „ terceſſione Sanctorum confidat. Reliquiarum etiam cultum haud multum approbaſſe hæc Jonæ verba (o) innuunt.

Pag. 588.

Pag. 590.

„ Dicitur etiam, Claudium eumdem adverſus Reliquias „ Sanctorum non contemnendas (utpote quorum mors pre- „ cioſa in conſpectu Domini, eorumque ſepulcra, ut a San- „ ctis Patribus traditum eſt, honoranda) quædam nefanda „ dogmatizaſſe, & uſque nunc dogmatizare. Quæ licet „ ſeries literarum ſuarum manifeſte non indicet, ex his ta- „ men, quæ innuit, & ex veridica quorumdam fidelium „ relatione, ita ſe rem habere liquido claret. Qua pro- „ pter veriſimile videtur, hujus novitii Sanctæ Eccleſiæ „ hoſtis animam, ex duorum animabus priſcorum com- „ pactam, atque uno corpore indeptam, Vigilantii vi- „ delicet, & Euſtathii, qui (ut verbis Sedulii utamur) „ *ambo errore pares, quamquam diverſa ſecuti*. Licet enim „ in plurimis ab alterutro deſciverint, in contemnendis „ tamen Sanctorum Martyrum reliquiis, eorumque ſe- „ pulcris dehonorandis, & nonnullis Eccleſiaſticis tra- „ ditionibus reprehendendis, unum perverſiſſime ſenſe- „ runt.

(o) In ipſo fere initio libri primi pag. 538.

VIII. Sæculo XI. Bogomilorum hæreſis, Paulicianorum, ut teſtatur Anna Comnena, (*) infelix quædam propago, viguit. De hac paucis agit Zonaras. (p) Multo fuſius, ac diligentius Anna Comnena (q). His inter ceteros errores adſcriptum etiam vidi, quod Sanctis dicata templa, & reliquias eorum contemnerent. Profero latinam Poſſini interpretationem „ *Quin etiam templa (heu mihi) Sacra Templa, fana Dæmonum profanus appellabat* (Baſilius præcipuus Sectæ Magiſter). Num quia ægre ferebat Sanctos coli? quod non paucis ex recentioribus hiſtoricis placet: num quia fidelium cætus noluiſſet in iis agi, præferretque

[*] lib. 15. edit. pariſ. pag. 486. Venetæ 384.

(p) Libro poſtremo annalium cap. 23.

(q) Lib. 15. hiſtor. pag. 488. & ſubſeq. edit. pariſ. Venetæ vero 386.

turpiſſimos conventus ſuos? judicet quiſque quod libet. Credibilius eſt tamen odio ab eo habitum Sanctorum cultum, quum etiam miracula irrideret ad eorum Sepulcra, & memorias facta. Conſule Euthymium in panopl. tit. 23. num. 11. multa de his tradentem. Sane Dominicam Crucem execrati illi ſunt. Porro qui Dominicam Crucem execrati ſunt, reliquiis omnibus, atque adeo Sanctis venerationem adhibitam oderunt.

IX. A Catharis ſublatam Sanctorum invocationem novimus ex Thoma VValdenſi: (r) id vero excepiſſe ſe dicit ex Guidone Carmelita. En ipſa VValdenſis verba. *Ab antiquis Catharis rapit (VVitcleff) hanc hæreſim, velut libro hæreſum ſcribit Guido Carmelita.* Non ita tamen velim accipias vocem illam *antiquis* (*ab antiquis Catharis*) ut id dictum ſit de hæreticis illis vetuſtiſſimis, qui ſe Catharos appellabant, & primis ipſis Eccleſiæ temporibus eam pervertere ſtuduerunt, ſed de aliis minus antiquis, quos Concilium Lateranenſe Alexandro III. Pontifice damnavit. Hi ſcilicet multorum quidem ſententia ii eſſe creduntur, de quibus loquitur Evervinus, ſeu Hervinus (s) & Sanctus ipſe Bernardus n.9. ſerm.66. in Cant. *Porro* (inquiens) *mortuos viventium fraudantes auxilio, viventes nihilominus Sanctorum, qui deceſſerunt, ſuffragiis ſpoliantes.*

X. Alii tamen Catharos hujus erroris expertes volunt, afferuntque perſuaſionis ſuæ vades hiſtoricos aliquot ſane non contemnendos, qui falſas Catharorum opiniones deſcribentes, hunc errorem ſilentio prætereunt, minime omiſſuri, ſi eos hac in re peccaſſe noſsent. Præterit profecto Eckerbertus (t) in iis ſermonibus, quos edidit *contra Catharos*. Præterit Bonacurſus in libello, quem edidit contra eoſdem. Locutum itaque ajunt D. Bernardum ſive de Henricianis, ſive de aliis, qui Henricianorum erroribus, fraudibuſque acceſſiſsent. Potuere vero *Cathari*, ideſt *mundi* appellari, vel quod hi quoque alios ſordidos, ſe impollutos dicerent: vel quod vix dignoſcerentur a Catharis: vel quod denique juncti fuerunt Catharis, unamque ſocietatem cum iis conflarint. Neque vero multum ambiguo vocabulo fidas, cum plane noverimus eodem nomine non paucas Sectas præſertim in vulgi ſermone fuiſse comprehenſas.

XI. At Catharos (aliquot ſaltem) hoc errore implicatos fuiſse evincunt verba Reineri (u) nam Capite ſexto ſic loquitur. „ Præterea dico, quod in XVII. an-

„ nis,

(r) Titulo 12. Cap. 108. in ipſo initio Capitis.

[s] in Epiſtola ad Sanctum Bernardum n.5. quæ præponitur Sermoni 65. & 66. in Cant.

[t] extat in Spicilegio Lucæ D. Acherii, & in nova editione ejuſdem Spicilegii anno 1723. aucti invenies in tom. 5. pag. 208.

(u) in libro contra VValdenſes, 2. par. to.4. Biblioth. Pag. 757.

„ nis, quibus heu converſatus ſum cum eis, (Catharis) „ non vidi aliquem ex eis orare ſecreto ſeorſim ab aliis, „ aut oſtendere ſe triſtem de peccatis ſuis, ſeu lacrimari, „ vel percutere pectus ſuum, & dicere; Deus propitius „ eſto mihi peccatori: ſive aliquod hujuſmodi, quod eſſet „ ſignum compunctionis. Numquam etiam implorant pa- „ trocinium Angelorum, vel Sanctorum, ſeu Beatæ Vir- „ ginis, neque ſe muniunt Signo Crucis. Quod ſi Eckerbertus in ſuis ſermonibus hujuſce erroris Catharorum non meminit, propterea id factum cenſeo, quod tantum notiora capita hujuſce hæreſeos attigit, aut certe ea, quæ cum Manichæorum falſis dogmatis conjunctiora erant: & ſane in ipſo Sermone primo originem Catharorum a Manichæis deducit. Bonacurſus autem ſi hunc Catharorum errorem reticet, propterea reticet, vel quia ipſe quoque notiora tantum capita brevi ſuo Opuſculo complexus eſt, vel quia ea tantum recenſuit, quæ nequiora putavit, & veterum Manichæorum erratis affinia, ſæpe etiam eadem plane, atque illa.

XII. Non deſunt tamen qui ita conciliari Scriptores hos volunt: Quod Cathari propterea non deprecarentur Sanctos, neque eorum opem expoſcerent, quod eorum ſe minime indigere putarent. Neque enim illos ſuorum pœnitebat criminum, neque ſe pollutos peccatis eſſe arbitrabantur, ſed impollutos quidem ſe, & mundos, (quod græca voce ſe Catharos appellantes ſignificabant) reliquos Chriſtianos pollutos, & immundos, indigoſque præſidii atque opis Sanctorum: Vel quod aliquorum, non omnium Catharorum errores tum deſcripſerunt Guido Carmelita, aliique hiſtorici, qui Catharis tribuunt alienationem a cultu, & veneratione Sanctorum.

XIII. Sed quæcumque ſenſerint Cathari, indubitata res eſt Bernardi temporibus impugnatum fuiſſe a nonnullis præſidium, quod noſtrarum rerum Cœlites habent. Non multus hic ero in iis deſcribendis, quæ contra ignotum quemdam Vigilantianæ hæreſeos excitatorem (ut ipſe appellat) ſcripſit Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus (x) ſed procul dubio Sanctorum interventum, & erga nos præſidium ab aliquibus omnino ſubductum manifeſto oſtendit Præfatio, quam recenti editioni Operum D. Bernardi Mabillonius præpoſuit, cujus paragraphum ſextum legas opto. Neque vero inopportunum erit ea noſſe, quæ de hiſce hæreticis, & VValdenſibus narrat Tho-

[x] Epiſt. 51. tom. 3. Biblioth. Patr. pag. 215.

Thomas VValden titulo XII. Capite CVIII. (3).

XIV. Et ſane VValdenſes Sanctorum interceſſioni, atque invocationi fuiſſe infenſos non levia argumenta oſtendunt. Ebrardus contra VValdenſes (y) ait eos loca ſancta, & Sanctorum miracula prohibuiſſe viſitari. Ex Iconiſmo quoque VValdenſium (*) certiores efficimur in eorum conventibus non extitiſſe imagines, non Cruces &c. Etiam Ermengaldus contra VValdenſes ſcribens (z) ab iis traditum monet, *Sanctos, & eorum orationes vivis adhuc in mundo pro Chriſto certantibus non prodeſſe*. Quid quod Pilichdorſius (aa) Cap. xx. hæc de VValdenſibus narrat? ,, Dicunt etiam hæretici VValdenſes, quod ſolus Deus ,, ſit laudandus, honorandus, & invocandus, & ſibi ſo,, li ſerviendum, & quod ſancti non orent pro nobis pro,, pter plenitudinem gaudiorum, quam habent. Et quod, ,, quia ſolus Deus redemit nos, ideo ſolus poſſit juvare nos

(y) Cap. 11. tom. 4. Bib. Pat. pag. 1131.

(*) tom. 4. Bibliothecæ Patrum pag. 1194.

[z] Cap. 17. pag. 1258.

(aa) Part. 2. to. 4. Biblioth. Patrum pag. 790.

(3) Profero ipſa Auctoris verba ,, Adhuc hæretici quidam tem,, pore Sancti Bernardi hanc impiam herbam rigare cura,, bant, ut arida facerent apud mundum noſtrum ſuffra,, gia Beatorum. Unde in expoſitione ſua ſuper Cantica ,, Homil. 66. Bernardus. Irrident nos quia baptizamus in,, fantes, quia Sanctorum ſuffragia poſtulamus, in omni ,, genere hominum, atque in utroque ſexu feſtinant pro,, ſcribere Chriſtum, in adultis, in parvulis, in vivis, & ,, mortuis. Hinc quidem infantes ex impoſſibilitate natu,, ræ, inde vero adultos ex difficultate continentiæ. Por,, ro mortuos viventium fraudantes auxiliis, viventes ni,, hilominus Sanctorum, qui deceſſerunt, ſuffragiis ſpolian,, tes. Hæc ille ,, Putaſſem autem (inquit idem VValden) ,, ſi non dixiſſet ibi Bernardus eorum Principem inno,, minatum, ipſos eſſe VValdenſes, qui item preci,, bus Sanctorum ſe ipſos negando, fecerunt indignos, ,, prout ſcribit de eis libro primo ſui Quatripartiti Ala,, nus. Dicunt hæretici orationes Sanctorum non prodeſ,, ſe vivis &c. Et in libro hæreſum de VValdenſium hæreſi 16. Guido Carmelita XVI. ,, Dicunt quod Sancti ,, in Cælo non audiunt orationes noſtras, nec pro nobis ,, orant, nec ipſi ſunt implorandi. Sed quantum opinor ,, [ſubdit idem VValden] iſti ſunt publici illi hæretici, qui ,, de Provinciis Galliæ, tempore Regis Henrici, qui eos ,, candente clave ſignavit, ſerpebant in Angliam, quia, ,, [ut Henricus Huntingdon Chronicarius refert, ut Ber,, nardus jam dixit] aſſerebant parvulos non baptizan,, dos donec ad intelligibilem pertinerent ætatem, non ,, orandum pro mortuis, nec Sanctorum ſuffragia expe,, tenda &c.

„ nos, & Sancti ſibi ipſis meruerunt, & non nobis. Et „ quia Deus per ſe bene ſcit, quod nobis neceſſarium ſit, „ non indiget Sanctorum precibus moveri, & quia quicquid ipſe vult, hoc volunt omnes Sancti; Ergo non „ oportet invocare Sanctos, ſed ſolum Deum. Vide etiam Caput xxx. ejuſdem Pilichdorfii, & libellum incerti Auctoris contra VValdenſes, ipſum quoque editum parte ſecunda Tomi IV. Bibliothecæ Patrum.

XV. Haud ita multo poſt vixit Almericus, ſeu Almaricus, cujus errores Lateranenſe IV. Cap. II. damnavit. Porro inter illius errores quarto loco enumerat Prateolus, quod *Altaria Sanctis dicata, & Imagines thurificare, Sanctorumque invocationes Idololatriam eſſe dixerit*.

XVI. Ab his temporibus ad VViclephum uſque, nemo, quem ego noverim, Sanctorum cultum palam impugnare auſus eſt. Quid vero VViclephus, & individuus ejus aſſecla Joannes Hus circa Sanctorum cultum ſenſerint, adhuc ſub judice lis eſt. Utriuſque partis argumenta proferam. Sentiat quiſque quod libet.

XVII. Boſſuetius vir doctus, & in hæreticorum ſcriptis probe verſatus (*bb*) Sanctorum invocationi, honorique imaginum aſſenſum fuiſſe VViclephum edocet. Interdum etiam id verbo, & exemplo approbaſſe teſtatur Thomas VValden (*cc*) quippe monet ſibi ipſi contrarium apparere VViclephum, *dum modo intercesſionem, & invocationem Sanctorum tuetur, & exemplo comprobat ſuo; modo perſtringit, & improbat*. Quin etiam quædam illius monita proferuntur ab optimis fratribus VValemburch (*dd*) ex quibus conſtat non eum adverſatum fuiſſe plane, aut certe non ſemper fuiſſe adverſatum Sanctorum cultui, invocationique. *Conveniens foret* (inquiebat ille Dialogor. li. 2. cap. 10. fol. 34.) *parum de Angelis pertractare, cum illos adoramus, & credimus quod ſint factura Dei digniſſima inter ſingulas Creaturas*. Et libro 3. capite 30. fol. 95. *Eccleſia noſtra rationabiliter habet conſuetudinem, quod, quemcumque Sanctum oraverit, ſermonem ad Chriſtum Deum dirigit, non ad illum Sanctum principaliter, ſed ad Chriſtum*. Tum minus probata Sanctorum invocatione, aſperiora ſua dicta his verbis aliqua ex parte lenit. *Si ad acuendam devotionem noſtram Beatos aliquos adoramus, videtur quod derelinquendo ambiguum, illos adorare debemus, quos fides Scripturæ, & ſic Dominus canoniſat*.

XVIII. Quod attinet ad Joannem Hus, incidi nudius ter-

(*bb*) In hiſtoria variationum lib. 11. num. 157.

(*cc*) In eo volumine, quod *Sacramentalia* appellavit, titulo 12. cap. 107.

(*dd*) Inter Opera fratrum de VValemburch vide lib. 2. de Unitate Eccleſiæ cap. 3. §. 4. pa. 666. edit. in fol. Coloniæ Agrippinæ apud Joannem VVilhelmi Frieſſem juniorem Anno 1670.

tertius in illius Opera anno 1715. edita: & librum *de Adoratione* avide legi. In eo vero pleraque habet, quæ Catholicus facile excipiet. In fidei ſuæ elucidatione. „ Rogo (*inquit*) pro meis accuſatoribus Vir-
„ ginem caſtiſſimam, Genitricem Salvatoris, reparatri-
„ cem humani generis, Reginam Cæli, quæ ex titulo
„ gratiæ naturæ ſuperadditæ Angelicam naturam ſuperat,
„ quæ inter omnes Beatos citra ſuum filium eſt beatior,
„ ſingulari privilegio glorioſior, gratia, & dotibus glo-
„ riæ fæcundior, de cujus plenitudine, ait Bernardus, ac-
„ cipiunt univerſi, ægri curationem, triſtes conſolatio-
„ nem, peccatores veniam, juſti gratiam, Angeli læti-
„ tiam, Filius Dei humanæ carnis ſubſtantiam, tota Tri-
„ nitas gloriam. *Et mox* „ Quæ Virgo eſt advocata,
„ & mediatrix, & quodammodo cauſa Incarnationis,
„ Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, & per conſequens
„ eſt cauſa ſalvationis totius omnium ſalvandorum. Un-
„ de canit Eccleſia: Paradiſi porta per Evam cunctis clau-
„ ſa eſt, & per Mariam Virginem iterum patefacta eſt.
„ Per hanc igitur Virginem caſtiſſimam, & mediatricem,
„ ſed per mediatorem Chriſtum Filium ejus principaliter
„ credentes, & ſperantes peccatorum remiſſionem &c.
Sed ſi hæc non ſatis fuerint, conſule Opera Optimorum Fratrum de VValemburch tum pag. 666. nuper citata, tum pag. 213. videbiſque prolata nec pauca, nec obſcura VViclephi verba in rem hanc. Ad hæc: inter articulos, quos Conſtantienſis Synodus decerpſit ex libris VViclephi, & Joannis Hus, & Seſſ. XV. damnavit, nullus extat articulus, qui Sanctis adhibitam venerationem improbet. Extitiſſet autem, ſi eam improbaſſent VVicleph, & Hus.

XIX. At non continuo tamen ab hoc errore omnino alienos dixerim VViclephum, & Joannem Hus. Si auctoritas attenditur, nuper retulimus Thomam VValdenſem, qui palam inconſtantiæ accuſat VViclephum; & revera quædam illius liberiora dicta proferuntur tum ab eodem Thoma VValdenſi, tum ab aliis. Quid quod, ut nuper vidimus, Sanctorum invocationem minus approbat? Tametſi vero indubitata res ſit interceſſionem Sanctorum, præſidiumque, quod noſtri habent, preces quoque ad eos latas ab Joanne Hus fuiſſe approbatas, idque manifeſto oſtendant tum alia multa, quæ afferuntur hanc in rem a Theologis, tum certe ea, quæ Optimi Fratres de VValemburch collegere: tamen extant adhuc non levia argumen-

menta, ex quibus merito ſuſpiceris tum ipſum, tum illius magiſtrum VVicleph hac etiam in re non omnino cum Catholicis ſenſiſſe. Nonne accuſatus hoc ipſo de errore eſt, & hinc in elucidatione fidei ſuæ ſe ſe purgare ſtuduit? Nonne in Bulla Martini V. in qua damnantur errores VViclephi, & Joannis Hus, & proponuntur interrogationes faciendæ illi, de quo dubitatur, num adhæſerit falſis opinionibus VViclephi, & Hus, inter ceteras interrogationes hæc extat? *Utrum credat, & aſſerat licitum eſſe Sanctorum Reliquias, & Imagines a Chriſti fidelibus venerari?* (ee) Ad hæc: Bohæmi, qui ſe diſcipulos VViclephi, & Hus jactabant, parum amicos Sanctorum cultui ſeſe præbuerunt. Conſule Orationem ab Ægidio Carlero recitatam in Concilio Baſileeſi, ut errores Bohæmorum refelleret. (ff) Iterum conſule pag. 1067. & ſubſequentes quatuor tomi 17. Conc. videbiſque manifeſto a veneratione reliquiarum, & a peregrinationibus fuiſſe alienos Bohæmos.

[ee] Vide pag. 761. col. 2. t. 16. Concilior.

(ff) Exſtat in Tomo 17. Concil. pag. 97[illegible].

XX. Subſequenti ſeculo eximios hos anteceſſores ſubſecutus eſt Lutherus: tametſi enim multa illius ac perſpicua teſtimonia recitentur a Caniſio (gg) & a Caſſandro (hh) in quibus Sanctorum cultum, atque invocationem, aut approbat, aut certe approbare videtur: alibi tamen ſeſe iniquiorem Sanctorum cultui oſtendit, deprimitque eorum merita, & interceſſionem. Vide quæ hoc de argumento tradit Caniſius tom. 2. Corruptel. lib. 5. cap. 14. pag. 943. Vide quoque caput 1. lib. 4. pag. 531. ejuſdem Caniſii, ex cujus etiam monitis aliis Lutherum haud multum Sanctorum venerationi amicum comperies.

(gg) Tom. 2. Corruptelarum Verbi Dei lib. 3. cap. 10. col. 399. & 400. editionis Pariſienſis Anni 1584.

(hh) in Conſult. ar. 21.

XXI. Id quoque, quantum ego aſſequi potui, præſtitere ii omnes, qui Luthero duce, atque anteceſſore gloriantur. Quamquam enim Caniſius (ii) præcipuorum hujus generis Doctorum, veluti Buceri, Camerarii, Æcolampadii, dicta affert, ex quibus certo dignoſcas interdum haud inſenſos fuiſſe illos Sanctorum interceſſioni, & cultui eiſdem Sanctis adhibito: tamen alibi haud difficile offendes monita, in quibus multo aliter eos ſentire agnoſces. Sane dum Commentaria in Scripturas Sacras ab Æcolampadio confecta pervolverem, incidi in egregiam hanc interpretationem verborum illorum Zachariæ 2. *Et reſpondit Angelus.* „ Sunt „ qui hunc locum citant, ut Sanctorum interceſſionem, & „ invocationem commendent. Ecce, ajunt, Angelus iſte „ oravit, cur non & Sancti orent? eſto Angelus hic

(ii) Lib. 3. Corrup. Verbi Dei cap. 10.

 oret,

„ oret, orent & Sancti: optant enim reparationem ruinæ „ Jeruſalem; contextus tamen iſte non convincet, ut nobis „ novum dogma ſtatuant, id quod illi moliuntur, quaſi opus „ ſit Patronis ad Chriſtum, qui ſe ipſe ideo Carni noſtræ „ communicavit, ut acceſſum ſecurum citra Patronos ad „ eum haberemus intrepidi, cujus gloriæ novum illud „ Idolum præjudicat. Nuſquam ex ſcripturis vel exem- „ plum, vel præceptum oſtenſum eſt, quo alios Patro- „ nos præter unicum advocatum requirere jubeamur. Ve- „ rum hic Schematiſmus Angelum non tam orantem, „ quam docentem oſtendit, & tam nihil probat patroci- „ nium, quam ſi animos jactabundos facere coneris. In- „ ſuper hæc dicta ſunt, ut Propheta intra ſe oraret &c.

XXII. Non hi tamen omnes cultum Sanctorum æque improbant. Sunt fateor qui in reliquias, & Imagines Sacras quaslibet invehuntur, & in ſepulcra ipſa, ex quibus Sanctorum corporum effodiunt oſſa, & flammis devovent. Sed noſtris temporibus pauci hi ſunt: At utinam pauci eſſent, quibus Sanctorum interceſſio, & cultus iis adhibitus diſpliceret. Compertum ſcilicet eſt eos omnes, qui Catholicorum ſententiis noſtra ætate adverſantur, hac etiam in re adverſari, tam etſi neque æque, neque ob res eaſdem adverſentur. Alii enim fundamentum ipſum, ut ita loquar, ideſt interceſſionem evertunt, alii vero cultum tantummodo improbant. Sed primi, ſeu qui interceſſionem impetunt, non prorſus conveniunt. Variant vero tum circa ſubjectum, ideſt Sanctos, qui intercedunt, tum circa objectum, ideſt eos, pro quibus intercedunt, tum circa rem, quam iidem Sancti impetrant, ſeu pro qua intercedunt. Quod ad primum attinet, plerique, ſed non omnes, fatentur ab Angelis preces pro nobis fundi: at non continuo fatentur a Sanctis fundi; cujus quidem rei, & diſcriminis Angelos inter, & Sanctos, varios afferunt titulos, cauſaſque, quas alibi fortaſſe non præteribimus.

XXIII. Quod vero attinet ad eos, pro quibus intercedunt, plerique recentiorum hæreticorum putant pro tota Eccleſia preces fundere, atque intercedere Sanctos: minime vero pro ſingularibus perſonis: vel quia ſcilicet preces noſtras minime audiunt Sancti: vel quia Deus fuſas a Sanctis pro univerſa Eccleſia preces ratas habet, & approbat, at pro ſingularibus perſonis fuſas improbat, rejicitque. Quod denique ſpectat ad rem, quam impetrant, ſeu pro qua intercedunt, arbitrantur aliqui a San-

ctis impetrari nobis beneficia cæleſtia, ſeu pertinentia ad æternæ Beatitudinis aſſecutionem; at Beneficia terreſtria, ſeu quæ ad temporalium bonorum aſſecutionem pertinent, impetrari omnino non poſſe. Et de interceſſione hactenus.

XXIV. At neque ii, qui ipſum Sanctorum cultum improbant, plane congruunt. Alii improbant quemlibet, voluntque tantummodo coli Deum. Alii partes quaſdam, veluti invocationem, jejunia, feſtos dies in honorem Sanctorum inſtitutos, aut aliud his affine. En in ſumma varia ſenſa eorum, quos impugnare aggredimur, ideoque varia ſenſa Lutheranorum, Calviniſtarum, Sacramentariorum, aliorumque, qui ſe Proteſtantes, aut Reformatos appellant. Si quis noſſe cupiat quiſnam huic, quiſnam alteri harum opinionum adhæſerit, Theologos, & Hiſtoricos de his agentes conſulat, Petavium, Caniſium, Coccium, & Optimos Fratres de VValemburch. Ego quidem conſultius duxi Tridentini exemplum ſequi, errores ſcilicet referre, nomina auctorum reticere, præſertim quum longam, difficillimamque provinciam ſuſciperem, & hæc quiſque facile ex aliorum libris aſſequi poſſit.

DISSERTATIO III.

De Sanctorum Interceſſione, ideſt de præſidio, atque ope, Sanctorum interventu ac precibus, nobis a Deo collata.

CAP. I.

Summa diſputationis capita.

I. POſt enumeratos venerationis Sanctis adhibitæ hoſtes, reſtat ut defenſionem ejuſdem venerationis ſuſcipiamus. Unde vero aptius diſputationis noſtræ deſumemus exordium, quàm ab ope, præſidioque nobis a Cælitibus apud Deum collato, ideoque ab eo, quod *interceſſionem* jamdudum appellare Scholaſtici conſueverunt? Ab hac ſcilicet convenientiſſime initium ducitur, a qua plerique ad colendos Sanctos moventur. Non ea tamen omnia perſequemur, quæ agitari hic forte poſſent, ſed ſumma potius omnium capita. En illa. Num Cælites omnes, ideſt, num Angeli, & Sancti mortali vita functi beneficia interventu ſuo impetrent. Quibus impetrent. Quænam impetrent. En paucis comprehenſa præſentis diſſertationis materia.

CAP. II.

Generali quodam argumento ab auctoritate Eccleſiæ deſumpto oſtenditur Cælites omnes, ideſt tam Angelos, quàm Sanctos mortali vita functos precibus, atque ope ſua nos adjuvare.

I. ECcleſiam univerſam, antequam in illam inſurgerent ii, qui Proteſtantium ſive Reformatorum titulum ſibi ſumpſerunt, pro ea perſuaſione ſtetiſſe, quæ putat Cælites omnes ſuis precibus, atque interventu nobis opem non levem ferre, comperta res eſt. Novimus ſcilicet, eos propterea etiam Eccleſiam lacerare cœpiſſe, ac diſtringere, quòd Chriſtianorum animis inſederat certa ſententia nos Cælitum ope,

ac precibus adjuvari: quas quidem preces, atque opem ut certius conſequerentur, ad eos confugere, eoſque colere iidem Chriſtiani ſolebant.

II. At Eccleſiam univerſam errare aliquando poſſe quis putet, poſtquam perpetuo illi ſe adfuturum promiſit his verbis Chriſtus? (a) *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.*

[a] Matt. 28. v. 18. 19. & 20.

Itaque ſi ad conſummationem uſque ſæculi cum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, futurus eſt Chriſtus, quis metuere recte poterit ne eam aliquando derelinquat, ita ut in errorem, & hæreſim prolabi ſinat? Hæc ſcilicet eſt horum verborum *Ecce ego vobiſcum ſum*, quando ea Dominus profert, ſignificatio, ut peculiare præſidium indicetur. Id intelligimus ex verſiculis 12. 13. & ſeq. Cap. VI. libri Judicum; quippe ſic Gedeonem allocutus dicitur Angelus.,, *Dominus tecum*, virorum fortiſſime. Dixitque ei ,, Gedeon: Obſecro, mi Domine, ſi *Dominus nobiſcum eſt*, cur apprehenderunt nos hæc omnia? . . . . . Reſpexitque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian. Scito ,, quod miſerim te. Qui reſpondens ait: Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſrael? . . . . . Dixitque ei Dominus: *Ego ero tecum*; & percuties Madian quaſi virum unum. An non peculiare præſidium palam exponitur in verbis illis. *Dominus tecum . . . . . Si Dominus nobiſcum eſt . . . . . . Ego ero tecum?* & revera Deo præſide Madianitas devicit Gedeon.

III. Eodem etiam modo loquuntur David verſ. 4. Pſal. 22., Iſaias cap. 8. verſ. 10. & cap. 43. 2: & alibi etiam auctores Sacri. Addamus & Patres, quorum quidem hac in re tanto opportuniora ſunt teſtimonia, quanto certius habeo ad illum ipſum, quem nuper allegavi, Matthæi locum ſæpe reſpexiſſe, quum Eccleſiam univerſam errare non poſſe affirmarunt. Conſule quæ tradit Tertullianus cap. 19. 20. & 28. libri *de præſcriptionibus*. Et ſane Tertullianus hoc fere argumento Hæreticos ſui temporis refellit, quòd relicta Eccleſia conventus peculiares inſtituerent, & illud inter cetera firmiſſimum ponit effatum, quod in Eccleſia permanet Dei Spiritus, Spiritus vero Schiſmatum, & ſeductionis in iis, qui ab ea defecerint. Tertulliano melior, ſi non antiquior Cyprianus id ipſum edo-

edocet tum ſæpe alibi, tum certe in libro de *Unitate Eccleſiæ*, in quo hæc extant ,, Eccleſia Domini luce perfuſa per ,, Orbem totum radios ſuos porrigit. Unum tamen lumen ,, eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur . . . . . . Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica. Unam domum novit, ,, unius cubiculi Sanctitatem ſancto pudore cuſtodit. Hæc ,, nos Deo ſervat, hæc filios Regno, quos generavit, aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, a promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec perveniet ad ,, Chriſti præmia, qui reliquit Eccleſiam Chriſti. Conſule etiam obſecro ejuſdem Cypriani Epiſtol. 52. quæ ad *Antonianum* ſcripta eſt.

IV. At reliquos omnes & multitudine, & claritate monitorum ad rem hanc ſpectantium viſus eſt ſuperaſſe Auguſtinus. Scilicet hic ſæpiſſime, & manifeſto nos monet, & Eccleſiam omnino errare non poſſe, & eam indubitate jugiter contra errores, & fraudes omnes perſtituram. Hoc modo explicans verba illa Pſal. 103. (*b*) *Fundavit terram ſuper firmitatem ejus, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, Eccleſiæ illa applicat hæc elocutus. *Fundavit terram. Intelligo Eccleſiam. Domini eſt terra, & plenitudo ejus: intelligo Eccleſiam, terram . . . . Terram ergo intelligo Eccleſiam. Quæ eſt firmitas ejus, ſuper quam fundata eſt terra? . . . . fundamentum, ubi conſtituta eſt Eccleſia? Quod eſt iſtud fundamentum? Fundamentum, inquit, nemo poteſt ponere præter quàm quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Ibi ergo firmati ſumus. Merito, quia ibi firmati, non inclinabimur in ſæculum ſæculi: nihil enim firmius iſto fundamento: Infirmus tu eras, ſed firmum fundamentum te portat. In te firmus eſſe non poteras: firmus eris ſemper, ſi ab illo firmo fundamento non recedas. Non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Ipſa eſt prædeſtinata Columna, & firmamentum Veritatis.* Affinia proponit in Pſalm. 47. (*c*) Vide etiam quæ de Eccleſia fatiſcente, & in dogmatibus corrupta narrabant Donatiſtæ, quorum inſana dogmata copioſiſſime Auguſtinus repellit in iis libris, quos contra eoſdem Donatiſtas ſcripſit, & collectos habes Tomo IX. poſtremæ editionis operum Sancti Auguſtini. Sed luculentiſſime hoc de argumento differit num. 8. & ſubſeq. Sermonis ſecundi enarrationis in Pſalmum *primum & centeſimum*, quo etiam in loco teſtimonium illud Matthæi, cujus nuper meminimus, diligenter expendit. Sancti Doctoris verba non refe-

(*b*) Serm. I. in eundem Pſal. n. 17.

(*c*) verſ. 9. num. 7.

ſero utpote notiſſima, & plurima. Si ea vos legeritis, operæ pretium facietis.

V. Eodem etiam reſpexit Sanctiſſimus ille Conſtantinopolitanus Patriarcha Germanus, dum in Epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiapoleos ad Sanctarum Imaginum conſuetudinem, & venerationem aſſeverandam hoc ipſo Matthæi teſtimonio utitur hæc elocutus. (d) *Qui dicebat Apoſtolis ſe adfuturum uſque ad conſummationem ſæculi, profecto hoc ipſum & illis, qui Eccleſiæ ſuæ curam gerunt, annunciavit. Non enim illis corporaliter adfuturus erat uſque ad hujus præſentis ſæculi tranſitionem. Item & tribus, aut quatuor in nomine illius congregatis adfuturum ſe illis dixit. Putaſne tantas congregationes zelo bono coeuntes, ut illius cultus propagetur, divina illius inſpiratio, & directio reliquit, ne poſſet conſummationem perfectæ confirmationis ſuæ Eccleſiæ, in qua neque macula, neque ruga, neque aliquid tale eſt, videre? Neque hanc conſuetudinem paucæ, aut ignobiles Urbes, verum omnium regnorum nobiliſſimæ, & principales Eccleſiæ ſervant &c.* Reliqua Patrum teſtimonia prætermitto; neque enim neceſſe arbitror diutius in eo argumento immorari, quod de Eccleſia diſſerens copioſiſſime expendi: quam etiam ob cauſam ea hic referre ſuperſedeo, quæ Proteſtantes objiciunt: quippe ea ibi ſatis dilui: non pigeat tamen rurſus conſulere epiſtolam Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi, quam ſuperiori diſſertatione allegavi.

(d) refertur actio. 4. Conci. 2. Nicæ. to. 8. pag. 1424.

CAP. III.

Quantum ad tuendam Catholicam perſuaſionem proſit illius vetuſtatem oſtendere: tum ad quæſtionem ipſam deſcendimus, & adducimus teſtimonia, ex quibus conſtet putaſſe Hebræos etiam ante Chriſtum Sanctos vita functos ſua nobis apud Deum ſuffragatione, & precibus opem ferre.

I. PLurimum virium habere veterum auctoritatem ad comprobandas Theologicas perſuaſiones nemo, ut arbitror, in dubium vertet. Inſita ſcilicet animis noſtris ſententia eſt, jureque ac merito inſita, veteres rectiſſime de rebus ad Deum, religionemque pertinentibus ſenſiſſe, utpote qui vel Deum ipſum magiſtrum habuerint, vel eos certe homines, qui a Deo ipſo inſtructi fuerant, & eruditi. Rem itaque valde laudabilem faciam, ſi oſtendero vetuſtiſſimos illos, ac probatiſſimos viros, qui ante Chri-

ſtum

ſtum Duces fidei noſtræ fuere, ideoque eos, quorum auctoritas apud omnes in ſummo eſt pretio, cenſuiſſe Sanctos vita functos ſua nobis apud Deum ſuffragatione, ac precibus opem ferre. Porro Hugo Grotius (a) hac in quæſtione minime ſuſpectus, ſe id oſtenſurum fore putavit antiquiſſimo exemplo. Abraham nempe, quod diſcimus ex Joſepho, ſic filium ſuum, mox Deo in Sacrificium mactandum, fuit allocutus. (b) *Ubi autem Deus cum precibus, & Sacro dimiſſam animam tuam ſuſceperit, & apud ſe locaverit, tu mihi id eris, cujus præcipue cauſa te educavi, adjutor, & ſenectutis ſolatium, Deum mihi pro te exhibens.*

[a] in verſ. 12. cap. 15. ideſt poſtremi, libri II. Machab.

(b) li. 1. antiquita. cap. 22.

II. Quod ſi hæc interpretatio (cui affinis ea eſt, quam Gelenio debemus) tibi non placeat, præferaſque eam, quæ Rufinum habet auctorem, & hæc eſt. „ Natus ergo feliciter morere, non communi modo hanc vitam egrediens, ſed a Patre proprio oblatus Deo Patri cunctorum ob legitimum Sacrificium. Reor enim, quia te judicaverit dignum nec ægritudine, nec bello, nec alia qualibet paſſione, quæ ſolent hominibus accidere, ex hac vita liberare: ſed cum oblationibus, & Sacrificiis animam tuam ſuſcipere, & apud ſe nihilominus obtinere, eritque mei de cetero curam habens, ſenectutemque regens, qua gratia te maxime nutriebam: hæc mihi Deo ſcilicet pro te præbituro: Si hæc inquam interpretatio minime placeat, quamquam græcis verbis, quæ deſcribit etiam Grotius, ad amuſſim reſpondeat: alia ſtatim affero monumenta ex ſcriptura ipſa deſumpta, ex quibus id ipſum intelligas. Verſiculo primo Capitis XV. Jeremiæ hæc occurrunt. *Et dixit Dominus ad me, ſi ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: ejice illos a facie mea, & egrediantur*. Ex quibus verbis hæc merito eruimus. Ergo niſi immania Judæorum ſcelera adeo alienum a populo ſuo Deum effeciſſent, ut flecti omnino nollet, deprecantibus Moyſe, & Samuele, permotus fuiſſet ad miſericordiam. Porro id peculiare Moyſis, & Samuelis privilegium eſſe non conſtat, ſed quibuſcumque juſtis commune eſt, ut nos precibus, & cura ſua adjuvent, tum quia hoc privilegium, ſi appellare ita vis, minime exprimitur, tum etiam quia reliquis Sanctis id tributum fuiſſe perſpicue Sacra auctoritas edocet. Exemplum unum hic afferam, ſed probatiſſimum. An non ſecundo Machabæorum (c) edocemur tum Oniam, tum Jeremiam vita jam functos curaſſe Judæo-

(c) Cap. 15. v. 12. 13. & 14.

dæorum res, adjuviſſe eos, & Judæ dato aureo gladio, a Jeremia promiſſam fuiſſe victoriam? edocemur quoque utrumque (Oniam ſcilicet, & Jeremiam) oraſſe pro populo Judæorum, Jeremiam vero plurimum pro eo oraſſe; adeo ut fratrum amator ab Onia appellari meruerit. Profero autem, ne id temere locutus videar, ipſa Scripturæ verba, „ Erat autem hujuſcemodi viſus. Oniam qui „ fuerat Summus Sacerdos...... manus protendentem ora„ re pro omni populo Judæorum: poſt hoc apparuiſſe & „ alium virum ætate, & gloria mirabilem, & magni de„ coris habitudine circa illum. Reſpondentem vero O„ niam dixiſſe: Hic eſt fratrum amator, & populi I„ ſrael: Hic eſt, qui multum orat pro populo, & uni„ verſa ſancta Civitate, Jeremias Propheta Dei. Exten„ diſſe autem Jeremiam dexteram, & dediſſe Judæ gla„ dium aureum, dicentem: Accipe ſanctum gladium, „ munus a Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei „ Iſrael.

II. Porro generalem conſuetudinem, quam Catholici ex hoc teſtimonio eruunt; fundi ſcilicet a Sanctis vita functis pro viventibus preces, cum nulla adſit probabilis cauſa, ob quam ad Oniam, & Jeremiam reſtringas; jampridem eruit ſive Origenes, ſive alius quiſquis is eſt, cujus commentaria in Cantica ſub Origenis nomine prodiere, quemque doctum, & diſertum appellat Eraſmus, ſuſpicans illum ipſum eſſe, qui libros *de vocatione gentium* edidit. „ Omnes Sancti (*inquit ille hom.* 3.) qui de hac „ vita deceſſerunt, habentes adhuc caritatem erga eos, „ qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalu„ tis eorum, & juvare eos precibus ſuis, atque interven„ tu ſuo apud Deum, non erit inconveniens. Scriptum „ namque eſt in Machabæorum libris ita: Hic eſt Jere„ mias Propheta Dei, qui ſemper orat pro populo.

III. Verum enim vero non tantum preces, verum impetrationem beneficiorum ex eo teſtimonio eruimus: quippe Judæ milites ea re animati, confidenteſque Divino præſidio, quod Oniæ, & Jeremiæ preces pollicebantur cum pluribus, & fortibus copiis ſtrenue dimicantes, inſignem retulere victoriam, feliciſſimo eventu *dignum fide ſomnium* comprobante. His robur addit non contemnenda hoc præſertim in argumento Hugonis Grotii auctoritas: etenim commentariis illud illuſtrans, hæc protulit. *Erat hæc Judæorum ſi non omnium, certè plerorumque opinio, ani-*

mos exutos corporibus non omnem perdere eorum, quos hic reliquere, memoriam, curamque, quin & preces eos ad Deum fundere pro populo, & iis quos caros habuere.

IV. Ad eandem etiam Sanctorum interceſſionem comprobandam ea proderunt, quæ de cultu Sanctis ab Hebræis adhibito, deque conſuetudine eoſdem Sanctos invocandi uberrime alibi ediſſeremus. Quis enim dubitet propterea etiam advocaſſe in ſubſidium, coluiſſeque Sanctos, quòd eos adjutores, ſuffragatoreſque apud Deum futuros fore ſperarent?

CAP. IV.

Expenduntur eæ ſolutiones, quibus hactenus dicta infirmare contendunt adverſarii.

I. POſtquam liquido oſtendimus perſuaſos fuiſſe Hebræos Sanctos vita functos quamquam limbo detentos, ſua tamen ope, ac fuſis apud Deum precibus viventes adjuviſſe; nunc evellendi ſunt ii ſcrupuli, quibus argumenta, ac probationes noſtras debilitare ſtudent Etherodoxi.

II. Quoniam autem e tribus argumentorum generibus quibus utuntur, alibi diſſolvemus tum illud, quo oſtendi ajunt, fieri non potuiſſe, ut Sancti veteris teſtamenti a cæleſti patria, ideoque a divino conſpectu remotiſſimi adjumentum aliquod viventibus afferrent, tum etiam illud, quod deſumitur ex teſtimoniis, quibus expreſſe evinci ajunt, nos negligi a Sanctis, e quibus quidem teſtimoniis mirum in modum exaltant illud deſumptum ex verſiculo 16. capitis 63. Iſaiæ: in poſtremo hærebimus; id eſt in ſolutione noſtrarum probationum. Ut id conſequantur, explicationes quaſdam adhibent iis teſtimoniis, quibus nos in propoſitam perſuaſionem inducti ſumus. Sic vero diſſerunt. Parum apta ſunt ad eam, de qua agimus, interceſſionem comprobandam, quæ afferuntur ex Jeremia, & ſecundo Machabæorum libro teſtimonia. Etenim quod ex Jeremia allegatur, hac ratione diluitur. Sume Moyſem, & Samuelem, de quibus ibi fit mentio, per *Antonomaſiam*, ſive ut aliis appellare placet, per *Synecdochen*; paucis dic tropum eumdem extare in iis verbis, qui extat in voce *Nero*, quum ea utimur ad ſignificandum crudelem, & trucem hominem; qui tropus etiam extat in voce *Ariſtoteles*, in voce *Tullius*, quum eas adhibemus ad denotandum præcla-

clariſſimum Philoſophum, Oratorem ſummum. Significantur ergo hoc in loco egregii quilibet Sanctitate Viri, quorum precibus ſe minime flectendum ad dandam Hebræo populo veniam teſtatur Dominus. Id ſi dederis, ad viventes dictum illud referri commode poteſt, & tum in iis verbis hic ineſt ſenſus: Tam etſi ſanctiſſimi Viri rogent, ut veniam populo impertiar, non propterea impertiar. Ad hæc, ſi diligentius expendas verba illa, veliſque ad mortuos etiam Sanctos ea reſtringi, tantum abeſt, ut opportuna ſint ad Sanctorum interceſſionem comprobandam, ut potius eam oppugnent, evertantque. Nimirum indicat Dominus nullas a Moyſe, & Samuele jam mortuis delatas eſſe preces; quæ ſi delatæ etiam fuiſſent, eventus expertes futuræ fuiſſent: quippe nolebat Deus flecti ad miſericordiam. Quod ſi a viris iis Sanctiſſimis obſecratus flecti ad miſericordiam noluit, quis in probabilem ſpem adduci poterit, ut alter quivis e Sanctis ad miſericordiam Deum flectat? Teſtimonium vero deſumptum ex libro Machabæorum, ex eo libro deſumptum eſt, quem inter Sacros Hebræi non receperunt. Age vero: canonicum, ut libet, facito librum illum. Fidem adhuc non promerentur dicta Judæ: quippe ſomnium narravit, non hiſtoriam. Porro qui *ſomnio fidem adhibet*, *hic paſcit ventos*. (*a*) En quæ tradant illi, qui allegata Scripturarum teſtimonia, ſecus ac nos hactenus fecimus, interpretari ſtudent. Quid ad hæc reponi poſſit, ſtatim affero.

(*a*) Proverb. 10. 4.

III. Haud invitus fateor, explicari ſic etiam poſſe, uti explicarunt adverſarii Iſaiæ teſtimonium. At multo convenientius explicari illud arbitror, quemadmodum nos explicavimus; nempe de vero Moyſe, veroque Samuele jam dudum mortali vita functis. Cur nempe mortuorum meminit, cum poſſet plures viros Sanctos viventes commemorare, niſi quia & viventium, & mortuorum Sanctorum preces tum eventus expertes futuras fore edocuit Deus; quaſi diceret: tantum abeſt ut ad pietatem erga ingratum, & ſceleſtum hunc populum moveri velim, ut etiam ſi non modo tu, & viventes reliqui Sancti mihi ſupplicarent, verum etiam ſi ſupplicarent præclariſſimi ex Sanctis mortuis, veniam omnino non indulgerem. Ex eo vero, quod vel tum non rogarint, vel etiam ſi rogaſſent, Deus non exaudiſſet; minime oſtenditur eos omnino non rogare Deum, aut quum eum rogant, non exaudiri; alias eodem argumentandi genere facile oſtenderetur viventes

non rogare, vel ſi rogant, non exaudiri; propterea quia interdum ſe rogari Deus omnino paſſus non eſt. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* (b) cui adde, ſi vis, Verſiculum 11. & 14. Capitis XI: Verſiculum quoque 12. Capitis XIV. ejuſdem Jeremiæ: denique Verſiculum 15. Capitis primi Iſaiæ.

[b] Jere. 7. v. 16.

IV. Venio nunc ad teſtimonium deſumptum ex Machabæorum ſecundo. Machabæorum libros eſſe canonicos commodius alibi oſtendemus. Ceterum fortaſſe ſatis eſt, ut id mihi dent, quod fere concedunt Proteſtantes, tantæ nempe auctoritatis eſſe eos, ut merito legantur a piis, & veluti Sacri a fidelibus habeantur. (1) Neque vero ex eo enervas vim teſtimonii hujus, quod ſomnium ibi deſcribatur. Animadverte quæſo cujuſnam generis Somnium illud eſſe dicitur: (c) nempe *Somnium fide dignum*; & re vera fide dignum, quod nuper dixi, probavit eventus. An non *invocato Deo per orationes congreſſi ſunt, manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes proſtraverunt non minus triginta quinque millia* (hoſtium) *præſentia Dei magnifice delectati* (d)? Sed fide etiam dignum aliam ob cauſam dicere illud poteris; nimirum ob perſuaſionem, quæ Judæorum animos late ceperat: Sanctos mortali vita functos obſecrare pro nobis. Nempe ſi aliter perſuaſum id temporis fuiſſet, nec certo putaſſent Sanctos, qui jam e vita diſceſſerant, pro viventibus deprecari, illudi ſe credidiſſent, Judæque fabulis decipi: Neque propterea ſumere illos potuiſſent animos, quibus hoſtes proſternerent, aut tantam præſentis divini præſidii ſpem concipere, ut in eo etiam *magnifice delectarentur*. Hic repete quæ nuper allegavimus ex Hugone Grotio. Quis vero ſibi in animum inducat deliramenta iſta, ſi deliramenta ea ſunt, per Dominum ipſum collata Victoria fuiſſe confirmata? immo punito Juda, & quotquot illius fallaciæ compotes erant, ma-

(c) v. 11.

[d] v. 27.

(1) Sane in Bibliis Tigurinis monitum hoc reperio in fronte præpoſita libris iis, quos Proteſtantes negant eſſe Canonicos. *Eccleſiaſtici libri, qui ſemper pro ſacris libris ab Eccleſia habiti ſunt, & digni viſi qui legantur a piis, non tamen parem cum Canonicis Scripturis authoritatem obtinuerunt, nec proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Sunt qui appellarunt Apocryphos, vocabulo rei forte non per omnia idoneo, congruove.*

manifeſto ſe averſum oſtendiſſet a peſſimis hiſce, & fraudulentis artibus, quibus dolos malos ſtruere in credulos, & ſimplices homines pertentaverant. Enim vero jamdiu Deus noſter cum iis eſt, *qui ſimpliciter ambulant.* (*) *Illuſores autem illudit* (*). [*] Prov. 11. 20. [*] Prov. 3. 34. Porro ex ea re intelliges non omnibus Somniis fidem eſſe demendam, nec ſemper *paſci ventos* ab eo, qui Somnio alicui fidit. Neque huc ego veterum doctiſſimorum opiniones, & teſtimonia congeram, atque in primis Macrobii, qui (*e*) varia Somniorum recenſet genera, (*e*) Primo *in Somnium Scipionis* libro, cap. 3. in quibus eſt illud quod ὅραμα, ſeu viſio appellatur: illud quoque quod χρηματισμὸς ſeu Oraculum (definit autem Oraculum, *cum in ſomniis parens, vel alia ſancta, graviſque perſona, ſeu Sacerdos, vel etiam Deus aperte eventurum quid, aut non eventurum, faciendum, vitandumque denuntiat. Viſio autem eſt*, (proxime poſt ait ille) *cum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, eveniet.*) Quæ ſane vel ab Hebræorum hiſtoria, doctrinaque ſuo modo veteres illi deprompſerunt; vel a Platonicorum duxerunt fontibus, quorum ſtudioſiſſimum Macrobium fuiſſe accepimus. Verum hujuſmodi argumenta is minime deſiderabit, qui Teſtamentum vetus pervolvens, frequentiſſimam hanc fuiſſe Deo conſuetudinem animadverterit, ut mortales per Somnium admoneret. (*f*) Abimelech in Somnis monitus (*f*) Geneſ. 20. 3. fuit, ut Abrahamo uxorem ſuam reſtitueret. Jacobus e celebratiſſima illa ſcala, Angeliſque per eam modo aſcendentibus, modo deſcendentibus per quietem viſis, locum illum Domino peculiariter acceptum eſſe comperit, illud notiſſimum ſubjungens: (*g*) *Vere Dominus eſt in loco* [g] Ibid. 28. 16. *iſto*: id eſt, ut explicat Janſenius Iprenſis: *Non ſicut eſt ubique, ſed tanquam ubi peculiarem operationem, & favorem præſtat.* In ſomniis quoque edendorum, cujus libebat coloris, agnorum, Angelo rem aperiente, modum edidicit idem Jacob (*h*). In ſomniis pariter Dominus præce- (*h*) Geneſ. 31. 11. pit Labano, ne quidquam aſpere loqueretur in eumdem Jacob (*i*). Neque abſimili modo aſſecutus eſt Joſeph, (*i*) Geneſ. 31. 24. unius ex captivis ſibi ſociis mortem, felicitatem vero alterius: (*) annos quoque tum uberes, fertileſque, tum infœcundos, & ſteriles ex Pharaonis ſomnio detexit: (*) quod [*] Gen. 40. ſæpiſſime, ne rem per ſingula perſequar, evenit; veluti (*) Gen. 41. in ſomnis Nabuchodonoſori oblata eſt ſtatua ex vario metallo conflata, & maximorum regnorum eventus prædicens. (*k*) In ſomnis viſus fuit Panis ſubcineritius ex hordeo in Madianitica Caſtra volutus, cunctaque percutiens, (*k*) Danielis 2.

ſub-

[l] Judic. 7. 13. ſubvertens, & ſolo coæquans: (l) ex eo tamen probe novit Gedeon Dux exercitus Domini, quantam de Madianitico hoſte victoriam relaturus eſſet. Dominus quoque in ſomnis Heli infauſta, (m) felicia Salomoni prænunciavit, (n) & alibi etiam tam manifeſto, & tam crebro id præſtitit, ut loca pigeat indicare, ſunt enim cuique notiſſima. Hujus autem rei cauſa quamquam forte melior afferri nequeat hac: *ita factum eſt*, *quia Deus voluit*, adhuc tamen non deſunt conjecturæ, cur ita fieri voluerit Deus. Prima eſt, quod familiaritatem ſuam cum hominibus palam, & coram, nondum volebat eſſe communem; ſed illis tantum reſervatam temporibus, de quibus prædictum eſt ab Iſaia: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum* (*): Sic, ut vetuſtis temporibus illud tantum Moyſi videretur eſſe conceſſum, ut non in ſomniis, ſed palam eum Dominus (ſive ejus Angelus legatum Domini agens) alloqueretur. *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem &c.* (o) Secunda: ne eos terreret, quibus apparebat; fere enim evenit, ut improviſa vel Angeli adſtantis præſentia terreat. Hoc modo *terribilis nimis* Angelus, qui Manue apparuit, monuitque de fortiſſimo filio orituro, & illi, & illius uxori ſubitum terrorem incuſſit. (p) Angeli quoque adventus (q) & terribilis quædam forma non illos tantum terruit, qui Danielem circumſtabant, adeo ut *terror nimius irrueret ſuper eos, & fugerent in abſconditum*; (r) verum etiam Danielem ipſum; in quo propterea *non remanſit fortitudo, ſed & ſpecies immutata eſt, nec habuit quidquam virium*. (s) Angelo quoque ſe præbente viſendum Zachariæ, *turbatus eſt* (idem Zacharias) *& timor irruit ſuper eum*; adeo ut debuerit animos his verbis Angelus addere. *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua*. (t)

[m] 1 Reg. 3.

(n) 3 Reg. 3. 5.

[*] 30. 20.

[o] Deut. 34. 10.

(p) Vide lib. Judicum 13. v. 22.

(q) Vide librum Danielis cap. 10.

(r) v. 7.

(s) v. 8.

(t) Lucæ 1. v. 13.

CAP.

CAP. V.

Enumerantur ea argumenta, quibus oſtenditur putaſſe Hebræos ab Angelis curam noſtri agi, multaque beneficia ſuis precibus a Deo nobis impetrari.

I. QUæ ad propugnandam eam opinionem, quam nuper recenſui, putaſſe ſcilicet Hebræos curam noſtri ab Angelis agi, multaque nobis beneficia ſuis precibus a Deo impetrari, afferri poſſunt argumenta, ex variis Scripturarum teſtimoniis proficiſcuntur. Fuſas ab Angelis pro Iſraelitico populo preces apertiſſime intelligimus ex verſ. 12. Capitis primi Zachariæ: quippe deſcribitur ſic Deum deprecans Angelus. *Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Ad quæ verba Hieronymus in Commentariis, *Ex qua reſponſione* (inquit) *Angelus, qui interpellabat pro Iſrael, occaſionem accepit pro populo deprecandi, & dixit ad Dominum: Cum omnis Orbis quietus ſit, quare, Domine &c.*

II. Quod vero beneficia impetrent, ex eodem Zachariæ capite liquet: quippe proxime poſt hæc extant. *Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria.* Et mox, verſiculo ſcilicet 16. *Propterea hæc dicit Dominus. Revertar ad Jeruſalem in miſericordiis: & Domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum; & perpendiculum extendetur ſuper Jeruſalem.*

III. Angelum quoque pro reditu ejuſdem Populi Deum oraſſe didicimus ex capite x. libri Danielis, illius partes adjuvante Michaele, uno ex *Principibus*, dum *Princeps Perſarum* utrique obſiſteret, deprecans ſcilicet, ne longe abiret a Populo ſibi commiſſo Populus Iſrael, a quo in veri Dei cultu Perſæ inſtruebantur. Obtinuere vero reditum Iſraelitici Populi Angeli illi, qui hujuſmodi reditum a Domino poſtulaverant. Qua in re curam opto videas, & ſollicitudinem Angelorum, ut pro ſuo quiſque populo deprecaretur.

IV. Neque vero ad comprobandum, quod fundantur ab Angelis pro nobis preces, contemni a te volo, quæ de precibus noſtris ad Deum ab Angelis delatis narrat liber Tobiæ cap. 12. verſ. 12. quippe credibile eſt munus

id

id propterea impoſitum Angelis, ut ſuas adjungant precibus noſtris, quæ illa acceſſione efficaciores fiunt. Vide interpretes in locum hunc.

V. Merito etiam ad Angelorum preces, atque interceſſionem comprobandam afferri conſuevere verſiculi 23. & 24. capitis trigeſimi tertii Job. *Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annunciet hominis æquitatem, miſerebitur ejus, & dicet: libera eum, ut non deſcendat in corruptionem: inveni in quo & propitier*. Quippe ſenſum hunc haud ægre videntur excipere: Si Angelus aliquis pro eo fuerit deprecatus, miſerebitur illius Deus, Angeloque præcipiet, ut ab iis liberet, quibus vexatur malis.

VI. Hic quoque non prætereas opto, quæ ad comprobandam venerationem Angelis ab Hebræis adhibitam alibi exponemus. Quis enim dubitet ex eo etiam fuiſſe permotos, ut colerent Angelos, quòd putarent eorum præſidio, opeque apud Deum juvari illos, qui eoſdem colerent, & plurima a Deo conſequi beneficia?

VII. Sed antequam terminum huic Capiti impono, inſignem Philonis Judæi locum deſcribere hic volo, ex quo nempe apertiſſime conſtet, putaſſe eo tempore Hebræos Angelorum apud Deum interventu juvari homines. En illum (*a*) „ Sunt item quædam puriſſimæ, optimæque omnium, (*virtutes*) quæ altius divinum uſque ſapiunt, aſpernatę iſta terreſtria, & humilia, miniſtrę Omnipotentis, tanquam magni Regis aures, & oculi, videntes, audienteſque omnia. Has genios Philoſophi, Angelos vocant Sacræ litteræ nomine aptiſſimo; Sunt enim internunciæ, patris mandata perferentes ad filios, & ad illum viciſſim preces filiorum. Ideo inducuntur aſcendere, & deſcendere: non quod indicibus opus habeat Deus, qui jam ante ſcit omnia; ſed quoniam id conducit nobis mortalibus, habere mediatores illos, & arbitros, quo magis revereamur rerum omnium præſidem, & ejus maximam potentiam, quam reputantes olim rogavimus quemdam mediatorem: *Loquere nobis tu: Deus non loquatur ad nos, ne moriamur*.

(*a*) in lib. de Somniis.

CAP.

CAP. VI.

Exponuntur explicationes, quibus allegata nuper teſtimonia evitare ſe poſſe contendunt Heterodoxi, eaque refelluntur.

I. AD ſuſceptam de nuper expoſita Hebræorum circa Angelorum interceſſionem opinione diſputationem, poſtremum illud ſupereſt, ut quæ adverſus eam opponuntur, nunc expendamus. Sed quoniam eo potiſſimum ſpectant, ut explicationibus aliis noſtra diluant argumenta, has tantum explicationes refero, quas ſi repulerimus, nihil erit, quod Theologos Proteſtantes ab opinione noſtra ſuſcipienda retardet. Sic itaque differunt. Prima probatio, deſumpta nempe ex verſ. 12. primi Capitis Zachariç viſionem quandam exhibet; ſed fac eſſe hiſtoriam; quis putet ab uno exemplo generales conſecutionem erui poſſe? Idem dic de ſecunda probatione, quæ multo imbecillior ex eo etiam oſtenditur, quod preces Angeli Perſidis, tam & ſi viginti, & uno diebus Deum orantis, repulſæ ſunt, & eventu caruerunt. Liber Tobiæ canonicus non eſt, & etiam ſi demus fide eſſe dignum; tantum id probat, noſtras preces per Angelos deferri ad Deum, quod longe abeſt ab interventu, & advocatione. Et ſane nuncii Divinorum mandatorum nobis ſunt Angeli, nec propterea advocatione pro Deo funguntur.

II. Verſiculi 23. & 24. capitis 33. libri Job hunc ſenſum habent. *Si Vir Sanctus, ſive propheta* is ſit, ſive alius quiſpiam, qui Angeli electi (*unus de millibus*) vocabulum mereatur, ſive etiam Angelus verus per interiorem inſpirationem peccatorem moneat, ut ad Deum revertatur; ille vero re ipſa revertatur, tum demum illius miſerebitur Deus. Poteſt etiam ſic accipi: Tam & ſi Angeli vindices Dei miniſtri eum accuſent, Deus tamen miſericordia motus ob pœnitentiam peccatoris, condonabit illi peccata, tam & ſi idem peccator meritus fuiſſet pœnas ſane non leves, dicetque Deus Angelo ad ultionem parato: *libera eum*. Ad hæc: non Jobi, ſed Eliu verba ſunt iſta, negligenda propterea. Hactenus Heterodoxi.

III. Atqui hæc, & id genus alia, quæ facillime in Heterodoxorum ſcriptis occurrunt, noſtras probationes minime enervant. Sane quod traditur capite Zachariæ pri-

mo, ſive viſio illa fuerit, ſive hiſtoria, ſive utrumque ſimul, ut reor, nos de precibus ab Angelo fuſis edocet; & recte id ex laudato Zachariæ teſtimonio eruit Hieronymus, cujus verba produximus. Quis vero neget generalem conſecutionem erui merito poſſe, quum nihil ei adverſetur, & aliunde noverimus ab Angelis pro nobis fundi preces, & noſtra curari?

IV. Sic vero ſolutionem adhibitam ſecundo teſtimonio evita. Non omnes ab Angelis fuſas preces Deus ratas habet, ſicut non omnes a viventibus, & mortuis Sanctis approbat, aut exaudit. At non continuo rejicit omnes, aut negligit. In conflictu duorum contraria poſcentium, quem ad modum tum contigit, Deus alterius preces eventu vacuas reddere debebat. Reipſa reddidit Angeli Perſidis preces: at eas a ſe non contemni palam oſtendit, dum viginti, & uno diebus ſe orari permiſit ab Angelo Judæis præpoſito, neque prius exaudivit, quàm acceſſiſſent alterius ex Principibus Angelis preces. Peccat ergo ſolutio adverſariorum, quod a dicto *ſecundum quid* (ut ajunt Scholaſtici) conſecutionem eruit univerſalem: id eſt non exaudiri preces Angelorum, quia interdum non exaudiuntur: quæ res probaret omnino non exaudiri viventium preces, quia interdum non exaudiuntur: quum tamen ad has fundendas Scripturæ hortentur, & jam pridem dictum ſit: *Multum valet deprecatio juſti aſſidua &c.*

V. Venio ad tertium. Librum Tobiæ canonicum eſſe diligenter alibi oſtendemus. Interea id accipiamus, quod fere dant adverſarii, antiquiſſimam ſcilicet, & plurimam eſſe hujuſce libri auctoritatem, poſſeque cum laude afferri ad faciendam fidem. Teſtimonium verò illud jure, meritoque fuiſſe allegatum tum alia multa, quæ innui, comprobant, tum auctoritas etiam Auguſtini. Etenim (a) hæc ait. „ Vnde & illud, quod idem Apoſtolus ait: *Poſtulationes veſtræ innoteſcant apud Deum*, non ſic accipiendum eſt, tamquam Deo innoteſcant, qui eas, & antequam eſſent, utique noverat, ſed nobis innoteſcant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam. Aut forte etiam innoteſcant Angelis, qui ſunt apud Deum, ut quodam modo eas offerant Deo, & de his conſulant, & quod eo jubente implendum eſſe cognoverint, ſicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter apportent. Dixit enim Angelus homini: *Et nunc quando orabas tu, & Sara*, ego

(a) cap. 9. alias n. 18. epiſt. olim 121. nunc 130.

„ *ego obtuli orationem veſtram in conſpectu claritatis*
„ *Dei*.

VI. Explicationi adhibitæ teſtimonio deſumpto ex libro Job ſic occurro. Poſſe illud aliter accipi, quàm nos accepimus, ultro fateor: neque vero dum meam explicationem produxi, aliam quamlibet rejicere in animo habui. At oſtendere debet qui rejicere eam cupit, a veriſimili alienam eſſe noſtram, quam ego veriſimillimam arbitror, & forte multo probabiliorem illis, quas attulerunt. Quis neget Angeli nomine tum verum Angelum intelligi, quum vox Angeli occurrit, & nihil vetet, ne tum verus Angelus intelligatur? Quod Angelos vindices commemorant, rem commemorant haud a vero alienam; at meminerint volo adverſarii, Angelos natura, ut ita dicam, ſua inclinari ad miſerationem, & ad opem ferendam nobis. Hinc niſi Deus ſecus juſſerit, ad vindictam parati non ſunt, ſed potius ad beneficentiam. Si vero vindicem Angelum noſcimus, cur miſericordem Angelum non agnoſcemus? Si accuſantem, cur non tuentem, eumque, qui precibus ad pietatem moveat Deum? Utcumque ſit, ſic accipio verba Eliu, ut poſtquam Jobi ſe ſe innocentem teſtantis vocem repulit, tandem tacite hortetur, ut ſe ad Angelum, qui pro ſe deprecetur, vertat, veniam obtenturus audacis dicti: tam & ſi enim pœnas mereretur, & graviſſima ſupplicia, Deus tamen ab Angeli prece commotus veniam indulgebit: haud quippe alienum eſt a Divina & conſuetudine, & caritate, ut hominis plane perditi miſereatur, & eum antiquæ reſtituat dignitati. Sane ipſa Caſtellionis interpretatio, quæ procul dubio ſuſpecta Proteſtantibus non erit, ad hanc interpretationem movere nos forte poterit: quippe indicare videtur duos oſtenſos ab Eliu modos, quibus veniam Jobus obtineret a Deo: quorum primus eſt deprecatio Angeli, (*Orator Angelus*) qua deprecatione Deus moveretur ad miſerationem, & veniam impertiret. Eſt alter monitum hominis, ex quo agnoſceret peccator errorem ſuum, & eum faſſus, veniam expoſceret. Integram refero interpretationem Caſtellionis. En illam „ Quum vehementi dolore multatur in cu-
„ bili ſuo, per quotquot habet membra, animo, & ad-
„ petitu omnem quamvis delicatum cibum, & eſcam
„ abhorrente, & carne ſic tabente, ut non adpareat, &
„ artubus ita depopulatis, ut non extent, adeo ut pro-
„ pe intereat, animamque agat, ſi quis ei adſit Orator

„ Angelus, vel unus ex mille, qui homini ſuum oſtendat
„ officium, (2) Deus ejus miſertus jubet eum a deſcen-
„ dendo in interitum vindicari, ſe ſe inveniſſe multam
„ (3). Fit ejus corpus juvenili delicatius, reverſum ad
„ ejus adoleſcentiæ tempora. Exoratus Deus ei favet,
„ & ejus vultum ovantis adſpicit, (4) hominique ſuam
„ reddit innocentiam. Et ille homines intuens fatetur ſe
„ peccaſſe; illum autem æquum eſſe: ſe improbe feciſ-
„ ſe, illum non ſibi par retuliſſe. Quamquam in hac Caſtellionis interpretatione non multum hæreo: poteſt enim vox illa *Orator* ſic accipi, ut Angelus ad hominem quaſi Orator mittatur: & hanc ob rem non audeo certo aſſerere eam interpretationem favere Catholicis.

VII. Cur vero objicis, verba Eliu, non Jobi illa eſſe? perinde quaſi, tam & ſi verba Eliu, non Jobi ſint, adhuc tamen valde opportuna ad rem noſtram non ſint. An non indicant vel ipſo Jobi tempore, ideoque jam pridem perſuaſos fuiſſe homines, quod ab Angelis preces pro nobis fundantur: idque minime fuiſſe rejectum a Jobo? Id mihi porro ſatis eſt.

CAP. VII.

De eadem Angelorum apud Deum interceſſione perſuaſos fuiſſe Chriſtianos ex iiſdem Veteris teſtamenti locis oſtendimus: quibus etiam alia tum ex novo Teſtamento, tum ex Sanctorum Patrum libris deſumpta teſtimonia adjungimus.

I. PОrro ſi quis ad nuper allegata Veteris Teſtamenti teſtimonia reſpexerit, perſuaderi facile poterit revera traditum fuiſſe in Scripturis ab Angelis noſtra curari, eorum precibus, atque ope nos adjuvari, & conſequi a Deo beneficia. His itaque in eam perſuaſionem induci facile potuere primorum temporum Chriſtiani. Dixi *forte*; nam procul dubio reſpicere potuerunt etiam ad novi teſtamenti

[2] Hanc vero adnotationem in extrema parte paginæ invenio: *perſuadeat ut mores ſuos corrigat, Deoque ſupplicet*.

[3] Hanc quoque adnotationem invenio: *Sibi illa hominis correctione ſatisfactum dicens*.

(4) Hic quoque adnotationem hujuſmodi invenio: *Eum adſpiciens efficit, ut ovet*.

ti Scripturas ex eo vel maxime, quod Ambroſius (*a*) hæc pronunciet. *Simul etiam docet* (Chriſtus) *infirmos non eſſe tentandos, ne in nos eorum delicta vertantur, quorum preces ad Dominum, & ſi ipſi virtutum meritis infirmi ſint, Angelorum tamen patrociniis evehuntur. Nemo ergo irrideat pauperem quia exacerbat illum, qui fecit eum: nemo tentet invalidum, ne Angelos lædat.*

(*a*) li. 8. in Lucam n. 61. alias in cap. 18. v. 16.

II. Quid quod ad hujuſmodi perſuaſionem comprobandam non contemnendum argumentum ſubminiſtrat verſiculus tertius, & quartus Capitis octavi Apocalypſis? En illi. *Data ſunt illi* (Angelo) *incenſa multa, ut daret de Orationibus Sanctorum omnium ſuper Altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Sed ſive veteris, ſive novi Teſtamenti ſcripturis, ſive etiam vetuſta traditione in eam perſuaſionem inducti ſint, in eam procul dubio inducti ſunt.

III. Id ut apertius videas, quædam præter ea, quæ nuper adduxi, profero Patrum loca. Si libros, qui ſub Dionyſii Areopagitæ nomine prodiere, ab eo compoſitos putas, antiquiſſimum ſane, & præclariſſimum interceſſionis, & curæ Angelorum patronum habes: quippe in Epiſtola octava, interprete Corderio, ſic loquitur. „ Ceterum „ ad altiora contendamus, Sanctorum manſuetudines Vi„ rorum, atque amicorum hominibus Angelorum beni„ gnitates omittentes, quo modo ſcilicet illis gentibus „ miſereantur, ac pro ipſis Divinæ bonitati preces offe„ rant, pernicioſaſque ac perditas turbas increpent, ac „ malis quidem noſtris condoleant; ſaluti vero eorum, „ qui ab bona converſi ſunt, gratulentur, ac quæcumque „ de beneficis Angelis Theologia tradit. Quam Epiſtolam paraphraſe illuſtrans Pachymeres, eodem Corderio interprete, hæc ait „ Jam quando virorum aliquot me„ minimus, ad ſublimiora quoque attingenda provehamur, „ eademque contemplemur, non dico Angelorum bonita„ tes benigniſſimorum, ut qui etiam pro gentibus Deum „ deprecantur, & apoſtaticas virtutes, Dæmones inquam, „ propter homines durius increpant; quos etiam multitu„ dines ſeu turbas vocat, non tam quod numeroſæ ſint „ multitudines, quam quod ab uno Deo procul deſcive„ rint: multitudo ſiquidem procul abeſt ab unitate.

IV. At quidquid de auctore laudatæ Epiſtolæ, & librorum ſentias, non negliges ſane celebratiſſimum, &

certum Origenis teſtimonium in lib. VIII. contra Celſum, quod interprete Gelenio, tale eſt. (*) „ Quod ſi multorum „ etiam favor captandus eſt, diſcimus in noſtris literis, „ quod millia millium aſſiſtebant ei, & myriades myria„ dum miniſtrabant ei: quæ multitudo quum videt ho„ mines ſuam erga Deum pietatem imitantes, adjuvat eos „ contendentes ad ſalutem, & Deum invocantes, inter„ dum apparendo precantibus, non indignam rem cen„ ſens, ſi eis miniſtret, magnaque alacritate, ac conſenſu „ prompta ad gratificandum cæleſtis numinis invocatori„ bus, cui & ipſa preces offerre non deſinit. Omnes enim „ hi ſunt Miniſteriales Spiritus ultro, citroque miſſitari ſoli„ ti, ut eorum miniſterio provehantur ad ſalutem, qui ſal„ vandi ſunt. Vide hoc ipſum teſtimonium in recenti editione Patrum Benedictinorum n. 34: claritatem enim illi addiderunt fortaſſe nonnullam, & Patrum dictis confirmaverunt. Adeſt etiam alterum ad id, quod agimus, evincendum Origenis teſtimonium: Homiliam ſcilicet quartam in Lucam ſic concludit. *Angeli præcurrunt Jeſum: Angeli quotidie aut aſcendunt, aut deſcendunt ſuper ſalutem hominum in Chriſto Jeſu &c.* In homilia autem XII. ejuſdem tituli hæc extant, „ Unicuique „ duo aſſiſtunt Angeli, alter juſtitiæ, alter iniquitatis. „ Si bonæ cogitationes in corde noſtro fuerint, & in ani„ mo juſtitia pullularit, haud dubium, quin nobis loqua„ tur Angelus Domini . . . . . Ante adventum Domini „ Salvatoris, iſti Angeli parum poterant creditis ſibi uti„ litatis afferre, & conatus eorum ſequi non valebat ef„ fectus . . . . . . Nunc autem populi credentium acce„ dunt ad fidem Jeſu, & Angeli, quibus creditæ fuerint „ Eccleſiæ, roborati præſentia Salvatoris, multos addu„ cunt proſelytos, ut congregentur in omni Orbe con„ venticula Chriſtianorum.

[*] Tom. 1. p. 940.

V. Preces quoque ab Angelis pro ſalute noſtra jugiter fundi probabile efficitur ex auctoritate ſive Athanaſii, ſive ejus, quiſquis tandem is eſt, cui tribuimus quæſtiones ad Antiochum. Hæc enim in quæſtione 31. leguntur. „ Quod opus Cæleſtium virtutum in Cælis? Hymnus num„ quam intermiſſus, & amor inceſſabilis erga majeſtatem „ Dei, & fortaſſis etiam obſecratio continua pro noſtra „ ſalute. Quæ verba deſumpta ſunt ex libro *de Communi Eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quem librum licet dubiis Athanaſii libris annumerent Patres Benedictini, inter eos tamen, quos Athanaſius revera edidit, non

pau-

pauci recenſent, & etiam ſi ab Athanaſio abjudices, probabilem tamen, & vetuſtum fatearis neceſſe eſt ejuſdem libri auctorem.. Idem repetitur *in Teſtimoniis*.

VI. Curam vero eorumdem Angelorum pro Civitatibus ſibi commiſſis palam edocet Syneſius Cyrenenſis (*b*). Generalem autem noſtrum omnium curam innuit Auguſtinus (*c*) his verbis. „ Hæc (Eccleſia) in Sanctis Angelis „ beata perſiſtit, & ſuæ parti peregrinanti, ſicut oportet, „ opitulatur: quia utraque una erit conſortio æternitatis, „ & nunc una eſt vinculo caritatis, quæ tota inſtituta „ eſt ad colendum unum Deum.

(*b*) Epiſt. 31.
(*c*) in cap. 56. alias n. 15. Enchiridii.

VII. Vide etiam quæ tradit Bernardus numero ſexto, & ſubſequentibus Sermonis 12. in Pſalmum *Qui habitat*: præclariſſima quippe, & perſpicua edocet. Id ſeligo, quod numero ſexto tradit „ Adſunt igitur (Angeli) & ad„ ſunt tibi, non modo tecum, ſed etiam pro te. Adſunt „ ut protegant, adſunt ut proſint. Quid retribues Domi„ no pro omnibus, quæ retribuit tibi? Siquidem ſoli ei „ honor, & gloria. Quare ei ſoli? quia ipſe mandavit; „ & omne datum optimum non niſi ab illo eſt. Intercedere vero ex eo novimus, quod preces non funderent, neque ſuam pro nobis adhiberent opem, ſi ſe a Deo contemni, ſuaſque preces impetrationis expertes conſpicerent, quas ceteroqui a Deo exauditas ex hactenus dictis intelligimus.

CAP. VIII.

Iis occurrimus, quæ in propoſitam ſuperiore capite Sententiam a Proteſtantibus objici conſuevere.

I. QUoniam vero potiſſima Proteſtantium cura eſt, ut probationes noſtras enervent, eorum monita primum audiamus oportet; tum continuo refellemus. Monent itaque primo inopportune in rem noſtram deduci veteris Teſtamenti verba; ſi quid nempe ex iis conſequimur, id eſt, ut oſtendamus Angelos olim curam noſtri geſſiſſe, curaſſe res noſtras, preces ab iis pro nobis fuiſſe fuſas. At minime oſtendimus id quoque poſt Chriſti aſcenſum in Cælos ab iis agi. Immo id agere omnino nequeunt. Nimirum id citra injuriam Supremi advocati, & mediatoris non fieret, Chriſti ſcilicet, qui ſedet ad dexteram Dei, quique effectus eſt (*a*) *propitiatio pro peccatis* no-

(*a*) Joan. Ep. 1. 2. 2.

noſtris ; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi. Hinc tam & ſi ante illud tempus advocatione pro nobis Angeli fungerentur, noſtrarumque rerum curam gererent, nunc tamen omnino non funguntur, nec curam noſtri gerunt, ideoque ad ea teſtimonia reſpicere non potuerunt Patres, quorum verba produximus. Quod vero attinet ad probationes ex novo Teſtamento deſumptas: verſiculus tertius, & quartus capitis octavi Apocalypſis longe abeſt ab ea meta, quam ſibi præfixere Pontificii. Nonne explicari hæc commode poſſunt de laude Deo proveniente ex precibus Sanctorum? eæ quippe Sacrificium Deo præbent, quo ille maxime delectatur: & jam pridem ſcriptum erat. *Sacrificium laudis honorificabit me*. (*b*) hinc *Sacerdotes* dicuntur Seniores illi, qui *Phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*, Deo porrigunt. (*c*)

(*b*) Pſal. 49. 23.

[*c*] Apocal. 5. 8.

II. Quod ad Patres attinet, Dionyſio Areopagitæ tributos olim libros noſtris temporibus nemo tribuit. Agnitum ſcilicet eſt Sancto Doctori fuiſſe ſuppoſitos a ſciolo aliquo, qui quinto ſæculo vivebat, quique Monachos, & diviſionem Eccleſiaſticarum Præfecturarum, & Dignitatum ad Apoſtolica uſque tempora producere ſtuduit, invita tota antiquitate, cui tum hæc, tum libri Dionyſii Areopagitæ ignota fuere. Ceterum multo obſcuriora ſunt verba illa, quàm cuperet Pachymeres, qui paraphraſe omnino Pontificiis ſenſibus accomodata non illuſtrat, ſed obſcurat, deturpatque illius auctoris libros, in quos Commentarios ſcribit. Origenes deſcribit tantum vel extraordinariam quamdam opem ab Angelis collatam contendentibus ad Deum; (& revera apparitionum meminit: *interdum apparendo*; quas rariſſimas novimus) vel ea munia, quæ Angelis impoſuit Deus: numquam vero aut precum meminit ab Angelis fuſarum, aut curæ illius generis, quod Pontificii amant.

III. Liber quæſtionum ad Antiochum, & alter *de communi Eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Teſtimonia* quoque longe abſunt a ſtylo Athanaſii, multumque Athanaſio deterioris auctoris ſunt, cui proinde fides adhibenda non eſt. Sed etiam ſi fidem præbere ei velimus, ita explicantur, ut Origenis verba explicavimus; quo etiam modo interpretari facile poſſumus quæ proferuntur ex Auguſtino, ex Bernardo, & ex aliis Patribus teſtimonia. At fac aliquod ex iis teſtimoniis hujus modi explicationem minime ferre.

Quis

Quis cordatum hominem coget ita ſingula Patrum dicta ſententiaſque æſtimare, ut ab iis diſcedere omnino nequeat? Hæc adverſarii. Sic vero nos eorum dicta refellimus.

IV. Primum hic omittimus, copioſiſſime de eo poſtea acturi. At interea non prætereibo, ſatis innoteſcere Angelis noſtras res, eaſque curare poſſe, neque id illis ullo unquam tempore vetitum fuiſſe a Chriſto, per quem ad Deum deferunt Angeli preces noſtras, ſuas noſtris addentes, ut efficaciores reddant. *Angelus ejus*, inquit Origenes, (d) *perpetuo faciem Cæleſtis Patris aſpiciens, ſemper preces ejus* (Chriſtiani) *in cælum offert per unicum Pontificem Summo Deo, ipſe quoque pro ſibi commiſſo deprecans*. (5) Jam reliqua perſequor.

(d) in lib. 8. contra Celſum. t. 2. p. 940. in editione PP. S. Mauri n. 36.

V. Verſiculus 3. & 4. capitis octavi Apocalypſis haud temere allatus eſt. Omnino non vidi Angelos appellatos *Sacerdotes*, quum tamen, ſi ea ſola eſſet orationes Deo porrigendi cauſa, quam attulere adverſarii, *Sacerdotes* appellare merito poſſemus. Hinc tam & ſi ultro dederim, orationes noſtras Deo porrigi veluti ſacrificium, & teſtes ſummi obſequii erga eum; non continuo dederim a vero aberrare, quæ dixi de interventu Angelorum, & additamento ſuarum precum precibus noſtris, ut eas reddant efficaciores, accedente præſertim auctoritate eorum, quos protulimus, Patrum, id non obſcure indicantium.

VI. Dionyſio Areopagitæ num tribuendi ſint, nec ne, ii libri, qui ſub ejus nomine prodierunt, hic diſſerere minime opportunum eſt. Certum eſt tamen, neque recentes eſſe, neque contemnendos eos libros. Porro Pachymeres ſenſa expoſuit, quæ obſcure latere videntur in Dionyſii verbis; ac niſi aliud commodum ex ea interpretatione erueremus, non leve illud foret, quod ſenſa ſua, ideoque auctoris non deſpicati proferat Pachymeres.

VII. Quod ad Origenem attinet, ſic te expedi. Origenes in allatis verbis non cunctorum beneficiorum ab Angelis humano generi collatorum meminit, ſed aliquorum tan-

(5) Interpretationem Gelenii exhibui. En illam, quam ſubminiſtrat recens optima editio D. Caroli de la Rue. *Ejus* (Chriſtiani) *Angelus, qui ſemper videt faciem Patris cæleſtis, ejus preces per ſolum Sacerdotem magnum ſemper univerſorum Deo offert, & ipſe precatur pro eo, cujus ipſi commiſſa cura eſt.*

tantum, ex quibus tamen reliqua conjicere poſſumus. Non omiſit ea tamen omnino, ſed ſummatim potius collegit, dum adjuvari dixit ab Angelis homines, dum eorum alacritatem, promptum animum, & proclivem voluntatem ad benefaciendum commemorat, dum preces ab iis Deo oblatas exponit, aliaque id genus, quæ ſi minutius referas, Angelorum miniſteria, & beneficia nobis collata recenſebis. Propterea vero, niſi fallimur, ea fuſius non expoſuit, ne conſentire omnino videretur cum Celſo, adverſus quem ſcribebat, aut partiri, quod Platonici faciebant, providentiam, & rerum mundanarum adminiſtrationem, Deum inter, & Angelos.

VIII. Cur vero attenuare contendis auctoritatem libri, qui ad hunc modum inſcribitur: *de Communi Eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*? Sane a multis viris minime indoctis, uti diximus, haud temere adſcribitur Athanaſio. Hos profecto alia quidem argumenta in eam perſuaſionem induxere, ſed præſertim illos movit, quod cum Auctor libri quæſtionum ad Antiochum ex Athanaſio ſua dicta decerpere conſueverit, quæſtione 31. inveniamus eadem prorſus verba, quæ in libro de *Eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* extant. Sed cujuſcumque auctoris ſint liber de *Eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Teſtimonia*, & liber *quæſtionum ad Antiochum*; procul dubio gravis auctoris ſunt, & ad faciendam fidem idonei.

IX. Sic vero poſtremo occurrimus. Quæ verba ex aliis probatis auctoribus a nobis, & Theologis noſtris afferuntur, adeo perſpicua ſunt, ut interpretationibus adverſariorum ſe eludi non ſinant. Id manifeſto agnoſces, ſi verba ipſa conſulas. Alibi vero pluribus oſtendi, ſummam apud Chriſtianos exiſtimationem mereri illa, neque temere a Doctorum noſtrorum ſententiis recedendum eſſe.

CAP. IX.

Apud Chriſtianos invaluiſſe de Sanctorum apud Deum interceſſione ſententiam. Id primo inſinuatur argumento deſumpto ex interceſſione Angelorum, tum peculiariter ex Scripturis evincitur.

I. CUncta tum Scripturæ, tum Patrum, aut veterum hiſtoricorum teſtimonia, quæ ad Sanctorum interceſſionem affirmandam pertinent, ſi quis percenſere velit, infinitum opus aggrediatur, Patreſque ipſos, & veteres hiſtorias pæne integras tranſcribat, neceſſe eſt; adeo nulla fere pagina extat, in qua non illius rei probatio, aut argumentum aliquod exiſtat. Quare ne in hoc genere infinita ſit, ac ſupervacua diſputatio noſtra, modus adhibendus eſt ſeligendis, delibandiſque nonnullis probationibus, & poſt adhibitum in rem præſentem argumentum ex Angelorum interceſſione deſumptum, prius ex Scriptura, tum aliqua tantum ex veteribus hiſtoricis, & Patribus producenda ſunt loca.

II. Primo itaque deduci potuere in eam perſuaſionem Chriſtiani ab iis, quæ de Angelis diximus: nam ut prætercam celebratiſſimum illud: *Erunt ſicut Angeli in Cælo*, ſane eruunt præſtantiſſimi viri ex ope nobis collata ab Angelis, opem quoque nobis conferri a Sanctis vita functis. Sic Ambroſius: (*a*) *Sicut* (inquit) *Angeli præſunt, ita & hi qui vitam meruerint Angelorum.*

(*a*) n. 96. ideſt poſtremo libri 8. in Lucam.

III. Quid quod æquius nobis opem ferri a Sanctis vita functis, quam ab Angelis, ex eo quod arctiori vinculo juncti ſint nobis Sancti vita functi, quàm ſint juncti Angeli, Bernardus apertiſſime tradit? „ *Quid ergo? diſcurrunt Angeli* (inquit ille) (*b*) *& ſuccurrunt hominibus, & qui ex nobis ſunt, neſciunt nos, nec norunt jam compati, in quibus paſſi ſunt & ipſi? Qui dolores neſciunt, ſentiunt tamen noſtros, & qui venerunt ex magna tribulatione, non recognoſcunt jam, in quo fuerunt?* Et num. 10. Sermonis quinti in feſto omnium Sanctorum. *Confido equidem & de Angelis, quod nec ipſi ſuam viſitare ſpeciem dedignentur, maxime quia ſcriptum eſt*: Viſitabis ſpeciem tuam, & non peccabis. *Ceterum & ſi de eis mihi arbitror præſumendum ob ſpiritualis ſubſtantiæ, & rationalis formæ ſimilitudinem, ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor* ver-

(*b*) n. 3. Serm. 2. in Natali S. Victoris.

vertendum, quos habere me noverim & in ipſa humanitate conſortes, ut oporteat eos familiarius, & ſpecialius miſereri oſſi de oſſibus ſuis, & carni de carne ſua. Vide quæ rurſus idem Bernardus tradit num. 3. 4. & 5. Sermonis 77. in Cantica.

IV. At alia extant, eaque non minus perſpicua: ſunt vero teſtimonia veteris teſtamenti, quæ jam protulimus, quibus alia junge non minus apta ex novo teſtamento deſumpta, quæ deinceps allegabo: monumenta quoque Eccleſiaſtica, & Patres, quibus eadem perſuaſio comprobatur. Hæc proferens ordinem temporum ſequar, & ab ipſis Eccleſiæ exordiis enumerationem deductam ad ea tempora continuabo, quæ minus a nobis diſtant; nam ſi de ſententia noſtrorum Doctorum, aut eorum, qui non longe a noſtra ætate in Eccleſia Catholica vixerunt, diſſerere in animo haberem, rem ſupervacuam agerem: norunt quippe omnes, a Theologis noſtris Sanctorum interceſſionem acerrime defendi.

V. Antiquiſſimam probationem ſubminiſtrat Epiſtola II. D. Petri. (c) En illam: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Vertit autem Gagnæjus ſic: „ *Dabo quoque operam, ut poſtquam egreſſus ex hoc tabernaculo fuero, perpetuam eorum, de quibus vos commoneſeci, memoriam teneatis.* Profecto ſi ita ſermonem conſtruas: *Dabo quoque operam, poſtquam egreſſus fuero de hoc tabernaculo, ut perpetuam memoriam teneatis eorum, de quibus vos commoneſeci*; continuo id, quod expoſcimus, obtinebimus. An non tum ſignificat Petrus, ſe, qui mortem proxime ſubiturus erat, tam etſi vita mortali functum, adhuc effecturum, ut ii, ad quos tum ſcribebat epiſtolam, perpetuam facerent memoriam eorum, de quibus eos commoneſecerat? Quomodo vero efficere id poterat, niſi precibus ad Deum fuſis? Quid porro vetat, ne eam ſequaris interpretationem, quam quidem ſyntaxis hujuſce Epiſtolæ facile admittet, & quam proponunt ea Græca Scholia, quorum meminit Gagnæjus; (6) quamque indicant, immo palam ſequuntur vetuſti etiam Patres, ſuffragantibus recentioribus iis interpretibus, quos hic allegat Cornelius a La-

(c) Cap. 1. verſ. 15.

(6) *Certe Græca Scholia* (inquit Gagnæius ad locum hunc) *in hunc locum aſſerunt nonnullos ex hoc loco intellexiſſe, quod Sancti poſt mortem ſuam, eorum, qui hic degunt, meminerint, ac pro vivis intercedant &c.*

a Lapide? Profecto non temere multi e noſtris arbitrantur, Leonem Magnum huc reſpexiſſe, dum capite tertio Sermonis ſecundi in Natali Sanctorum Petri, & Pauli (*d*) ſic loquitur. *Nam & poſt reſurrectionem ſuam Dominus Beato Petro Apoſtolo poſt Regni claves ad trinam æterni amoris profeſſionem myſtica inſinuatione ter dixit: Paſce oves meas. Quod nunc quoque procul dubio facit, & mandatum Domini pius Paſtor exequitur confirmans nos cohortationibus ſuis, & pro nobis orare non ceſſans, ut nulla tentatione ſuperemur*. Quem ſermonem ex ejuſdem Sancti Leonis Sermone III. in anniverſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, fuiſſe confectum recte monet idem Queſnellius. Vide etiam Caput. IV. ejuſdem ſermonis.

(*d*) in editione vero Queſnellii ſerm. 4. in Appendicula.

VI. Sed num ad eum, quem allegavimus locum reſpexerit, an non, D. Leo, inquirere omittamus: quando comperta res eſt, fuſas a D. Petro pro viventibus preces agnoviſſe, edocuiſſeque D. Leonem, & ad citatum Epiſtolæ D. Petri teſtimonium reſpexiſſe ſive Joannem Chryſoſtomum, (*e*) ſive alium, quiſquis is eſt, auctorem (nam Chryſoſtomo hanc demunt Patres Sancti Mauri (*)) illius Orationis, quæ de laudibus Principum Apoſtolorum edita eſt: quippe ſic eoſdem Apoſtolos hic auctor alloquitur: *abſque intermiſſione pro nobis orate: repromiſſiones veſtras explete: Succlamas enim Beate Petre ſic dicens: Studebo poſt meum obitum veſtri teſtimonium facere*. Novimus quoque promiſiſſe D. Petrum (ſi qua fides Epiſtolæ D. Clementis ad D. Jacobum miſſæ, in latinum verſæ a Rufino) precibus apud Deum fuſis ſe populo ſuo adfuturum. *Certus eſto, quod neceſſe eſt te ſuſcipere omne periculum: quia nec ego pro ſalute omnium obſecrando ceſſabo*.

(*e*) In veteribus edition. tom. 5. in editione Frontonis Ducæi tom. 6. Opuſculorum.

(*) Vide pag. 5. append. ad tom. 8.

VII. Verum non in hoc tantum teſtimonio innitimur. Quippe haud obſcure Sanctorum in Cælo degentium preces indicatas plerique putant in Capite 5. Apocalypſis v. 8. ex quo novimus, ſeniores viginti quattuor procidiſſe coram Agno: *habebant vero ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt Orationes Sanctorum*. Porro ſive putes phialas has plenas odoramentorum, *quæ ſunt orationes Sanctorum*, ſignificare orationes, quas ſeniores ipſi offerunt Deo, ſive putes eſſe orationes viventium, quas ut efficaciores redderent, forte etiam quia ſibi, ut ita loquar, concreditæ erant, ſeniores ipſi Deo offerebant, ſive aliud quodpiam his affine: certa res eſt, Orationes Sanctorum hic palam fuiſſe ſignificatas; quas cum

non

non poſſent pro ſe fundere ſeniores illi, nullius rei indigi; reliquum eſt, ut pro aliis funderent, aut certe ab aliis fuſas, & ſibi concreditas, Deo, Agnoque porrigerent.

CAP. X.

Quædam Proteſtantium cavillationes proponuntur.

I. NOn aliud quidquam contendunt hic adverſarii, niſi ut noſtra argumenta, probationeſque diſſolvant. Monent itaque primo, haud recte a cura, quam, ſi vis, hominum gerunt Angeli, erui, curam noſtri a mortuis Sanctis geri. Valde ſcilicet præſtant, multoque etiam plus ante Chriſti ortum, & Aſcenſionem in Cælos præſtabant Angeli homines, tam etſi ſanctos vita functos. Temere ergo a precibus, quas Angeli fundunt, curaque, quam noſtri gerunt, eruere optamus, id quoque peragi a Sanctis. Vetat id ſane Origenes, dum libro ſecundo Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos (*a*) in ipſo fere initio: „ Si extra corpus (inquit) poſiti vel Sancti, qui cum Chriſto ſunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ miniſteria procurant; vel rurſum peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, Angelorum nihilominus ad ſimilitudinem ſiniſtrorum.... habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque chartulæ committenda myſteria. Nec vero teſtimoniis ex veteri teſtamento deſumptis fidas. Ea quippe inopportuna ſunt prorſus: quatenus id exhibent, de quo omnino non pugnant Proteſtantes. Fatentur ſcilicet, & palam fatentur, antequam Chriſtus noſter fieret advocatus, eo munere Sanctos interdum fuiſſe functos; at fungi nunc omnino non poſſunt citra Chriſti injuriam; quippe unicus advocatus conſtitutus eſt a Patre, qui omnia tradidit illi in manu: inauditum autem veteribus, & nuper temere inductum figmentum eſt, duplex mediatorum genus eſſe, redemptionis unum, interceſſionis alterum: quorum primum pertineat ad Chriſtum, ſecundum Sanctis fuerit impoſitum. Apage nefarium dictum, quodque manifeſto repellunt & Scripturæ, & Patres. Sane D. Paulus: (*b*) *Unus Deus*, (inquit) *unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Et D. Joannes: (*c*) *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Je-*

(*a*) pag. 553. tom. 2. editio. Froben.

(*b*) 1 ad Timoth. 2. v. 5.

(*c*) in Epiſtola 1. cap. 2. v. 1.

Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi. His Patrum ſuffragium accedat. Audi quid doceat Auguſtinus: (*d*) „ Si Joannes ita diceret: *Hæc ſcripſi vo-* „ *bis ut non peccetis: & ſi quis peccaverit, mediatorem me* „ *habetis ad Patrem, & ego exoro pro peccatis veſtris*; (ſi- „ cut Parmenianus quodam loco mediatorem poſuit Epi- „ ſcopum inter populum, & Deum) quis eum ferret bo- „ norum, atque fidelium Chriſtianorum? Quis ſicut Apo- „ ſtolum Chriſti, & non ſicut Antichriſtum intueretur? „ Et tamen lacus detriti fumoſam aquam iſtorum ſuper- „ biam ferunt, & Spiritum Sanctum continere non poſ- „ ſunt, ut ſervent unitatem ſpiritus in vinculo pacis, & „ in omnibus orationibus ſuis de uno mediatore ſecuri „ ſint.

[*d*] cap. 8. alias n. 15. lib. 2. contra Parmenianum.

III. Nec majus robur habent teſtimonia novi Teſtamenti. Canonica non eſt Epiſtola ſecunda D. Petri. At age: canonica ea ſit. Vide quid tandem ſequitur. Petrum curaturum, ne vel poſt mortem oblivifcerentur ii, ad quos ſcribit, monitorum, quæ illis dederat. Id autem conſequi poterat aut precibus ad Deum dum viveret fuſis, aut per nuncios mittendos, Præſides ſanctiſſimos præficiendos, aliaque id genus.

IV. Teſtimonium deſumtum ex verſ. 8. capitis v. Apocalypſis omnino ad rem non pertinet; quippe eæ orationes, quas viginti quatuor Seniores obtulere, gratiarum actiones erant propter beneficia a ſenioribus ipſis recepta. En verba Apocalypſis. „ Et cum aperuiſſet librum, qua- „ tuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt „ coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas au- „ reas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes San- „ ctorum, & cantabant canticum novum, dicentes: Di- „ gnus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula „ ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſan- „ guine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & na- „ tione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdo- „ tes, & regnabimus ſuper terram.

V. At fac orationes fuiſſe, & preces a Senioribus illis Deo delatas: tum dicere potes aliquid pro ſe popoſciſſe: Novimus quippe ex eodem libro Apocalypſis, (*e*) quædam interdum pro ſe poſcere Beatos. Quin etiam novimus, Eccleſiam interdum orare pro Sanctis, & celebratiſſima eſt oratio jam fuſa pro anima Sancti Leonis, cujus

(*e*) cap. 6. v. 10.

quì-

quidem orationis meminit Innocentius III. Quid ſi dicas, orationes, & preces hic improprie ſumi, aut certe in latiſſima quadam ſignificatione, quæ compleċtatur & preces, & laudes Deo fuſas? Porro laudes hic indicari evincunt phialæ plenæ odoramentorum, ideoque plenæ illius Thimiamatis, quod Deo offertur, quum eum laudamus. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Hæ vero laudes offerebantur Deo a Beatis, ut unum ex noſtris, & ſuis commendationibus, & præconiis compoſitum Canticum canerent. *Quæ ſunt orationes Sanctorum, & cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine &c.* Sed tamen intellige, ſi vis, preces veras a viventibus fuſas, & a Sanctis Deo oblatas: has Deo offerre poterunt Sancti in Cælis degentes, Angelorum partes, & munus, ut ita loquamur, aſſumentes: Verum Angeli Deo preces noſtras offerunt, non ut ſuas preces noſtris jungant: id quippe neque novimus præceptum Angelis, neque ab iis peractum: ſed vel obſequii, & cultus cauſa erga Deum, vel alium ob ſimilem finem. Hactenus adverſarii. At nos eorum dicta expendamus.

CAP. XI.

Brevi expedita prima objectione, quæ paritatem ab Angelorum interceſſione deductam impetit, alioque delata ſolutione potiſſimæ difficultatis, illius ſcilicet, quæ a Chriſti mediatione petitur, commodius deinceps pertractandæ, repelluntur reliqua, quæ Capite ſuperiori objecta ſunt.

I. PRimum paucis expedio. Satis quippe, ut arbitror, vidimus, quam opportune a precibus, quas fundunt Angeli, & ab ope, quam ferunt, eruantur preces a Sanctis fuſæ, & auxilium delatum nobis. Id auctoritate ſua, & ratiocinatione comprobant Patres, quos allegavimus: Neque vero opus eſt, ut ea, quæ jam tradidimus, hic repetamus. Origeni, (qui hoc quidem in opere interpretem Rufinum habuit) (a) ſi forte noſtræ perſuaſioni adverſaretur, objici poſſent Ambroſius, & Bernardus, quos jam produximus. Sed revera non adverſatur; edocet quippe tantummodo ignotum eſſe, num Sancti mortui per ſe ipſi præſentes ſint iis, quos adjuvari per Angelos novimus: & num ipſimet Sancti per ſe eos adjuvent, ſicut Angeli adju-

(a) Vide Tillemon. tom. 3. pag. 774.

juvant. Ignotum quoque eſſe, num peccatores mortui præſentes per ſe ipſi adſint iis, qui vexantur, & ad ſimilitudinem Dæmonum ipſimet vexent. At quod ad Sanctos attinet, ignotus eſt adhuc modus, quo nos adjuvent. Nonne Auguſtinus [a] ſibi id ignotum eſſe candide fatetur? neque multum ab his remota proponit capite x. libri 22. *de Civitate*. *Faciunt* (inquiens) *iſta* (miracula) *Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos non Deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credamus*. Cui quidem opinioni aliqua ex parte favet auctor libri quæſtionum ad Antiochum: quippe negat (b) ſanctas animas per ſe adjuvare eos, quos adjuvant, ſed monet id Angelorum opera fieri, ad id inductus ex eo, quod eodem tempore videmus multos ab uno Sancto adjutos, ideoque, ſi per ſe adjuvarent Sancti, pluribus locis præſentes forent, quod Deo peculiare eſt. Simili modo ea terriculamenta, quæ ab animabus hominum malorum vita functorum viventibus fiunt, num ab iis ipſis, num vero a Dæmonibus fiant, palam dicere non audet Origenes: forte, ne inopportunam diſputationem inſtitueret; forte etiam, ne omnino diſcedens a Platonicorum ſententia, eos offenderet, quos Chriſtianis dogmatis affinia dogmata proponere ſæpius dixerat. Quamquam de modo, quo Sancti, Angeli, & mortuorum animæ, & omnino ſpiritus quivis in nos agant, noſque adjuvent, quæſtio leviſſima eſt, ut eæ ſunt fere, quæ ad phyſicam rationem pertinent; non enim fieri poteſt, ut in tot, & tam variis Philoſophorum ſyſtematis nullum occurrat, in quo non ſatis pro imbecillitate noſtra hæc explicentur. Nemo ignorat ſyſtema illud laudatiſſimum *Cauſarum occaſionalium*; nemo illud, quod celebratur a multis, & in *harmonia quadam præſtabilita* conſiſtit. Quàm multi Phyſici voluerunt, ſpiritum nullo circumſcribi, aut teneri loco, nullamque habere ad ſpatium relationem? Quæ omnia, ſi veteribus philoſophis non omnino nota fuerunt, ea tamen ſubodorati ſunt, & aliqua ex parte attigerunt. Atque hæc ſi ſequamur, nihil facilius erit, quàm illa explicare, quæ nobis hoc loco de Angelorum, Sanctorumque in nos actionibus proponuntur. Quid quod talibus quæſtionibus opportuniſſime, & rationabiliter ſatis fit, ſi reſpondeatur, mentis noſtræ aciem non eo uſque proferri poſſe, multaque admittenda a nobis eſſe, de quorum modo

[a] Cap. 16. alias n. 20. libri, quem conſcripſit *de Cura mortuorum* ſeu ſi vis, *de Cura pro mortuis gerenda*.

(b) Inter opera Athanaſii quæſtio. 25. & 26.

do ac ratione ignoramus ? quod niſi facimus, vix erit quidquam in philoſophia ipſa, quod admittamus. Audi Auguſtinum. (*c*) „ Cur & mortui tanta poſſunt, qui pro „ ea fide, qua hæc reſurrectio prædicatur, occiſi ſunt ? „ Sive enim Deus ipſe per ſe ipſum miro modo, quo res „ temporales operatur æternus, ſive per ſuos miniſtros „ iſta faciat; & eadem ipſa, quæ per miniſtros facit, ſi„ ve quædam faciat etiam per Martyrum Spiritus, ſicut „ per homines adhuc in corpore conſtitutos; ſive omnia „ iſta per Angelos, quibus inviſibiliter, immutabiliter, „ & incorporaliter imperat, operetur; ut quæ per Mar„ tyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum, & impe„ trantibus, non etiam operantibus fiant; ſive alia iſtis, „ alia illis modis, qui nullo modo comprehendi a mor„ talibus poſſunt: ei tamen adteſtantur hæc fidei, in qua „ carnis in æternum reſurrectio prædicatur.

(*c*) Lib. 22. *de Civit.* cap. 9.

II. Atque hic diſſolvendum id eſſet, quod ex mediatione Chriſto tributa petitur, potiſſimum illud quidem; at commodius id alibi agetur; Quam ob rem ad reliquas difficultates me converto. Canonicam eſſe D. Petri Epiſtolam alibi probabimus. Argumentationem vero ſuper ea conſtructam opus non eſt, ut tueamur, quippe, ut arbitror, ſatis probabilem effecerunt, quæ tum protulimus, quum eam allegavimus. Ad reliqua itaque ſermonem dirigamus.

III. Quæ ex Apocalypſi produximus, id revera oſtendunt, ad quod oſtendendum allata ſunt. Nimirum duæ res ſejunctæ prorſus ibi commemorantur: oblatio phialarum, quæ plenæ erant odoramentorum, *quæ ſunt orationes Sanctorum*, & en prima: altera Canticum, quo nempe iidem Seniores Agnum præconiis, & laudibus proſequebantur. Quod vero non ipſorum Senum preces, ſed alienas phialæ illæ continerent, ex eo probatur, quod ſi Senum fuiſſent preces illæ, id edoceremur, diceretur que exempli cauſa, *quæ ſunt orationes ſuæ*; at multo aliter res exprimitur, & alienæ preces haud obſcure indicantur, dum Sanctis veluti diſtinctis a Senioribus offerentibus, eæ preces tribuuntur. *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*. Hac vero poſita animadverſione repellis, quod adverſarii ajunt; Sanctos ſcilicet per id tempus pro ſe fuiſſe deprecatos; id eſt vel pro ſanguinis ſui ultione ex inimicis, vel ob augendam glo-

riam

riam ſuam, vel aliam affinem ob cauſam. Cur id quæſo hic non exprimitur, cum tamen palam exprimatur verſ. 10. cap. 6. quem jam citarunt? Quin immo, quem ad modum dixi, non obſcure edocemur verſ. 8. capitis 5. alienas, non ſuas preces a Senibus fuiſſe oblatas Deo. Quonam vero modo accipi debeant quædam preces Eccleſiæ, pro Sanctis ad Deum fuſæ, commodius alibi videbimus. Neque vero ullo in loco, quem ego noverim, laudes, aut gratiarum actio *orationum* vocabulo ſignificantur, & id certe hic non fit, cum palam diſtinguantur a Cantico, in quo Agni laudes concinuntur, & ceteroqui ad ſacrificium, ſeu thimiama, ſpectare etiam poſſint eædem orationes, dicente Davide: (d) *Dirigatur, Domine, oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.*

(d) Pſal. 140. 2.

CAP. XII.

Patres, aliaque Eccleſiaſtica monumenta allegamus, a vetuſtioribus incipientes, & poſt deſumptum ex quadam D. Ambroſii, ſeu ſi vis, alterius, quiſquis eſt, Ambroſii nomine vulgata Epiſtola teſtimonium, illudque expenſum, Acta S. Ignatii, & Polycarpi, Irenæum quoque producimus, & ab adverſariorum cavillis vindicamus.

I. POſtquam Scripturis prȩſidium, curamque noſtri, quam Sancti ſuſcipiunt, eorumque apud Deum interventum, ac preces fuſas comprobavimus, nunc adverſus Catholicæ perſuaſionis hoſtes Patrum, ac veterum Scriptorum teſtimoniis pugnemus. Neque hic quidem ambigua, aut minus perſpicua monumenta afferemus, ſed ea tantum expreſſa Patrum, ac Scriptorum Eccleſiaſticorum loca, ex quibus liquido conſtet, Sanctos vita functos noſtri curam non negligere, ſed nos ſuis apud Deum precibus adjuvare. Si quidquam auctoritatis obtinet Epiſtola ea, quæ diu inter Ambroſii Epiſtolas retenta eſt, & Ambroſii etiam nomine citatur primum a Damaſceno de Ima-

ginibus loquente; tum ab hiſtorico Agnello, (7) denique a viro emunctæ naris Petavio, (*a*) obtinebatque tertium & quinquageſimum locum in ſerie, & ex ea ſumptæ videntur lectiones, quæ in Breviario leguntur in feſto die Sanctorum Gervaſii, & Protaſii, antiquiſſimam ſane fatearis oportet Chriſtianorum perſuaſionem, qua creditur, Sanctos pro nobis intercedere. Quippe num. 18. illius Epiſtolæ concluſionem Actorum a Philippo Presbytero conſcriptorum talem legimus. *Ego Philippus abſtuli cum filio meo furtim nocte Sanctorum iſtorum corpora, & in Domo mea, Deo ſolo teſte, in iſta arca ſaxea ſepelivi, credens me orationibus eorum conſequi miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat &c.* Quamvis vero neſciamus tempus, quo paſſi ſunt Sanctiſſimi hi Martyres, (*b*) tamen primis Eccleſiæ temporibus paſſi creduntur; primis itaque Eccleſiæ temporibus perſuaſionem hanc Chriſtianorum animos occupaſſe ſimillimum veri eſt, id nempe ea inſcriptione adteſtante.

(*a*) Lib. 14. *de Incarnatione* cap. 10. n. 6.

(*b*) Hac de re vide Tillemontium tom. 2. hiſt. Eccl. p. 78.

II. Non me latet monere quàm plurimos eam Epiſtolam non admodum multo in pretio habendam eſſe, quippe rem narrat ſecus, ac narrat Ambroſius in epiſtola ad ſororem, ideoque fictam eſſe illam, recentiorique Scriptori tribuendam. Si tamen quod ſentio, proferri jubes, fatebor, ſi ita vis, in iis cauſis, propter quas Epiſtola illa, quam nos Damaſcenum, & Petavium ſecuti, protulimus, rejici a pleriſque recentioribus ſolet, multum ineſſe virium. Quamquam, ſi rem diligentius perpendas, nullo labore fortaſſe intelligis, narrationem, quæ in ea Epiſtola fit, non omnino ei narrationi oppoſitam eſſe, quæ

(7) Agnellus Ravennas capite ſecundo vitæ S. Exſuperantii hæc ſcribit. *De illorum* (Ravennatum Epiſcoporum) *effigie ſi forte cogitator fuerit inter vos, quo modo ſcire potui; ſciatis, quod me pictura docuit, quia ſemper fiebant imagines ſuis temporibus ad illorum ſimilitudinem. Et ſi altercatio ex picturis fuerit, quod adfirmare eorum effigies non debuiſſem, Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes in paſſione Beatorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii, de B. Pauli Apoſtoli effigie cecinit dicens: cujus vultum me pictura docuerat.* Quæ quidem Agnelli hiſtoria edita primum fuit a Bacchinio Viro eruditiſſimo, tum rurſus evulgata a præclariſſimo Muratorio tomo 2. rerum Italicarum, cujus 62. paginæ teſtimonium hoc reſpondet.

quæ habetur in Epiſtola ad Sororem ſcripta, ſed addere circumſtantias quaſdam, quæ in Epiſtola ad Sororem ſilentio preſſæ ſunt, forte quia notiſſimæ erant: ad quod genus revoco *Viſa per noctem*, & reliqua his affinia, quæ ex Auguſtino etiam (c) innoteſcunt, tam & ſi in Epiſtola ad Sororem minime deſcribantur. Stylus quoque non adeo ab Ambroſii ſtylo abeſt, ut ex illius diverſitate rejicere Epiſtolam hanc poſſis. At age; fac Ambroſii non eſſe, eamque ut Ambroſio demas, ea te moveant, quæ Tillemont (d) erudite, & copioſe congeſſit: hoc ſaltem obtinebo, eo, quo ficta eſt tempore, perſuaſionem noſtram cunctorum animos occupaſſe: Neque enim fingi probabiliter poterat aliquid a communi ſententia alienum, præſertim cum id Italis omnibus ſcriberetur. Porro credibile eſt, quarto ipſo, aut certe quinto ſæculo fuiſſe conſcriptam hanc Epiſtolam; ſtyluſque ipſe haud obſcure indicat eam a poſteriorum ſæculorum lucubrationibus multum abeſſe: Et ea certe hujus Epiſtolæ auctoritas jam pridem fuit, ut (quod jam diximus) Ambroſio tributa ſit a Damaſceno, & ab aliis minime ineruditis Viris.

(c) lib. 9. Confeſſ. cap. 7. n. 15. & lib. 22. *de Civit.* cap. 8. n. 2.

(d) tom. 2. hiſt. Eccleſiaſt.

III. Ex actis S. Ignatii non abſimilis perſuaſio videtur erui: nimirum num. 8. (e) indicatur apparens per quietem Ignatius nuper Martyrio functus *ſuper orans nobis* (inquit ſcriptor eorum Actorum).

(e) apud Ruinart, & Uſſerium.

IV. Cura quoque, quam fideles Eccleſiæ Smyrnenſis habuerunt maximam, ut B. Polycarpi *ſacro cadaveri communicarent*, (*) fiduciam indicat conceptam de precibus ejuſdem Sancti, cui officium hoc reddere voluerunt fideles. Neque vos id terreat, quod nonnulli adverſus hæc Acta reponunt, obſcura ſcilicet eſſe, & parum apta ad promerendam fidem. Ut demus non omnino eſſe perſpicua, nemo tamen, ut puto, negabit, eam, de qua agimus, interceſſionem haud obſcure indicari. Ea, quæ de communione nos inter, & Sanctos mortuos edifferemus, ad quam reſpicere videntur voces illæ *ſacro cadaveri communicantes*, multum fortaſſe proderunt ad oſtendendum certa perſuaſione tum detentos fideles, qua putarunt a Sanctis mortuis nos juvari.

(*) n. 17.

V. Sed ad eam, de qua agimus, perſuaſionem comprobandam alia, eaque perſpicua teſtimonia non deſunt. Irenæus doctiſſimus ſecundi Eccleſiæ ſæculi ſcriptor (quippe qui plurima edidit opera ſingulari eruditione præſtantia) hæc Sanctorum interceſſioni mire faventia verba

pro-

(ſ) lib. 5. cap. 19.

protulit (ſ) „ Et ſi ea (Eva) inobedierat Deo; Sed hæc „ ſuaſa eſt obedire Deo, ut Virginis Evæ Virgo Maria „ fieret advocata; Et quemadmodum adſtrictum eſt mor- „ ti genus humanum per Virginem, ſalvatur per Virgi- „ nem; æqua lance diſpoſita Virginalis inobedientia per „ Virginalem obedientiam.

VI. Hoc Irenæi teſtimonium ut eludant, plurimam impendunt operam adverſarii. Ac primo quidem monent vocem *advocata* multis modis explicari poſſe, & hic ſane ita ſumi, ut non advocationem, patrocinium, aut interceſſionem, & ſi quid his eſt affine, ſignificet; ſed ita, ut ſignificet conſolationem. Deſumpta ſcilicet eſt ea vox a Greca voce παράκλητος, quæ conſolationem, & interventum, aut advocationem denotat. Porro Maria Conſolatrix humani generis eſt, quatenus ea Aurora eſt, quæ dividit lucem a tenebris, & Sanctos Patres diu Chriſti adventum expectantes ſolata eſt certa ſpe Chriſti proximi. At age: demus vocem hanc *advocata* ſumi in ea ipſa, qua eam Pontificii volunt, ſignificatione: adhuc non id obtines, quod exoptas. Nam cum Maria miniſtra facta ſit, & ut ita loquamur, inſtrumentalis cauſa Incarnationis, illi etiam tribui poſſunt ea emolumenta, quæ ex Incarnatione provenere, ac propterea Evæ advocatio: ſive Evæ nomine intelligas Evam ipſam, quæ reparationem obtinuit ab Incarnatione, ſive peccatores ab ea ſignificatos: prima quippe omnium peccans, peccatorum figuram, & typum exprimit. Quid quod, tam & ſi advocationem eo, quo Pontificii volunt, ſenſu ſumptam Mariæ ipſi tribuas; adhuc tamen id, quod cupiunt, non aſſequuntur? Nimirum de Maria vivente intelligi poſſunt Irenæi monita. Porro viventium preces, atque interventum agnoſcunt omnes.

VII. At ſi quid ſapis, manifeſto intelliges Irenæi teſtimonium opportune a nobis fuiſſe adductum. An non voces *advocatus*, & *advocata* tum apud probatiſſimos Scriptores, tum apud minus ſtudioſos latinitatis, ad patrocinium, defenſionem, & alia his affinia ſignificanda referuntur; atque hinc ducta ſunt illa, *advocatione juvare*, *tueri*, & id genus alia, quibus patrocinium, defenſio, & cetera his finitima denotantur? Fuere (id recte novi) qui dicerent, multo aliter lectum olim fuiſſe in Græca ipſa Irenæi editione: Enim vero ea voce uſus eſt (inquiunt) Irenæus Græce ſcribens, quæ affinis eſſet voce παράκλητος,

aut

aut certe ex ea derivaretur: quæ quidem vox conſolationem, non advocationem, ſeu interceſſionem, eorum judicio, denotat.

VIII. At quid, ſi ego id negem? quonam dicta ſua probabunt modo? At age, ſit derivata a Græca voce παράκλητος in latinam interpretationem vox *advocata*: non propterea præſidium, & defenſionem rejectam agnoſco. Nempe didici ab Auguſtino, id illam apud Græcos ſignificare, quod apud latinos *advocatus*. En Auguſtini verba: (g) „ Quod vero ait: Rogabo Patrem, & „ alium paracletum dabit vobis: oſtendit & ſe ipſum eſſe „ paracletum. Paracletus enim latine dicitur advocatus, „ & dictum eſt de Chriſto: Advocatum habemus ad Pa„ trem Jeſum Chriſtum juſtum „ Ideoque tam & ſi dederim extitiſſe in Græcis Irenæi exemplaribus vocem affinem voci παράκλητος, aut etiam ex ea derivatam, non propterea cauſa cadam, neque evincent adverſarii vertendum eſſe *Conſolatrix*, non *advocata*.

(g) Tractatu 74. in Joann. n. 4.

IX. Alteram adverſariorum interpetationem quis ferat, niſi graviſſimis rationum momentis (quæ tamen nulla ipſi proferunt) comprobetur? præſertim cum vox *advocatus*, ſi propriam ejus vim ſpectemus, non eum ſignificet, qui nobis qualicumque modo opitulatur, ſed eum, qui pro nobis orat, & ſupplicat. Sed hoc mittamus, ſi placet. Videtur certe Irenæus, cum antea adverterit reparationem humani generis per Mariam contigiſſe; ubi adjungit: *ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata*, aliquid addere ad id, quod dixerat. Non ergo hic intelligit Mariam humanæ reparationis cauſam inſtrumentalem fuiſſe, nam id dixerat: ſed id, quod ex hoc præcipue ſequitur, ipſam ſuis precibus humano generi patrocinari.

X. Tertium porro, quod dicunt, Mariam tunc ſolum patronam advocatamque fuiſſe, cum in hac vita degeret; & gratis dicunt, neque unquam probabunt, hanc Irenæi mentem fuiſſe, cujus verba cum facillime in ſententiam noſtram, & quaſi ſua ſponte veniant, cur illa detorqueamus, & ad breve illud tempus referamus, quo Maria hunc mundum incoluit? Quod ſi connotationem hanc, & ſtrictiſſimam, anguſtiſſimamque limitationem Irenæus in animo habuiſſet, eam profecto expreſſiſſimis verbis declarare non omiſiſſet. Huic adde innumerabilia teſtimonia, quibus oſtendimus jam, & deinceps etiam oſten-

oſtendemus, hanc jamdudum apud Chriſtianos perſuaſionem invaluiſſe, ut Sanctos reliquos, & Mariam præcipue patronam agnoſcerent; quæ teſtimonia apertiſſime indicant, quam in partem Irenæï verba trahi debeant.

CAP. XIII.

Proferuntur ad id ipſum comprobandum Acta Martyrum Scillitanorum, Origenes, Euſebius, & Acta Maximi Martyris.

I. APtiſſimum illud quoque eſt, quod ſuppeditant Acta Martyrum Scillitanorum, qui Ruinarti ſententia paſſi ſunt anno Chriſti 200. etenim ea Acta ſic concluduntur. *Conſummati ſunt Chriſti Martyres menſe Julio, die ſeptimo decimo, & intercedunt pro nobis ad Dominum Jeſum Chriſtum, cui honor &c.*

II. Nec minus favet eidem perſuaſioni Origenes, qui anno 230. cum magna ſui, & Chriſtiani nominis celebritate vixit: quippe n. 38. (a) libri illius, quem inſcripſit *exhortatio ad Martyrium*, ſic Ambroſium alloquitur. „ Simul „ ejus memento, qui orabat in ſpiritu pro Martyrum filiis, quos illi pro ſuo in Deum amore reliquiſſent, & „ dicebant: *Poſſide filios mortificatorum*. Unum autem hoc „ ſcito, *non qui filii ſunt carnis, hos eſſe filios Dei*; & ſi- „ cut tunc dicitur ad eos, qui de ſemine Abraham ſunt: „ *Scio quia ſemen Abrahæ eſtis, & ſi filii Abrahæ eſſetis,* „ *opera Abrahæ faceretis*: ſic & filiis tuis dictum iri: Scio „ quia ſemen Ambroſii eſtis, & ſi filii Ambroſii eſtis, „ opera Ambroſii facite: & fortaſſe facient, plus a te „ poſt ejuſmodi diſceſſum adjuti, quàm ſi cum illis re- „ manſiſſes. Scies enim tunc melius, quomodo diligendi „ ſint, & prudentius pro illis orabis, ſi cognoveris filios „ tuos eſſe, non ſemen tantum. Rurſus num. XI. homiliæ in Numeros (Rufino interprete) hæc ait. „ De „ Martirybus autem ſcribit Joannes Apoſtolus in Apoca- „ lypſi, quia animæ eorum, qui jugulati ſunt propter no- „ men Domini Jeſu, adſiſtant altari: qui autem adſiſtit „ altari, oſtenditur fungi Sacerdotis officio. Sacerdotis „ autem officium eſt, pro populi ſupplicare peccatis. „ Unde ego vereor, ne forte, ex quo Martyres non fiunt, „ & hoſtiæ Sanctorum non offeruntur pro peccatis no- „ ſtris, peccatorum noſtrorum remiſſionem non merea- „ mur:

(a) pag. 299. tom. 1. editio. P. de la Rue.

„ mur: Rurſus quoque: (b) *Quis enim dubitat, quod Sancti quique Patrum & orationibus nos juvent, & geſtorum ſuorum confirment, atque hortentur exemplis?*

(b) n. 6. homil. 26. in Numeros.

III. At ne quid diſſimulem, audite quid adverſus poſtremum hoc Origenis teſtimonium reponunt. Homiliæ in Numeros, inquiunt, ab Rufino tranſlatæ ſunt, neque eas Græcas habemus. Porro certa res eſt, Rufinum in translationibus ſuis plurimam ſibi arrogaſſe licentiam, multaque addidiſſe, aut dempſiſſe. Ad hæc, fatetur Origenes, ſe per *quemdam exceſſum* loqui, quando dicit, minus propitium Chriſtianis eſſe Deum, ex eo quod Martyres eſſe deſierint, qui populo ſuo precibus opitulentur. Si per exceſſum loquitur, fidem ſibimet adimit ipſe.

IV. At his ſic occurrite: Rufinum fatemini interpretem quandoque liberum, & auctoris ſenſa aut amplianṫem, aut ſtrictius reddentem. Num hic hujus modi licentiam ſumpſerit, non auſim dicere; immo multo ſimilius veri eſt, Origenis verba, ac ſenſa expreſſiſſe: quippe mutationis nulla extat cauſa, cum in hiſce homiliis nullus error Origenis extiterit, quem demeret, & amputaret.

V. Exceſſus ille, cujus meminit Origenes, quonam modo ab eo ſignificatus ſit in Græco ipſo ſermone, plane neſcimus; quippe deſtituimur Græcis Codicibus. Sed quemcumque eſſe velis, in eo forte ſitus eſt, quod monet minus propitium videri Chriſtianis Deum, quod Martyres in Eccleſia eſſe deſierint, ideoque optabiliorem eſſe perſecutionem, quàm pacem Eccleſiæ. Contra plerique Chriſtianorum pacem Eccleſiæ enixe a Deo petebant, cujus commoda multo plura eſſe arbitrabantur, quam quæ a perſecutionibus proveniebant. Sed ſive is, ſive alter quiſquam verborum Origenis ſenſus ſit, indubitatum eſt porro, interceſſionem Sanctorum in Cælis degentium agnitam eſſe ab Origene. Id ſane manifeſto comprobant nuper allegata verba *exhortationis ad Martyrium*, cui addas volo numerum v. homiliæ xvi. in Joſue: his quippe locis ipſiſſima, aut certe affinia iis extant, quæ edocuerat in homiliis in *Numeros*, quas produximus: neque ſimile veri eſt, parilem licentiam utroque in loco ſibi arrogaſſe Rufinum.

VI. Ad hæc tempora refer, quæ de Potamiæna præclariſſima Virgine, & Martyre teſtatum reliquit in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius: promiſiſſe ſcilicet illam (c) Baſilidi,

(c) lib. 6. cap. olim 4. In edit. Valeſii 5.

ſilidi, qui populi Virgini, dum ad Martyrium duceretur, inſultantis inſolentiam repreſſerat, ſine præmio non futuram illius humanitatem: etenim poſt mortem a Domino ſuo gratiam Baſilidi ampliſſimam ſuis precibus impetraturam fore: quod re ipſa præſtitit: quippe quæ triduo poſt Martyrium, noctu illi apparens coronam capiti impoſuit, monuitque ſe pro eo non leve beneficium a Domino efflagitaſſe, obtinuiſſeque, & Dominum brevi illum ad ſe recepturum. Recepit vero; nam ſecuri poſtea pro Chriſto percuſſus, præclara Martyrii corona donatus eſt. Tam & ſi vero narrationem hanc nonnulli ex adverſariis contemnant, propterea quia ea, quæ de Potamiæna narrat Euſebius, vulgi rumore, non certis argumentis innixa eſſe dicat: *dicitur apparuiſſe: fertur apparuiſſe*; non propterea tamen meretur deſpici. Etenim non ita accipiatis volo verba illa *dicitur apparuiſſe*, ut rem ſolo vulgi rumore innixam protulerit Euſebius; ſed potius, ut rem protulerit vel vulgi fama celebratiſſimam, & in ore omnium poſitam. Et ſane non raro occurrit hujuſmodi locutio *dicitur*, *fertur*, ut Scriptor rem in omnium ore poſitam indicet. Et ne diſcedamus ab Euſebio, Serenum inter Martyres certe recenſuit, illiuſque Martyrium capitis obtruncatione conſummatum fuiſſe non dubitavit, & tamen (*d*) ſic de eo loquitur. *Qui poſt multa ſupplicia capite plexus dicitur*. Neque dubitare viſus eſt de iis, quæ Aquila Judice narrat paulo ante deſcriptionem Martyrii Potamiænæ: & tamen ſimili utitur phraſi: *dicitur: fama eſt*. Quid quod in eodem ipſo capite hæc legimus, Valeſio interprete? *Plures quoque alii ex Alexandrinis civibus eodem tempore ad fidem Chriſti ſubito tranſiiſſe memorantur: quos ſcilicet Potamiæna in ſomnis apparens ad id faciendum provocaverat*. Adeo ut mirari non debeamus, ſi Baſilidi apparuerit, & temporale beneficium æterno remunerata ſit.

(*d*) Lib. 6. cap. 4.

VII. In Actis S. Maximi Martyris, quem P. Ruinart Martyrium ſubiiſſe monet anno 250. vocibus his allocutus dicitur idem S. Maximus Proconſulem Optimum. (*e*) „Mihi nec fuſtes, nec ungulæ, nec ignis ſentiendi dant dolorem; quia in me manet gratia Chriſti, quæ me ſalvum faciet in æternum, omnium Sanctorum orationibus, qui in hac colluctatione certantes, veſtras ſuperaverunt inſanias, nobiſque virtutum exempla reliquerunt.

(*e*) n. 1. pag. 133.

CAP.

CAP. XIV.

Idem argumentum proſequimur, oſtendimuſque ſubſequentium etiam Patrum auctoritate, ac teſtimonio putaſſe fideles tum primis ipſis Eccleſiæ ſæculis, tum etiam poſterioribus, Sanctorum vita functorum ope, ac precibus nos adjuvari. Producimus Cyprianum, Acta S. Theodori, Prudentium, Opera quædam Athanaſio olim adſcripta, Hilarium, & Baſilium, quorum quidem monita adverſus acutulas quaſdam adverſariorum ſolutiones ſuſtinemus.

I. QUo ſit illuſtrior, certiorque apud eos ipſos, qui Eccleſiæ Romanæ auctoritatem deſpicientes, ad vetuſtos Patres appellant, Catholicorum perſuaſio, qua putant Sanctorum vita functorum ope, ac precibus nos adjuvari, iis, quos ſuperiori capite citavimus, Patres plurimos alios addamus, quorum quidem teſtimoniis immerito Catholicorum ſententiam contemni, preſſius, ac pugnacius evincamus.

II. Primus erit Cyprianus, qui in libro *de Mortalitate* prope finem „ Magnus illic nos carorum numerus (inquit) expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens „ nos, & copioſa turba deſiderat, jam de ſua incolumitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire quanta & illis, „ & nobis in commune lætitia eſt? Id rurſus inſinuat in Epiſtola ad Cornelium: (*a*) quippe eumdem Cornelium deprecatur, ut ſe mutuis apud Deum precibus adjuvent: illud addens in rem utriuſque eſſe, ut qui prior vita deceſſiſſet, pro altero ſuperſtite apud Deum preces continuaret. Id vero cum in Cælis tantum fieri potuiſſet, reliquum eſt, ut dicamus agnoviſſe Cyprianum preces a Sanctis fundi pro iis, qui ſuperſtites adhuc vivunt, & ſpeciatim pro amicis, erga quos etiam dilectio perſeverat. En verba ipſa Cypriani: „ Incumbamus gemitibus aſſiduis, „ & deprecationibus crebris. Hæc ſunt enim nobis arma „ cæleſtia, quæ ſtare, & perſeverare fortiter faciunt. Hæc „ ſunt munimenta ſpiritalia, & tela divina, quæ protegunt. Memores noſtri invicem ſimus, concordes, atque unanimes utrobique pro nobis ſemper oremus; preſſuras, & anguſtias mutua caritate relevemus, & ſi quis

(*a*) In Pamelii, & Baluzii editionib. 57. In Oxonienſi vero 60.

„ iſtinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præ-
„ ceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio;
„ pro fratribus, & ſororibus noſtris apud miſericordiam
„ Patris non ceſſet oratio. Porro hoc teſtimonium adeo perſpicuum eſt, ut Epiſcopus Oxonienſis, tam & ſi Catholicorum partibus minime addictus, fateri coactus ſit, ex eo teſtimonio erui, perſuaſum fuiſſe Cyprianum, eos, qui priores moriuntur, pro ſuperſtitibus preces fundere. En verba docti, ſi non Catholici interpretis. „ Senſus vi-
„ detur eſſe: alterutro ex nobis obeunte, ſive ego, qui
„ Carthagini præſum, ſive tu, qui Romæ præſides, ſu-
„ perſtes fuerit, ejus, cui in vivis diutius eſſe contigerit,
„ pro utraque Eccleſia perſeveret, & ſuperſit apud Deum
„ oratio. Interim minime dubitamus, animas Cælo re-
„ ceptas precibus Deum Optimum Maximum ſollicita-
„ re, ut in terris degentium miſereatur.

III. Idem eadem hæc rurſum docet Cyprianus, ſi exemplarium haud paucorum lectionem ſequimur, in poſtremis verbis libelli illius, qui *de diſciplina, & habitu Virginum*, ſive, ut alii volunt, *de habitu Virginum* inſcribitur. En illa ipſa, quæ dixi, verba: „ Hortamentis vos mutuis ex-
„ citate, æmulis de virtute documentis ad gloriam pro-
„ vocate. Durate fortiter, ſpiritaliter pergite, perveni-
„ te feliciter. Tantum mementote tunc noſtri, cum in-
„ cipiet in vobis Virginitas coronari. Nimirum tum Virginitas coronari incipit, quum decurſo mortali vitæ curriculo, virtutum in Cælis recipit præmia; tum vero memores ſui Cyprianus eſſe cupit Virgines. Neque porro vim tollis hujuſce probationis, ſi legas (quod alii legi vellent) *cum incipiet in vobis Virginitas honorari*. Ad illum ſcilicet honorem hic Cyprianum reſpicere puto, quem Virgines, fortiter Martyrium paſſæ, obtinebunt in Cælis; cum nempe illuc pervenient, quo ut perveniant, hortatur Cyprianus, quum dicit: *Durate fortiter, ſpiritaliter pergite, pervenite feliciter*. Id autem ubi fuerunt aſſecutæ, & incipiunt Virgines in ſummo illo eſſe honore, quo ſunt Sponſæ Agni immaculati, Sponſo ſuo conjunctiores effectæ, tum Cyprianus earum preces expoſcit. Et ita ſane multo æquius interpretaberis laudata Cypriani verba, quàm ſi preces in Martyrio fuſas intelligas. An non tum vere incipiunt honorari Martyres, quum completo Martyrio a Deo, & ab Eccleſia maximis honoribus afficiuntur? Tum ergo fundendas ab iis preces vehemen-

ter

ter efflagitat Cyprianus: præſertim cum Virgines jam ad Cælos deductas pro ſuperſtitibus fuiſſe deprecatas ſatis conſtet tum ex aliis multis, tum ex iis, quæ nuper ex Euſebio de Potamięna retulimus. (b) Quod ſi Cypriano tribuas librum *de cardinalibus Chriſti operibus*, habebis in ſermone *de Stella*, *& Magis*, *& Innocentium morte*, unde interceſſionem manifeſto comprobes. Edocet quippe, Innocentes pro Chriſto occiſos *pro noſtris exorare laboribus . . . nonnullis veniam obtinere immeritis*, & id genus alia. Sed dubiis Cypriani operibus non indigemus, qui clariſſima Sancti Doctoris teſtimonia protulimus. Sane adeo perſpicua ea ſunt, quæ nuper ex certis Cypriani operibus allegavimus, ut non aliud adverſarii reponant, niſi exceſſiſſe hac in re, & humani aliquid paſſum fuiſſe Cyprianum. Ad Cornelium vero ſcribentem forte amoris cujuſdam vehementis argumentum exhibere, & parile ab eo exquirere: Ut nempe continuetur, expoſcit, polliceturque vel poſt mortem amorem, amicitiamque. Id ſæpe occurrit in veterum Poetarum libris; tam & ſi hi a Pontificiorum opinione alieniſſimi ſint.

(b) Vide annot. 13. Baluzii in allegatâ Cypriani epiſtolâ.

IV. At quem his effugiis illudent? Cypriani verba adeo clara ſunt, ut ſolutionem quamlibet vincant. Phraſis, qua utitur, manifeſto evincit, Poetarum more illum non fuiſſe locutum, neque nugacem hominem eſſe, qui poſt mortem ſe amari cupiat ab amico, eo amoris genere, quo amari cupiunt (ſi tamen cupiunt) Poetæ. Verba ipſa conſulas velim, & dubitationem, ſi qua forte aderat, dement.

V. Acta Martyrii S. Theodoti Ancyrani probatiſſima novimus. (8) Porro num. 31. horum Actorum hæc occurrunt: „ *Cumque orationem finiens* (Theodotus) *adjunxiſ-* „ *ſet* Amen, *converſus vidit fratres flentes*, *& dixit*: *No-* „ *lite lugere fratres*, *ſed glorificate Dominum noſtrum Jeſum* „ *Chriſtum*, *qui fecit*, *ut perficerem curſum meum*, *& ini-* „ *mi-*

(8) Scripta dicuntur a Nilo quodam, qui num. 36. ideſt poſtremo, hæc de ſe eloquitur. *Hac omnia ego humilis Nilus magna cum diligentia vobis dilectis Deo fratribus tradidi: qui & in cuſtodia cum illo fui, & ſingula novi, qua in notitiam veſtram adduxi, ubique ſtudens veritati, ut & vos ea audientes &c.* Hæc Acta typis edidere Papebrochius 18. Maii, & Ruinart, ex quorum poſtremo diſcimus anno Chriſti 303. Theodotum ſubiiſſe martyrium.

„ *micum ſuperarem. Deinceps enim in Cælis cum fiducia pro*
„ *vobis Deum deprecabor.*

VI. Haud abſimilem probationem ſubminiſtrat mater illa, cujus filius adhuc puer cum D. Romano Martyre anno 330. Martyr occubuit. Rem exhibeo ex Prudentio (c)

(c) Hymno 9. Peri ſtephanon v. 831.

Puerum popoſcit carnifex, mater dedit,
Nec immorata eſt fletibus; tantum oſculum
Impreſſit unum. Vale, ait, dulciſſime;
Et cum beatus regna Criſti intraveris,
Memento matris tum patrone ex filio.

Sed diſſimulandum non eſt, monere adverſarios, ea, quæ narrat Prudentius de matre illa pueri poſt mortem preces exquirente, inniti conſuetudine ſæculi illius, quo vixit Prudentius, & cujus veſtigia aliqua erant iis ipſis temporibus, quibus vixit mater illa, cujus hac in re imitandum non eſt exemplum. Atqui Prudentius fide digniſſimus ab omnibus agnitus eſt, & vetera Martyrum acta referens, nihil immutat. Cur ergo fallacem in hac tantum re audebimus judicare? Illaudabilem vero probare debent eam eſſe conſuetudinem, quæ illis diſplicet.

VII. Athanaſium pro Sanctorum interceſſione ſæpiſſime citatum audies, & nonnulla ſub illius nomine teſtimonia, ex libro de *Virginitate*, & ex Oratione de *Annunciatione Virginis Mariæ* (d) deſumpta: quæ quamquam ego Athanaſio non attribuo, non continuo tamen contemnenda eſſe duco: immo merito proferri arbitror, ut ſcilicet conſtet, quid propoſuerint auctores illi, quorum opera Athanaſio adſcribi meruerunt. Sed non prætereas volo, quæ tradit auctor quæſtionum ad Antiochum (quæſt. 32.) hæc elocutus. *An noſtri ſunt memores animæ, quæ diſceſſerunt, quemadmodum & Angeli ſunt memores noſtri?* Ita vero reſpondet. *Sanctorum quidem animæ noſtri omnino meminerunt: minime vero peccatorum animæ, quæ in inferis jacent. Cum enim ſupplicium ſibi debitum expectent, merito certe de illo ſolum ſunt ſolliciti, nihil aliud curantes.* Quamquam vero jure meritoque arbitrantur viri docti non pauci, Athanaſio librum hunc non eſſe tribuendum, ſed alteri, qui & ætate, & merito inferior ſit Athanaſio, nemo tamen ibit inficias, auctorem ejuſdem libri minime eſſe contemnendum, ex eo vel maxime, quod ex certis Athanaſii libris multa deſumat, quæ in rem ſuam transfert.

(d) n.14. & 15.

VIII. Æquales Athanaſii fuere Hilarius, & Baſilius Magnus Cæſarienſis Epiſcopus. Horum primus tum ad Ange-

gelorum, tum etiam ad Sanctorum erga nos curam, & cuſtodiam ſignificandam hæc edocuit. (e) „ Sed neque deſunt ſtare volentibus Sanctorum cuſtodiæ, neque Angelorum munitiones. *Et mox*. Ac ne leve præſidium in „ Apoſtolis, vel Patriarchis, ac Prophetis, vel potius „ in Angelis, qui Eccleſiam quadam cuſtodia circumſepiant, crederemus . . . . . . Sed forte Apoſtolorum, „ vel Angelorum cuſtodia ſufficiens exiſtimetur. Verum „ id quidem eſt. Ex his vero perſpicuis S. Hilarii verbis conjicite, quid ad acutulum illud ſubtileque adverſariorum effugium dicendum ſit. Scilicet Hilarium non de interceſſione, ſed de cuſtodia loqui. Porro Patriarchæ, & Apoſtoli, & Prophetæ cuſtodia quadam (inquiunt) Eccleſiam circumſepſere, dum exemplis, laboribus, prædicationibus, concionibus, & id genus reliquis, veluti defenſione quadam, & vallo muniere. Hanc ſolutionem ex eo confirmant, quod Hilarius manifeſto adverſatur Sanctorum interceſſionibus, de qua re poſtea diſſeremus: Conjicite, inquam, quid ad hoc effugium dicendum ſit. Nimirum Hilarius palam de præſidio loquitur a Sanctorum interceſſione nobis proveniente: Neque vero ad metaphoricas interpretationes confugere poſſumus, quando perſpicua ſunt illius verba, & interceſſionem Angelorum expreſſiſſime edocet in Commentariis in Pſal. 129. ſiquidem, ut alibi vidimus, recte ab Angelorum interceſſione Sanctorum interceſſio eruitur.

(e) n. 5. tractatus in Pſalm. 124. ad verba illa *Qui confidunt in domino ſicut mons Sion . . . montes in circuitu ejus &c.*

IX. Nec minus illuſtre id eſt, quod ad eamdem perſuaſionem comprobandam præbet Baſilius in Homilia de Sanctis quadraginta Martyribus, hæc præſertim num. 8. ejuſdem homiliæ elocutus: „ Hi ſunt, qui noſtram obtinentes regionem, quaſi quædam turres contra adverſariorum incurſum refugium exhibent . . . . . . O Sanctum Chorum! O Sacrum Ordinem! O cuneum inexpugnabilem! O communes generis humani cuſtodes: optimi curarum ſocii, precum, ac votorum invicem ſuffragatores, legati apud Deum potentiſſimi! &c. Vide etiam quæ idem Baſilius edocet numero primo Orationis in S. Mamantem.

CAP.

CAP. XV.

Gregorium Nazianzenum, Gregorium alterum, Niſſenum nempe, Ephrem Syrum, Ambroſium ſanctiſſimum, doctiſſimumque Mediolanenſem Epiſcopum allegamus, illuſtramuſque.

I. A Baſilio, quem nuper allegavimus, ſejungere Gregorium Nazianzenum doctrina illi, & pietate conjunctiſſimum minime poſſumus. Multa ſane teſtimonia Petavius, & reliqui Theologi noſtri ex variis hujus S. Doctoris libris collegere; at ego duo ſeligo. Nimirum in oratione, quam in funere nuper laudati Baſilii Ceſareæ Epiſcopi recitavit, prope finem ſic loquitur: (*a*) *Ac nunc ille quidem in cælis eſt, illicque, ut opinor, ſacrificia pro nobis offert, ac pro populo preces fundit: Neque enim ita nos reliquit, ut nos prorſus reliquerit.* In oratione vero funebri Patris ſui in ipſo fere Orationis initio hæc dixerat. (*) „ Nec dubito, quin hoc nunc quoque tanto magis deprecatione ſua, quàm prius doctrina præſtet, quanto „ nunc magis Deo appropinquat.

(*a*] Ea oratio viceſima eſt.

(*) ea oratio decima nona eſt.

II. At hic quoque adverſarii more ſuo noſtrum laborem condemnant, monentque, hæc temere afferri. Etenim, inquiunt, quis Nazianzeno fidem adhibebit, dum Baſilium Sacerdotis munere in Cælis fungi, & ſacrificia ibi Deo offerre docet? Quis hæc, quæ tamen Nazianzenus protulit, ſine riſu audire poſſit? His tamen haud difficile reſpondetur, haud temere a Nazianzeno ſacerdotis munus Baſilio in Cælis tribui. Nimirum Sacrificia offerri a Sanctis mortuis, is fatebitur, qui audiat illa Apocalypſis 1. verſ. 6. *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo*: illa quoque Apocalyp. 5. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes*. Scilicet Sacerdotium hic latiſſime ſumitur, ideſt pro obſequio ſummo, quod Deo adhibent Sancti. Sumere etiam potes pro oblatione, quæcumque ea ſit. Quin preces ad Sacerdotis munus ſpectare viſæ ſunt, id adteſtante de Martyribus Origene, dum hæc ait: (*b*) *Sacerdotis autem officium eſt, pro populi ſupplicare peccatis.* Hinc inter cætera Sacerdotii Chriſti munera preces pro nobis oblatæ recenſentur. Porro quis hæc Baſilio demet viro ſanctiſſimo, ſuorum amantiſſimo, & nuper translato ad Cælos? Vide obſecro quæ tradit vir doctiſſimus Ribera in

(*b*) homil. xi. in Numeros.

in verſiculum 1. capitis 2. Malachiæ, & ſi quis extaret ea in re ſcrupulus, facillime evelletur.

III. Gregorius Baſilii frater, & Niſſæ Epiſcopus in oratione ſecunda in quadraginta Martyres interceſſionis horum Sanctorum palam meminit: quippe deprecatur, ut *horum ope, & interventu* (id enim meo quidem judicio eſt πρεσβεία) *corroborati fideles ad Paradiſum perveniant*. Iterum vero in celebratiſſima Oratione de magno Martyre Theodoro præclara præbet ejuſdem perſuaſionis argumenta. In ipſo quippe initio: *Hic enim*, (inquit) *ut credimus, etiam anno præterito barbaricam tempeſtatem ſedavit, & horrendum ferorum, & immanium Scytharum bellum inhibuit, atque repreſſit, terribilem, atque formidabilem illis jam viſis, & appropinquantibus obvibrans non galeam trinis criſtis, & comis inſignem, neque gladium bene acutum, & ad ſolem reſplendentem, ſed malorum propulſatricem, & omnipotentem Crucem Chriſti, pro qua & ipſe mortem perpeſſus hanc gloriam acquiſivit*. Et num. 6. *Ipſe quidem præclaro, ac beato itinere abiit ad Deum; nobis vero memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populos congregans, Eccleſiam erudiens, Dæmones arcens, & fugans, Angelos pacificos reducens, rogans a Deo pro nobis utilia, variorum morborum medicinæ officinam hunc locum efficiens, portum eorum, qui afflictionum tempeſtatibus jactantur, pauperum abundans, & copioſum ærarium, viatorum quietum diverſorium, locum celebrem conventus, ac dies feſtos continenter agentium*. Simillima edocemur in Encomio Ephrem Syri, quod illi tribuitur, & tale forte eſt, ut Niſſeno tribui mereatur.

IV. Fidem tamen primæ orationi demunt propter ea, quæ adverſus omnes Patrum Orationes & homilias intorquent, quæque alibi recenſebo, & refellam; quam ob rem hic recenſere, refellereque neceſſe non eſt. Auctoritatem poſterioris ut eludant, ſic diſputant. Incurſionum Scytharum meminit ſcriptor ille, qui Niſſeni nomen ſibi temere arrogavit, quum tamen Armeniam non invaſerint Scythæ, niſi elapſo poſt mortem Niſſeni ſæculo: imperante ſcilicet Anaſtaſio. Secundo, auctor ille Theodorum Martyrem concivem Job videtur efficere, ideoque Arabem. Tamen Græcum fuiſſe Theodorum, nomen ipſum comprobat: quin & in hac ipſa Oratione certiores efficimur, Amaſeæ Cappadocum ortum eſſe. Quis tamen putet Niſſeno adimendam eſſe Orationem, quæ in S. Theodorum ſcripta eſt, propter eos titulos, quos adduxerunt? Quod ad Scy-

tharum excurſiones attinet, indubitata res eſt, Scythas (nam hos Hunnorum, Gothorum, & Maſſagetarum vocabulis fuiſſe indicatos, probatiſſima multorum eſt perſuaſio) in ſubjectas Romano Imperio Provincias excurſiones feciſſe vivente Niſſeno. Conſtat id ex Hieronymo, (c) & Cedreno, (d) a quo didicimus, Valente imperante, in Thraciam, aliaſque Romani Imperii Provincias eos irrupiſſe. Quod vero ſpectat ad Patriam, quam communem tribui dixerunt Jobo, & Theodoro, ſi verba Niſſeni diligenter attendas, comperies non unam urbem communem Theodoro, & Jobo patriam tribui a Niſſeno, ſed tantum ab eo dici ex Oriente tam Theodorum, quàm Jobum prodiiſſe. Amaſena vero Cappadocum urbs, Theodori patria, procul dubio ad Orientem pertinebat.

[c] Epiſt. olim 30. in Veronenſi edit. 77. n. 8.

(d) pag. 313. edit. Pariſ. 247. Venetę.

V. Vixere iis temporibus Ephrem Syrus, & Amphilochius Iconii Epiſcopus. Ex utriſque deſumunt noſtri Theologi præclara teſtimonia ad Sanctorum interceſſionem comprobandam; ſed quia ambigunt viri docti, ea, quæ Amphilochio Combefiſius attribuit, utrum illi adſcribenda ſint, nec ne, non auſim ſub Amphilochii nomine ea certo proferre. Sed cujuſcumque tandem ſint, certe in Oratione in S. Baſilium, quæ a multis Amphilochio tribuitur, perſuaſionem noſtram manifeſto traditam vides. Longior eſt, quam ut exſcribi queat Oratio illa: ſatis erit, ſi periodum referam. *Viſo itaque inſigni miraculo, populus univerſus Deum glorificavit, qui in terra poteſtatem habet dimittendi peccata, quique tantam ſervis ſuis conceſſit gratiam, ut etiam poſt mortem languorem omnem ſanent, omnemque debilitatem.*

Quod vero ad Ephremum Syrum attinet, adeo perpicua ſunt, quæ de Sanctorum interceſſione tom. 3. edocet, ut inutilem operam viderer inſumere, ſi multa referrem. Illa conſule, quæ citabo, dum de Sanctorum invocatione agam.

VI. Novi equidem non deeſſe, qui adimant Ephremo Syro Orationes, quas in Virginem Mariam ſcripſit laudum pleniſſimas; ſic enim diſſerunt. Quis non demat Ephremo Syro orationes in Virginem Mariam ſcriptas ejuſque laudum pleniſſimas, poſtquam eas illi ademerunt recentiores Critici, inter quos non poſtremum ſane locum obtinent Petavius, & Tillemont, viri ſane egregii, quique Pontificiorum partes ſumma cum laude tutati ſunt. Et ſane multas poſterioris alicujus ſcriptoris orationes vetuſtiſ-

ſimo

ſimo Ephremo Syro fuiſſe ſuppoſitas, vel ex ſtyli diverſitate dignoſcere potes. Fac tamen, eos libros veteris Ephremi eſſe. Egregium ſane Scriptorem profers, dum eum profers, quem damnatos inducere non puduit *vale* dicentes beatis.

VII. Tamen poſſeſſio vetuſtiſſima, ut ita loquamur, eiſdem Orationibus favet; neque minus Mariam celebrarunt tum Patres Epheſini Concilii, non multum remoti ab Ephremi ætate, tum Auguſtinus, qui propior fuit Ephremi temporibus, tum Ephremus ipſe. (*) Ex ſtylo vero rem dijudicare omnino non potes; quippe ſtyli diverſitatem rejicere debes in diverſos interpretes; plurimos enim habuit, & interdum non admodum eloquentes, aut elegantes; quod jamdudum animadvertit Photius. Ceterum Ephremi in Virginem Mariam Orationibus non ita indigemus, cum alias eidem Ephremo tributas proferre poſſimus: proferemus nos quoque alias, alias quoque Theologi noſtri citant præter conſcriptas in S. Mariam, quarum una ad noſtram perſuaſionem firmandam ſatis eſt: longe vero a veriſimilitudine abeſt, omnes omnino, quas aut citavimus nos, aut ſæpe citant Theologi noſtri, ſuppoſitas Ephremo eſſe. Neque vero Ephremum condemnes volo, quod damnatos aliquando induxerit *vale* dicentes beatis. Nimirum accipi debent verba illa *Vale dicimus*; *Valete*, & affinia, uti non raro accipiuntur apud latinos, ut ſcilicet ſignificent ſejunctionem, ſeparationemque. Hinc *æternum vale*: *perpetuum vale* habes in Martiale, & reliquis latinis Scriptoribus: id eſt non amplius te viſam: non amplius tecum ero, aut aliud affine. Quod is ſit verborum Ephremi ſenſus, manifeſto conſtat ex reliquis objectæ Orationis verbis. *Nulla amplius nobis miſerabilibus reliqua eſt redemptio. Non jam amplius Sanctorum aſpiciemus ordines. Non amplius lucem illam veram contuebimur. Quid reſtabit dicendum? Valete juſti univerſi . . . . Poſtea vero habiturus eſt unuſquiſque præparatum ſibi ob prava ſua opera tormentorum locum, ubi vermis eorum non moritur, neque ignis extinguitur.*

(*) *in illa Oratione qua inſcribitur de margarita pretioſa* quam citat Petavius *de incarnatione* 14. 9. 7.

VIII. Præter hos viros ſane præſtantiſſimos, & præcipua Eccleſiæ Græcæ lumina, e latinis Ambroſium Mediolanenſem, Virum eximium, & cui plurimum debet Eccleſia, profero; quippe qui ea fere ætate vixit, qua vixere laudati præclariſſimi Viri. Porro Ambroſius quid de Sanctorum interceſſione ſentiret, tum quidem alibi, tum manifeſto in iis ſermonibus edocuit, quos ad populum re-

citavit, inventis corporibus Sanctorum Gervaſii, & Protaſii. En verba num. 10. poſita: (e) Gratias tibi Domine Jeſu, quod hoc tempore tales nobis Sanctorum Martyrum ſpiritus excitaſti, quo Eccleſia tua præſidia majora deſiderat. Cognoſcant omnes, quales ego propugnatores requiram, qui propugnare poſſint, impugnare non ſoleant. Hos ego adquiſivi tibi, plebs Sancta, qui proſint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defenſores, tales milites habeo: hoc eſt, non ſæculi milites, ſed milites Chriſti. Nullam de talibus invidiam timeo, quorum quo majora, eo tutiora patrocinia ſunt. Horum etiam illis ipſis, qui mihi eos invident, opto præſidia. Veniant ergo, & videant ſtipatores meos; talibus me armis ambiri non nego: *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur*. Et n. XI. „ Evaſimus, fratres, non mediocris pudoris ſarcinam: patronos habebamus, & neſciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur præſtare majoribus; Sanctorum Martyrum cognitionem, quam illi amiſerunt, nos adepti ſumus. Apertiſſime quoque num. 15. Orationis funebris Theodoſii: „ Quis ergo (inquit) dubitabit, filiis ejus apud Dominum maximum præſidium fore? Et n. 16. „ Theodoſius vero plenus timoris Dei, plenus miſericordiæ, ſperamus quod liberis ſuis apud Chriſtum præſul adſiſtat, ſi Dominus propitius ſit rebus humanis. Vide etiam obſecro, quæ idem S. Doctor tradit libro x. expoſitionis Evangelii ſecundum Lucam: (f) etiam illa, quæ docet capite 9. (g) libri illius, quem inſcripſit *de Viduis*.

IX. At audite, quibus ad infirmandam horum teſtimoniorum auctoritatem argumentis utantur adverſarii. Ambroſio debet demi Oratio in Theodoſii funere recitata, aut ſi ea demi non debet, demi certe debent ea, quæ nuper citata ſunt verba: ſicut in eadem ipſa oratione demi debent, quæ de inventione Crucis in ea oratione narrantur, utpote aſſuta: Nempe remotiſſima ſunt ab eo, de quo agitur, argumento, & rem longe aliter narrant, ac narrant hiſtorici reliqui: demi quoque debet Epiſtola ad ſororem ſcripta de inventione corporum Sanctorum Gervaſii, & Protaſii. Meminit ſcilicet auctor illius Epiſtolæ *Baſilicæ Ambroſianæ*: quod procul dubio non præſtitiſſet Ambroſius.

X. Tamen, ut quæ ſentio, eloquar, tribui omnino Ambroſio debet Oratio, quæ præpoſito Ambroſii nomine, &

(e) Includuntur in edit. Patrum Benedictorum intra Epiſtolam 22. quæ eſt in editione Amerbachii, & Eraſmi 84. in Roma: 54.

(f) n. 12. in verba illa capitis 21. v. 9. *Cum autem audieritis prælia, & opiniones præliorum*.

(g) alias n. 54.

& inter ejus opera extans, funebris eſt, & Theodoſii laudes complectitur. Aſſuta vero non ſunt neque ea, quæ attulimus (& nemo ſane ex probatis Criticis ea aſſuta dixit) neque ea, quæ de Crucis inventione in ea deſcribuntur. Sed cum id commodius alibi ſim oſtenſurus, (b) hic ea de re diſſerere ſuperſedeo. Quod attinet ad Epiſtolam ab Ambroſio ſorori ſcriptam, eam eidem Ambroſio non adimimus, quod ille Baſilicæ Ambroſianæ in ea Epiſtola meminit. Scilicet ab auctore Ambroſio deſumpſit nomen, ſicut a Paſtore, & ab Eudoxia Eccleſiæ celebratiſſimæ Romæ erectæ. Ea moderatio, qua de eadem Baſilica loquitur D. Ambroſius, dum veluti conſuetudinem, & vulgatum loquendi modum ſecutus, Ambroſianam nuncupat: *Ambroſianam appellant*, in eadem perſuaſione virum probum confirmabit.

(b) Cum de Crucis inventione diſſeretur.

CAP. XVI.

Sanctorum patrocinio defendi, juvarique nos, Hieronymi, cujus teſtimonia ſe eludere poſſe temere confidunt adverſarii, Gaudentii, & Chryſoſtomi auctoritate probamus.

I. QUamquam ii, quos ſuperioribus capitibus allegavimus Patres, plane ſufficerent ad Catholicum, de quo agimus, dogma comprobandum, reliqui tamen ſubſequentium etiam temporum auctores omittendi non ſunt, ii quoque præclariſſimi, & ad obtinendam fidem aptiſſimi. Præeat hos Hieronymus, ætate, & meritis ab Ambroſio non admodum fortaſſe remotus. Hic procul dubio Sanctorum interceſſioni favit maxime, dum in Vigilantium, Sanctorum interceſſionis hoſtem, acriter inſurrexit, eumque peculiari libello refutavit. Sed præter iſta, in Epiſtola ad Paulam de obitu Bleſillæ hæc occurrunt: (a) „ Loquitur illa (filia Bleſilla in Cælis degens) & alia „ multa, quæ taceo, & pro te Dominum rogat, mihi„ que, ut de ejus mente ſecurus ſum, veniam impetrat „ peccatorum, quòd monui, quòd hortatus ſum, quòd „ invidiam propinquorum, ut ſalva eſſet, excepi.

II. Idem Hieronymus in Epiſtola (b) ad Eliodorum hæc ait. „ Veniet, veniet poſtea dies, quo victor rever„ taris in patriam, quo per Jeroſolymam cæleſtem vir „ fortis coronatus incedas. Tunc municipatum cum Pau„ lo capies. Tunc & parentibus tuis ejuſdem civitatis jus „ petes. Tunc & pro me rogabis, qui te, ut vinceres, „ incitavi. Affi-

(a) Olim 25. in editione PP. S. Mauri 22. In poſtrema Veronenſi 39. n. 6.

(b) Olim prima. In PP. Benedictinorum editione 5. In poſtrema Veronenſi 14. n. 3.

(c) Olim 19. In edit. PP. S. Mauri 53. In recenti Veronenſi 75. n. 2.

Affinia tradit in Epiſtola (c) ad Theodoram Viduam his verbis. „ Ille (Lucinius nuper defunctus Theodoræ „ maritus) jam ſecurus, & victor te aſpicit de excelſo, „ & favet laboranti & juxta ſe locum præparat, eodem „ amore, eadem caritate, qua oblitus officii conjugalis, „ in terra quoque ſororem te habere cœperat.

III. At hic magno animo adverſarii inſurgunt, & a Hieronymo fatentur quidem compoſitum eſſe libellum contra Vigilantium. At duo adverti volunt. Unum eſt nimius Hieronymi ardor, & intemperans æſtus, quo Vigilantium diſtrinxit, contumelias in eum contorquens, ubi vidit deeſſe ſibi probabilia argumenta. Atqui malam cauſam (inquiunt) prodit ille, qui ratione, & auctoritate refellere adverſarium non valens, ad probra confugit. Alterum eſt negligentia, qua ſcripſit. [d] *Sanctorum Presbyterorum rogatu unius noctis lucubratione, feſtinante admodum fratre Siſinnio, & propter Sanctorum refrigeria ad Ægyptum ire properante*. Porro altera ex his ſolutionibus, a cunctis, quibus Pontificii fidunt Hieronymi teſtimoniis expediunt ſe ſe ii, qui Sanctorum interceſſionibus adverſantur.

(d) n. 18. ideſt poſtremo.

IV. Sic tamen iſta diluite. Hieronymum novi, & candide fateor rhetoricis declamationibus quandoque indulſiſſe; at meminerint volo adverſarii, non iis ubique indulgere. Et ſane in iis teſtimoniis, quæ ex Epiſtolis produximus, minime indulget. Meminerint quoque, in eo ipſo libro, quem contra Vigilantium ſcripſit, non ita fuiſſe conſectatum, ut argumenta præſtantiſſima omitteret; immo ea producit, & urget maxime, & tantum declamationes, & rhetorum figuras adhibet, ut efficacius, vehementiuſque retundat adverſarium, dictaque ſua legentium animis altius imprimat. Porro non maledicta, ſed acuta quædam, tam & ſi aſperiora dicta in Vigilantium intorſit, ut vilem hominem hac etiam arte repelleret, demeretque, ſi quam haberet, apud ſuos exiſtimationem, (9) Chriſti, Joannis Baptiſtæ, & Apoſtoli Pauli imitatus exemplum, qui homines impios, popula-

rem

(9) Hæreticos acerbioribus dictis redarguendos eſſe, refellendoſque edocuit ſæpe Hieronymus, cujus commentaria in verſ. XI. capitis XII. libri Eccleſiaſtæ apertiſſime hac in perſuaſione illum fuiſſe comprobant. Pauca ex iis decerpo, ſed manifeſta. „ Simul & hoc notandum eſt, quod dican-

„ tur

rem auram captantes, dictis acerbiſſimis diſtrinxerunt. Celeritatem Hieronymi in cudendo hoc opuſculo non mirabitur is, qui noverit, interpretationes Scripturæ breviſſimo tempore ab eodem eſſe confectas, & hanc fuiſſe Hieronymi conſuetudinem, ut quam citiſſime libros ſuos exararet. (10) Ceterum non modo tribuit Hieronymus celeritatem, qua contra Vigilantium libellum ſcripſit, Siſinnio in Ægyptum properanti, verum etiam materiæ ipſi, de qua diſſerebat: quippe adeo manifeſtum errorem continebant Vigilantii dicta, ut repelli lucubrata Oratione non expoſcerent, ſed ſatis eſſet extemporanea quævis. *Alioquin & ipſa materia* (inquit Hieronymus) (e) *apertam habuit blaſphemiam, quæ indignationem magis ſcribentis, quàm teſtimoniorum multitudinem flagitaret*.

(e) n. 18. ideſt poſtremo.

V. Gaudentius, qui labente ſæculo quarto Brixianam rexit Eccleſiam, in fine tractatus, quem recitavit in die *Dedicationis Baſilicæ Concilii Sanctorum*, (f) hæc loquitur. ,, Tot igitur juſtorum patrocinio adjuvandi, tota fide, o-,, mnique deſiderio ſupplices, ſecundum eorum veſtigia ,, curramus, ut ipſis intercedentibus, univerſa, quæ poſci-,, mus, adipiſci mereamur, magnificantes Chriſtum Domi-,, num tanti muneris largitorem, cui omnis honor, vir-,, tus,

(f) Eſt in poſtrema elegantiſſima editione, quam perfecit Vir clariſſimus Paulus Galeardus Canonicus Brixianus, in Sermonum ſerie 17.

,, tur verba ſapientium pungere, non palpare, nec molli ,, manu attrectare laſciviam: ſed errantibus, & (ut ſu-,, pra diximus) tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus in-,, figere. Si cujus igitur ſermo non pungit, ſed oblectationi eſt audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis. Ver-,, ba quippe ſapientium, ut ſtimuli. Quæ quoniam ad ,, converſionem provocant delinquentem, & firma ſunt, ,, & a Concilio Sanctorum data, atque ab uno paſtore ,, conceſſa, & ſolida radice fundata ſunt &c.

(10) Hujus celeritatis in exarandis libris, qua Hieronymus maxime eminuit, exempla plura proferre poſſem. Sed ad id, quod agimus oſtendendum, duo ſatis erunt. Horum primum deſumitur ex præfatione in Tobiam. Hæc porro ad Chromatium, & Eliodorum ſcribit. ,, Quia vicina eſt Chaldæo-,, rum lingua ſermoni hebraico, utriuſque linguæ peri-,, tiſſimum loquacem reperiens, unius diei laborem arri-,, pui, & quidquid ille mihi hebraicis verbis expreſſit, ,, hoc ego accito notario, ſermonibus latinis expoſui. Deſumitur alterum ex præfatione in libros Salomonis. En illud: ,, Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc ,, anno reticerem, & apud vos mutus eſſem, tridui opus ,, nomini veſtro conſecravi, interpretationem videlicet ,, trium Salomonis voluminum &c.

„ tus, & gloria cum Patre, & Spiritu Sancto ante o-
„ mnia, & nunc & ſemper, & in cuncta ſæcula ſæculo-
„ rum. Amen &c.

Neque multum abeſt a proxime præcedenti concluſio ſermonis xx. de Sanctis Petro, & Paulo, nam hujus modi eſt.
„ Communicemus igitur, fratres, Sanctorum Apoſtolorum
„ memoriis: Communicemus Sanctorum memoriis fide,
„ opere, converſatione, ſermone, ut mereamur eorum
„ precibus ad omnia, quæcumque poſcimus, adjuvari, lar-
„ giente gratia Domini Jeſu Chriſti, cui omnis honor in
„ ſæcula ſæculorum.

Affinis eſt quoque, immo plane eadem concluſio Sermonis xxi. in quo B. Philaſtrii prædeceſſoris ſui laudes texit. Quam etiam de B. Philaſtrio perſuaſionem continet hymnus, ſeu carmen Sapphicum in eundem B. Philaſtrium prope finem: quem quidem hymnum eidem Gaudentio ab aliquibus tributum vidi, quibus tamen idem egregius vir Paulus Galeardus, cujus nuper memini, merito obſiſtit.

VI. Venio ad Chryſoſtomum, præclariſſimum illum Doctorem, cui pares paucos habuit Græcia, majorem certe neminem. Huc refer, quæ ex homilia in Sanctas Bernicem, & Proſdocem, ex homiliis in S. Meletium, in S. Ignatium, & ex Liturgia, aliiſque tum ſermonibus, tum libris Sancti Doctoris alibi referemus; quibus adde ea, quæ de Sanctorum invocatione, & reliquiis agentes, ex præclariſſimo Antiſtite adducemus: hæc vero adeo clara ſunt, ut interpretationem Proteſtantium vincant.

CAP.

CAP. XVII.

Ab Auguſtino exorſi, alios plurimos afferimus Patres eidem dogmati faventes. Horum enumerationem ad Leonem Magnum uſque producimus.

I. SEd quis præterierit Auguſtinum, quando quidem n.24. enarrationis in Pſal. quintum, & octogeſimum hæc ait? „ Contriſtatus eſt Beatus Cyprianus in paſſione, mo- „ do conſolatus eſt in corona. Modo & conſolatus „ adhuc triſtis eſt. Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus „ adhuc interpellat pro nobis: omnes Martyres, qui cum „ illo ſunt, interpellant pro nobis. Non tranſeunt inter- „ pellationes ipſorum, niſi cum tranſierit gemitus no- „ ſter.

Concionem vero, ſeu enarrationem ſecundam in Pſalm. 88. ſic concludit. „ Natalia Sanctorum cum ſole- „ mnitate celebrate, ut imitemur eos, qui præceſſerunt, „ & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, ut benedi- „ ctio Domini in æternum maneat ſuper vos: fiat, fiat. Et in ſermone primo in Natali Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis, *(a)* „ Miramur eos: (Martyres) miſerantur nos. Gratulamur eis: precantur pro nobis. Idem Auguſtinus lib. 2. quæſt. in Exodum, quæſt. 108. hæc ait. „ Aries rubricatus cui non occurrat Chriſtus paſſione „ cruentatus? Significantur his etiam Martyres Sancti, „ quorum Orationibus propitiatur Deus peccatis populi „ ſui. Præclariſſimum vero eſt illud, quod extat in Sermone olim 4. inter editos ex majoris Cartuſiæ Mſſ. *(b)* En illud. „ Martyrum perfecta juſtitia eſt, quoniam in „ ipſa paſſione perfecti ſunt. Ideo pro illis in Eccleſia „ non oratur. Pro aliis fidelibus defunctis oratur, pro „ Martyribus non oratur: tam enim perfecti exierunt, „ ut non ſint ſuſcepti noſtri, ſed advocati. Neque hoc „ in ſe, ſed in illo, cui capiti perfecta membra cohæſe- „ runt. Ille eſt enim vere advocatus unus, qui interpel- „ lat pro nobis, ſedens ad dexteram Patris: ſed advoca- „ tus unus ſicut, & Paſtor unus. *Nam oportet* (inquit) „ *me & eas oves adducere, quæ non ſunt de hoc ovili*. Ut „ Chriſtus Paſtor, Petrus non Paſtor? Immo & Petrus „ Paſtor, & ceteri tales ſine ulla dubitatione Paſtores. „ Nam ſi non Paſtor, quomodo ei dicitur: *Paſce Oves meas?*

(a) in ſerie 280. n. 6.

[b] Nunc in ſerie 285. n. 5.

„ *meas?* Sed tamen verus Paſtor, qui paſcit Oves ſuas.
„ Petro enim dictum eſt, non, Paſce Oves tuas, ſed *meas*,
„ Petrus ergo non in ſe, ſed in corpore Paſtoris eſt Pa-
„ ſtor. Nam ſi Oves ſuas paſceret, continuo fierent Hæ-
„ di, quos paſceret.

Ex his porro verbis ſatis videtis, Auguſtinum non modo interceſſionem Sanctorum habuiſſe plane cognitam, ſed eo maxime argumento defendiſſe, quod omnem Adverſariorum noſtrorum rationem profligare poſſit. Hi enim hoc urgent, non poſſe Sanctos pro nobis intercedere, quod unus interceſſor noſter ſit Jeſus Chriſtus, ille vero apertiſſime oſtendit, & unum eſſe interceſſorem noſtrum Chriſtum, neque eo tamen fieri, ut intercedere alii nequeant. Quemadmodum, cum unus ſit Paſtor Chriſtus, alii tamen Paſtores eſſe poſſunt.

Adeo vero Auguſtini tempore crebra erant ex Martyrum interceſſione obtenta miracula, ut palam in Eccleſia libelli, in quibus ea miracula deſcribebantur, recitarentur. En vadem Auguſtinum ipſum hæc tradentem: (c)
„ Ego aliquando memoror de libellis miraculorum Marty-
„ rum, quæ in conſpectu veſtro leguntur. Ante dies le-
„ ctus eſt quidam libellus, ubi cuidam ægrotæ, quæ do-
„ loribus acerrimis torquebatur, cum dixiſſet: Ferre non
„ poſſum; ait illi ipſe Martyr, qui ſanare venerat: Quid
„ ſi Martyrium duceres?

(c) Serm. olim 39. *de diverſis*, in nova edit. 286. n. 7.

Vide etiam obſecro ejuſdem Auguſtini ſermonem olim 101. *de diverſis*, nunc 273. n. 2. Rurſus ſermonem tertium de Sancto Stephano (d) n. 5. & ſermonem ſextum de eodem Sancto Stephano n. 6. & 7. Denique ea quæ idem Auguſtinus tradit lib. 21. de Civit. capit. poſtremo n. 5. & lib. 22. cap. 8. n. 22.

(d) olim 94. *de diverſis*: nunc 316.

II. Paulinus Nolanus, qui Auguſtini temporibus vixit, pietate, doctrina, dignitatibus, quibus antea fuerat honeſtatus, aliiſque etiam titulis celebratiſſimus, adeo Sanctorum cultui, & interceſſioni favit, ut merito inter potiſſimos horum dogmatum defenſores recenſeatur. Ut in interceſſione ſiſtam, eam ſane comprobant, quæ in Natali XI. S. Felicis ſcripſit: Ex eo ſeligam pauca, nam ſi vellem cuncta tranſcribere, quæ ad interceſſionem firmandam afferre poſſem, ex eo tum alia multa, tum integrum hoc poema tranſcribere cogerer.

V. 194. * * * * * * * * * * * * inde Beatus
Fælix, ut reliqui diverſo Martyres Orbe
Nolanis Medicus fuit, eſtque perennis ope iſta.
V. 237.

V. 237. Et manet hæc nobis etiam nunc gratia, quæ nos
Peccatis prece Sanctorum exorante reſolvit,
Atque iiſdem Sanctis ultoribus alligat illos,
Diſcruciatque hoſtes, qui nos vincire ſolebant.

Quod ſi alia allegari adhuc vis ejuſdem Paulini teſtimonia, facile obſequar: quippe aptiſſima ſuppeditant verſ. 283. & ſubſequentes, & rurſus verſ. 366. & ſubſequentes ejuſdem Natalis XI.

Carmen vero ſeu Poema ſubſequens, ideſt XII. in Natalem diem Sancti Felicis elaboratum, ſic exorditur.

Sæpe boni Domini caris famulantur alumnis
Mente pia, patrio ſubjecta tuentur amore
Mancipia, hiſque favent cura propiore fovendis,
Quos magis indiguos opis, & virtute carentes
Affectu rimante vident. * * * * * * * * *
Hæc mihi conditio eſt data ſub Felice patrono.

Porro hæc ſatis ſint, ut noſcant omnes, quænam circa Sanctorum interceſſionem eſſet Paulino mens. Si quis plura deſideret, plura etiam legat ejuſdem Sancti Poemata: nulla enim fere pagina eſt, in qua eadem documenta non extent.

III. Poſt Paulinum, Aſterium profero, quippe qui in ipſo ſæculi quinti initio Amaſenam Eccleſiam magna cum Sanctitatis, tum Doctrinæ exiſtimatione rexit. Hic in ea Oratione, quam ſcripſit in Sanctos Martyres, quæque *Encomium in Sanctos Martyres* a latino interprete inſcripta eſt, num. VIII. ſic loquitur: „ Porro Sancti pro ea, qua „ pollent fiducia, Mundi interceſſores exiſtunt: neſcienſ- „ que hoſtis in eorum, quæ habebat propoſita, contra- „ ria incidit. Quot enim Martyrio perfunctos occidit, „ tot hominum adjutores fecit. Videaſque in omnibus, quæ „ deſignavit, hoc ipſum paſſum eſſe. Unde putat pietati „ ſe impedimentum allaturum, inde augumentum pietati „ adſciſcit. Etiam ſubſequentia ejuſdem Orationis verba ſi legeris, plurima ad idem dogma comprobandum valde apta occurrent: quibus ſimillima edocet idem Aſterius oratione in S. Phocam, ex qua alibi verba promemus.

IV. Quo illud omnino pertinet, quod ſæpe tradit Prudentius Poeta Chriſtianus, quique perinde, atque Aſterius, in initio ſæculi V. claruit. Aliquot allego, ſed perſpicua Prudentii verba. In libro peri Stephanon (e) hæc ait:

Hæc ſub altari ſita ſempiterno
Lapſibus noſtris veniam precatur

(e) Hymno 4. verſ. 189.

Turba, quam ſervat procerum creatrix,
Purpureorum.

Rurſus in fine Hymni XII. in S. Cyprianum.

Denique Doctor humi eſt; idem quoque Martyr in ſupernis
Inſtruit hic homines, illic pia dona dat patronus.

V. Maximus Taurinenſis, qui teſte Gennadio, in Catalogo virorum illuſtrium, obiit, Honorio, & Theodoſio juniore regnantibus, multa in eamdem ſententiam ſuæ perſuaſionis monumenta reliquit. Sane ſermonem in Sanctos Martyres Tauricos ſic exorditur. „ Cum omnium Sancto-„ rum Martyrum, fratres, devotiſſime natalem celebrare „ debemus: tum præcipue eorum ſolemnitas tota nobis „ veneratione curanda eſt, qui in noſtris domiciliis pro-„ prium ſanguinem profuderunt: Nam licet univerſi San-„ cti ubique ſint (*legendum arbitror* ubique præſto ſint) „ & omnibus proſint, ſpecialiter illi tamen pro nobis in-„ terveniunt, qui & ſupplicia pertulere pro nobis. Mar-„ tyr enim quum patitur, non ſibi tantum patitur, ſed „ & Civibus: ſibi enim patitur ad præmium, Civibus ad „ exemplum. Sibi patitur ad requiem, Civibus ad ſalutem.

Et inter eos ſermones, quos præpoſito Maximi Taurinatis nomine Clariſſimus Muratorius evulgavit, (*f*) ſermone 9. in S. Cyprianum hæc habentur. „ Inter ceteros „ igitur Martyres, quos ſub ara Dei conſiſtere prædica-„ mus, etiam B. Cyprianus adſiſtit, & cunctorum vindi-„ ctam facundia uberiore proſequitur; neque enim dubi-„ tandum eſt, eum in Martyrio plura præ ceteris exora-„ re, qui in Sacerdotio præ ceteris plura conſcripſit. Et „ licet cum omnibus ſtolam ſplendidæ remunerationis ac-„ ceperit, tamen fortaſſe eloqui minus ceſſat, quo plus „ ſe intelligit promereri.

(*f*) Tom. 4. Anecdotorum. pag. 71.

VI. Theodoretum Maximi æqualem Sanctorum interceſſioni faviſſe, ipſorumque cultum, atque invocationem, acriter defendiſſe, vel ex hoc ipſo conſtat, quod illum plerique hæretici hoc præcipue nomine accuſant, quod interceſſionis, cultus hujus, invocationiſque auctor ipſe fuerit; in quo quidem falluntur; ſed niſi Theodoretus hæc dogmata retinuiſſet, nunquam horum auctor viſus fuiſſet. Hic ergo in hiſtoria Sanctorum Patrum pleraſque horum vitas concludit aut invocans, imploranſque Patrem illum, cujus vitam conſcripſit, aut certe indicans ſe illius interceſ-

ſio-

ſione beneficia non levia ſperare. Hoc modo in fine vitæ Marciani. *Rogo, & quæſo, ut per horum omnium interceſſionem divinum conſequar auxilium*. In fine vitæ Publii: *Plane ſcio, quod ſi eorum memoriam fecero in hominibus, futurum ſit, ut ii quoque mei meminerint apud Dominum univerſorum*. In fine vitæ Simeonis priſci. *Ego autem nunc oro, ut quam dare poteſt, ejus conſequar interceſſionem, & ſcio me conſecuturum*. Quod & in reliquis vitis, ut nuper diximus, facere ſolet.

VII. Quid Petrus Chryſologus, qui anno 480. maxime claruit, de Mariæ Virginis dignitate, atque emolumentis, quę ex ejus patrocinio in nos perveniunt, ſenſerit, alibi fortaſſe oſtendam. At aliud etiam teſtimonium ejuſdem Sancti Doctoris profero ex ſermone in D. Apollinarem, (g) ex quo Sancti hujus erga olim ſibi ſubjectum populum præſidium explicat, hæc elocutus. „ Et quid plura, fratres? „ egit, egit Eccleſia ſancta mater, ut nuſquam a ſuo ſepararetur Antiſtite. Ecce vivit, ecce ut bonus Paſtor „ ſuo medius aſſiſtit in grege: nec unquam ſeparatur ſpiritu, qui corpore præceſſit ad tempus: præceſſit dico „ habitu: ceterum ipſa inter nos corporis ſui habitatione „ quieſcit.

(g) qui ſermo in ſerie eſt 128. n. 9.

VIII. Baſilius Seleucienſis, qui iiſdem temporibus vixiſſe creditur, quod ad Sanctorum interceſſionem attinet, eadem plane, atque illi, quorum teſtimonia retulimus, edocet. Scilicet in Oratione *de Annunciatione*, de Sanctorum Miraculis poſt illorum obitum editis hæc eloquitur, Petavio interprete. *Et quid mirum eſt, ſi viventes operabantur Sancti, quandoquidem neque cum mortuis ipſis poteſtatem terra ſimul abſconderit? Nam et ſi lapides illorum tegant corpora, poſſunt iidem nihilominus eos ſervare, qui neceſſitate aliqua premuntur, ſi, ut dignum eſt, ad illos accedant*.

(h) de Incarnatione lib. 14. cap. 11. n. 17.

CAP.

CAP. XVIII.

Ad idem dogma confirmandum primo quidem ſeptem Leonis Magni loca adducimus; tum Valerianum, alioſque Patres allegamus, quorum ſeriem Alexandri III. teſtimonio concludimus.

I. LEo Romanus Pontifex ob doctrinam, eloquentiam, ſanctitatem, & eximia facta *Magni* vocabulum merito conſecutus, eadem tradit. Clariſſima, nec fallor, teſtimonia affero. In ſermone 2. (*a*) de Jejunio decimi menſis, & collectis ejuſdem hæc ait. „ Quarta igitur, & „ ſexta feria jejunemus. Sabbatum autem apud Beatum „ Petrum Apoſtolum pariter vigilemus, cujus ſuffragantibus meritis, quæ poſcimus, impetrare poſſimus. Per „ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c. Et rurſus in ſermone ſecundo de Pentecoſte. (*b*) „ Quarta igitur, & „ ſexta feria jejunemus: Sabbato autem apud B. Pe- „ trum Apoſtolum vigilias celebremus, patrocinante eo- „ dem orationibus noſtris: ut in omnibus miſericordiam „ Dei obtinere mereamur. Per Dominum noſtrum &c. Et in ſermone 84. (*c*) eadem ipſiſſima repetit. „ Sabbato vero (inquiens) apud B. Petrum Apoſtolum pari- „ ter vigilemus, cujus ſuffragantibus meritis, ab omni- „ bus tribulationibus mereamur abſolvi. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

(*a*) in ſerie XII.

(*b*) qui in ſerie eſt 74. cap. 9.

(*c*) qui primus eſt de Jejunio ſeptimi menſis, cap. 2.

Videas etiam volo, quæ tradit ille cap. 4. ſermonis primi de jejunio Pentecoſtes, (*d*) quæ capite itidem quarto ſermonis 83. de S. Laurentii interceſſione, & quæ cap. 7. ſermonis 80. de Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli patrocinio pleniſſime ediſſerit. Operæ etiam pretium facies, ſi leges integrum caput 4. ſermonis tertii in anniverſaria ſuæ aſſumptionis die.

(*d*) hic ſermo in ſerie 76. eſt.

II. Ad ejuſdem dogmatis approbationem teſtificandam pertinet id, quod tradit Valerianus, qui Sirmondi ſententia Leonis Magni temporibus vixit. Quippe homilia 3. de bono Martyrii hæc eloquitur. (*e*) „ Nemo autem dubi- „ tet, illum pro actibus ſuis eſſe ſollicitum, quem videt „ ſibi parentelæ affinitate conjunctum. Oportet itaque „ primo loco, ut nos huic patrono frequentibus inſinue- „ mus officiis, quatenus pro nobis apud Dominum pecu- „ liaris interceſſor invigilet, & vitam noſtram dignatio- „ nis ſuæ favore commendet.

(*e*) in ſerie earum, quas idem Sirmondus edidit 17. eſt. Extatque tom. 1. pag. 390.

III. Quod-

III. Quid quod communem iis temporibus perſuaſionem, qua creditur a Sanctis noſtras res curari, innuent verba illa, quæ in Concilio Calchedonenſi (*f*) actione undecima protulit Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolis? „ Domne Stephane, cognoſce quantum poteſt Flavianus beatæ memoriæ etiam poſt mortem; Reverendiſſimi Epiſcopi, & Clerici Conſtantinopolitani clamaverunt: Veritas ſic habet: omnes hæc ipſa dicimus. Flaviano æterna memoria: Orthodoxi æterna memoria. Ecce ultio, ecce veritas. Flavianus poſt mortem vivit: Martyr pro nobis oret: Flavianus poſt mortem fidem expoſuit. Flavianus hic eſt: Orthodoxus hic eſt. Multos annos Imperatori. Flavianus nobiſcum judicat.

[*f*] Tom. 4. pag. 1618.

IV. Non multum abfuit ab ea ætate Gelaſius I. Romanus Pontifex, & quidem magni nominis. Illi ſi tribuas libros *Sacramentorum*, quos Eminentiſſimus Cardinalis Thomaſius edidit; libros ei tribues, quos vel ipſum conſcripſiſſe probabilem admodum eſt, vel ab antiquitate acceptos auxiſſe, & locupletaſſe. Porro in his libris mirum in modum favetur interceſſioni Sanctorum. Pauciſſima indico e plurimis. Legas opto preces Miſſæ in Natali Sancti Stephani, (*g*) preces quoque Miſſæ in Natali S. Felicis, & S. Marcelli, paucis eas omnes fere, quas liber ſecundus complectitur, & manifeſto conſpicies Sanctorum interceſſionem, & adjumentum in iiſdem libris tradi.

(*g*) pag. 16. & 17.

V. Victor Vitenſis, cujus præclaram Vandalicæ perſecutionis ab Arianis in Orthodoxos commotæ hiſtoriam habemus, præclarum quoque interceſſionis Sanctorum teſtimonium dedit, ſi Victorem Vitenſem (quod ſuſpicari videtur D. Theodoricus Ruinart) habet auctorem homilia illa, quæ in S. Cyprianum ſcripta eſt, & ab eodem Ruinart edita eſt. (11) Hæc ergo Homilia illa habet: (*h*) „ Ipſe „ eſt qui & ante lapſos, & ruinas ſuorum tali deflet af- „ fe-

(*h*) poſt quinque libros perſecutionis Vandalicę a Victore, conſcriptos.

(11) Verba ipſa Theodorici Ruinart affero, ex quibus manifeſto illius mens conſtet: „ Homiliam ſequentem de Beato „ Martyre Cypriano, quæ in Codicibus manuſcriptis duobus vetuſtis, uno ſcilicet Bibliothecæ Colbertinæ, & „ altero monaſterii S. Martini a Campis habetur poſt relatam a nobis Sanctorum VII. Monachorum Paſſionem, „ huc etiam proferre viſum eſt; quod & ſi fortaſſis Victoris noſtri non fuerit, ejus tamen eſt ætatis, nec indigna eſt omnino, quæ ipſi attribuatur.

„ fectu dicens: (b) *Et nos cum proſtratis fratribus proſtravit affectus*. Antiſtes populum, paſtor gregem, parens „ patriam, Martyr fidem non ſine magno dolore perquirit. *Et mox*. „ Beatus Cyprianus in Deo, & cum Deo liber eſt, qui captivus habetur in nobis; & in ſupernis regnat, qui in terris hoſtibus videtur addictus. „ Adeſt ſibi, nec nobis deeſt, pro peccatoribus apud juſtum judicem juſtus patronus adſiſtit, apud pium Regem innocens advocatus exorat. Dicit Domino: Domine, quare tradidiſti adverſariis domum tuam, inimicis „ hæreditatem tuam? Cur profanis ſancta, cur munda „ pollutis, & cur lupis agnos? Cur tradit beſtiis gregem, Paſtorum Principem paſtor, audacter appellat: „ Cur Rex exercitum ſic devotum hoſtili ſubjecerit ditioni, dux ſtrenuus convenienter inquirit; cur perfidis addixerit ſic fideles, Sacerdos in martyrio probatus „ inclamat . . . . . . Adeſt & Sanctus Cornelius Romæ Urbis Antiſtes, qui hoc eodem die paſſus in tali „ cauſa ſocium non relinquit, non deſerit in tali poſtulatione collegam.

Sed alia ex indubitatis Victoris Vitenſis libris teſtimonia proferam, quum de Sanctorum invocatione, quum etiam de Reliquiarum ſanctarum cultu peculiariter ediſſeram, quæ teſtimonia ad Sanctorum interceſſionem comprobandam ſi quis afferat, non inepte afferet. Vide etiam Epiſtolam Antonini Epiſcopi Conſtantienſis ad Arcadium propter fidem Catholicam a Genſerico damnatum exilio: plurima quippe in ea extant, & præclariſſima Catholicæ perſuaſionis, de qua agimus re, argumenta.

[i] de viris illuſtribus cap. 92.

VI. Iis temporibus vixit C. Sollius Apollinaris Sidonius Arvernorum Epiſcopus, quippe qui referente (i) Gennadio floruit ea tempeſtate qua Leo, & Zeno Romanis imperabant. Hic ipſe interceſſionis Sanctorum præclarum ſuppeditat teſtimonium, dum epiſtola v. libri I. epiſtolarum, quam quidem epiſtolam ad Heronium dirigit, ſcribit hæc: (*) „ Ubi priuſquam vel pomæria contingerem, „ triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus, omnem „ protinus ſenſi membris male fortibus exploſum eſſe langorem. Poſtque cæleſtis experimenta patrocinii &c.

(*) Tom. I. Ope. Sirmon.

Forte languorem

VII. Proximum Apollinari Sidonio proferamus oportet Ennodium Ticinenſem Epiſcopum; etenim initio ſæculi ſexti claruit. Hic quoque cum ceteris Doctoribus in Sanctorum interceſſione plane conſentit. Vide

Epi-

Epiſtolam VII. libri 3. Adeodato Presbytero ſcriptam.. Epiſtolam quoque VIII. libri 6. Epiſtolam 43. libri VIII. Rurſus Epiſtolam 22. libri IX. Denique Opuſculum 5. quod eſt *Eucbariſticum de vita ſua*, hoc eſt pro gratiarum actione ob redditam ſanitatem compoſitum; nam ſanitatem B. Victoris interceſſione reſtitutam ſibi fuiſſe teſtatur.

VIII. Ennodio Germanum jungo Pariſienſem Epiſcopum, qui anno 579. ſeu ut aliis placet, 576. aut certe ante annum 579. obiit extremum diem. Hic quoque quantum Sanctorum interceſſioni faverit, ex iis conſtat, quæ deinceps ex illius ſcriptis allegabimus.

IX. Eidem dogmati ſuffragatur Caſſiodorus (ſeu quem ad modum litteratiſſimus Maffejus appellari eum jubet, Caſſiodorius) Caſſiodorus inquam tum alibi ſæpe, tum certe in Commentariis ad verſiculum nonum Pſalmi 64: preclara ſcilicet, & perſpicua, reique noſtræ opportuniſſima ibi tradit, quæque propterea hic quoque allegare cum laude poſſumus.

X. Illuſtre quoque perſpicuumque illud eſt, quod S. Gregorius magnus Epiſt. 39. (*) libri quarti his verbis tradit. *In omnipotentis Dei gratia, atque Beati Petri Apoſtoli adjutorio confidat*. Et Epiſt. 46. libri undecimi. (*) *Quanto enim plus timetis conditorem omnium, tanto amplius ejus poteſtis Eccleſiam amare, cui dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam ..... Unde nobis dubium non eſt, quàm forti amore ad eum vos ſtringitis, per quem ſolvi ab omnibus peccatorum nexibus deſideratis. Ipſe ergo ſit veſtri cuſtos imperii, ſit vobis protector in terra, ſit pro vobis interceſſor in Cælo: ut per hoc, quod relevatis duris ponderibus, in veſtro imperio ſubjectos gaudere facitis, poſt multa annorum tempora in cæleſti regno gaudeatis*.

(*) in edit. PP. S. Mauri epiſtol. 19. libr. v.

(*) in edit. PP. S. Mauri epiſt. 39. lib. 13.

XI. Quantum Ildephonſus Toletanus Archiepiſcopus, qui anno 658. claruit; Beda, qui in ipſo initio ſæculi octavi, Joannes Damaſcenus, qui paulo poſt ſanctitate, & doctrina emicuit, in primis quidem Mariæ Virginis, tum reliquorum Sanctorum interceſſioni faverint, nullus eſt qui ignoret. Quippe notiſſima horum ſunt, & creberrima teſtimonia: quæ ſi recenſeam, & longam, & forte inutilem inſumam operam. Nempe omnes fere fatentur adverſarii, iis temporibus, Ildephonſi præſertim, Bedæ, & Damaſceni opera, in tota Eccleſia interceſſionem Sanctorum, atque in primis Mariæ fuiſſe exceptam. Videas tamen opto, quæ Damaſcenus cap. 16. libri 4. de fide; Ildephonſus cap. XXI. libri illius, quem *de illibata Virginita-*

te *Sanctæ Mariæ* inſcripſit, & Beda homilia in Dominicam 2. Quadrageſimæ hoc de argumento ſcripſere.

XII. At alios etiam præter nuper laudatos ſæculi illius ſcriptores afferam, & eo conſilio afferam, ut id exequar, quod demonſtrare exorſus ſum; conſtare ſcilicet ex optimorum Doctorum cujuſque ætatis teſtimoniis, a primordiis Eccleſiæ ad minus remota a nobis tempora perpetuo derivatam eſſe, jugiterque retentam eam perſuaſionem, qua credimus, Sanctos nobis bona multa impetrare. Profecto Germanus Patriarca Conſtantinopolitanus, qui anno 740. obiit, de interceſſione B. Virginis multa præclara, & crebra teſtimonia dedit. Seligo unum ex Oratione *de Dormitione Virginis*, in qua ſic eam alloquitur: (*)
„ Quis peccatoribus adeo enixe patrocinatur? Quis aberrantium cauſam tantopere tuetur? . . . . Tu vero, maternam vim apud Deum obtinens, iis, qui ſupra modum peccant, ſupra modum veniam conficis. Nec enim fieri poteſt, ut non exaudiaris, quoniam tibi ad omnia, & per omnia, & in omnibus Deus tamquam veræ, & immaculatæ Matri ſuæ obedit. Unde & afflictus merito ad te confugit: imbecillus tibi adhæret: qui bello petitur, te hoſtibus opponit. Indignationem, iram, & afflictionem, immiſſionem per Angelos malos tu commutas: tu juſtam comminationem, & ſententiam æquæ condemnationis convertis, magnopere amans populum illum, qui nomine Filii tui vocatur.

(*) tom. 12. Biblio. pag. 703. Sed ego alia utor interpretatione.

XIII. Poſt hæc tempora viguiſſe iu Eccleſia certiſſimam, firmiſſimamque de Sanctorum interceſſione perſuaſionem, Adverſarii vel ipſi concedunt; ac ſi quis in dubium id revocet, damnationes erroris ei oppoſiti convincere illum ſatis poſſunt. Damnatus ſcilicet fuit hic error a Nicæno II. (*k*) actione quarta in Decreto fidei, ubi ſtatutum eſt, *expetendas eſſe interceſſiones Sanctorum, quippe qui valent reconciliare nos Regi omnium Deo*. Damnatus pariter a Jona Aurelianenſi adverſus Claudium Taurinenſem diſputante, a Concilio Francofordienſi, (12) & ut paucis cuncta comple-

(*k*) Tom. 8. Conc. pag. 971.

(12) Can. 42. hæc habentur, quibus Sanctorum ab Eccleſia approbatorum cultus, ideoque interceſſio, qua potiſſimum Sanctorum cultus innititur, aperte exhibentur. *Nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoria eorum per vias erigantur: ſed hi ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex auctoritate paſſionum, & vita merito electi ſunt.*

Tom. 9. Con. pag. 106.

plectar, ab iis omnibus, quibus cordi fuit veterem diſciplinam, cultumque erga Sanctos tueri. Porro ii tot ſunt, quot ſunt Doctores Eccleſiæ, qui Concilium II. Nicęnum ſubſecuti ſunt.

XIV. Sane Albinus Flaccus Sanctorum interceſſionem palam proponit, ſi tribuas illi librum *Sacramentorum*, qui ſub ejus nomine prodiit; quippe varias Orationes deſcribit atque approbat, in quibus per Sanctorum interceſſionem multa a Deo beneficia petuntur; At certe proponit in Epiſtola xxx. hæc locutus. *Sanctorum feſtivitates cum laude divina, & pauperum eleemoſyna frequenter honora: quatenus illorum merearis interceſſione illorum eſſe particeps beatitudinis.* Porro vixit hic auctor temporibus Caroli Magni, cujus etiam præceptor fuit, illique ob doctrinam, pietatemque cariſſimus extitit.

XV. Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Epiſtolam ad Parochiæ ſuæ Sacerdotes, & Homiliam 62. ideſt poſtremam Theophanis Ceramei huc ſpectantes alibi allegabimus. Hic ſi vis etiam allega.

XVI. Theodorus Studita Clariſſimus ſæculi noni Scriptor (extremum enim diem anno 826. obiiſſe creditur) tum ſæpe alibi, tum indubitatum interceſſioni præbet teſtimonium lib. 2. Epiſtolar. Epiſtola 166. ſcripta Theoctiſto Heremitæ: Etenim inter articulos fidei recenſet: „ „ Confiteri etiam Virginem Deiparam eſſe omnibus ſublimiorem, & honoratiorem; quæ materno jure apud „ filium ſuum, ac Dominum poſſit pro univerſo mundo „ intercedere: Angelos confiteri quoque ut Angelos, qui „ & ipſi magnopere pro omnibus hominibus deprecentur . . . . . . Confiteri etiam, Sanctos omnes velut famulos Dei pro ſalute noſtra poſſe apud Deum intercedere. Conſule etiam obſecro, quæ tradit ille in Epiſtola 182. ejuſdem libri, quæ Baſilio Monacho ſcripta eſt.

XVII. At producamus eſt opus præclariſſimum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Catholicorumque dogmatum defenſorem Bernardum Clarevallenſem Abbatem, XII. ſæculo, quo vixit, Sanctitate, Doctrina, & rerum agendarum peritia celebratiſſimum. Pauca tamen ſeligo, ne æquo longior ſim. In officio Sancti Victoris, quod rogatu Guidonis Abbatis Arremarenſis compoſuit, in ultima Laudum Antiphona ſic Deum deprecatur: (*l*) „ Omnipotens Pater, peccavimus tibi, facti filii alieni: ſed appropiavimus

(*l*) Tom. 3. aliàs vol. 2. pag. 544.

„ mus in Victore noſtro, qui cum vicerit cupiditatem
„ ſuam, vincat & iram tuam, nos quoque in gratia
„ potenter reſtituat. Interceſſionem quoque ejuſdem S. Victoris, opemque nobis ab eo adhibitam copioſiſſime edocet: quin etiam argumentis confirmat in ſermone 2. in Natali S. Victoris, quem ſi legeris, operæ pretium feceris. An non etiam aptiſſima ad rem præſentem confirmandam tradit in fine ſermonis v. in feſto omnium Sanctorum? Rurſus numero Sermonis 2. *de Sancto Malachia*, denique numero 7. Sermonis illius, quem in obitu domni *Humberti* recitavit?

XVIII. Petrus Abbas Cellenſis amicus Bernardi Clarevallenſis extitit; (*m*) eadem vero, quod ad interceſſionem Sanctorum attinet, plane ſenſit; Indubitatam ea de re fidem faciunt Epiſtola 16. lib. v. & Epiſtola ix. libri vi. ad quas te amando, quippe conceptam in fuſis a D. Thoma Cantuarienſi Epiſcopo apud Deum precibus ſpem manifeſto deſcriptam conſpicies.

(*m*) hujus Epiſtolæ extant Tom. 3. operum Sirmondi.

XIX. Non abſimilia de validiſſima ejuſdem B. Thomæ interceſſione diſcimus ex Alexandro III. Romano Pontifice; ſic enim loquitur. (*n*) „ Univerſitatem itaque veſtram monemus, & auctoritate, qua fungimur, diſtricte
„ vobis præcipimus, ut Natale prædicti glorioſi Marty-
„ ris, die paſſionis ſuæ ſolemniter annis ſingulis celebre-
„ tis, & apud ipſum votivis Orationibus ſatagatis pec-
„ catorum veniam promereri: ut qui pro Chriſto in vita
„ exilium, & in morte virtutis conſtantia paſſionis Mar-
„ tyrium pertulit, fidelium jugi ſupplicatione pulſatus,
„ pro nobis apud Dominum intercedat.

(*n*) in fine Epiſtolæ 54. ex iis, quas evulgavit optimus Sirmondus, & ſcripta eſt VVilelmo Senonenſi Archiepiſcopo, & ſuffraganeis ejus. Tom. 3. operum Sirmondi pag. 836. edit. Venetæ.

XX. Et hæc quidem ſatis eſſe reor ad oſtendendum, hanc de Sanctorum interceſſione traditionem & antiquiſſimam eſſe, & communem. Quippe ab ipſis Eccleſiæ initiis exorſi, Patrum teſtimonia colligentes, tempora illa omnia tranſegimus, de quibus dubitatio aliqua, licet immerito, nonnullis identidem orta eſt. Poſt illa, nemo Eccleſiaſticorum Doctorum Sanctorum interceſſionem non excepit: crebræ enim damnationes eorum, quibus Sanctorum interceſſio diſplicuit, quænam omnium de Sanctorum interceſſione perſuaſio eſſet, adeo compertum faciunt, ut hac in re ipſimet noſtri hoſtes nobis obſiſtere vereantur; & jam pridem faſſi ſunt, ab Alexandro III. ad noſtra uſque tempora pro Sanctorum interceſſione, pauciſſimis, ſi vis, exceptis, univerſos ſtetiſſe.

CAP.

CAP. XIX.

Ad id ipſum comprobandum alia duo adducuntur argumenta, quorum primum e viventium precibus, alterum ex communione Sanctorum, de qua in Apoſtolorum Symbolo mentio fit, deſumitur. Ac primo quidem expenditur primum.

I. AT non deſunt alia argumenta, quæ & opem nobis per Sanctorum preces collatam, eorumque pro nobis interventum perſpicuum faciant. Enim vero tum Scripturarum, tum Patrum monitis edocemur, viventium precibus plurimum juvari nos. Non hic recenſere volo, quæ ex veteri Teſtamento, & ex Patribus in rem hanc adducuntur, ſiſtoque in teſtimoniis ex novo Teſtamento deſumptis: ex his porro eruo, ſæpe popoſciſſe Paulum viventium preces, veluti ſubſidium laborum ſuorum, & fructum ſibi maximum allaturas. Rom. 15. (*a*) „ Obſecro (*a*) v. 30.
„ vos fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &
„ per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in
„ orationibus veſtris pro me ad Deum, ut liberer ab in-
„ fidelibus. Epheſ. 6. (*b*) „ Galeam ſalutis aſſumite, (*b*) v. 17. & 18.
„ & gladium Spiritus, (quod eſt verbum Dei) per o-
„ mnem orationem, & obſecrationem orantes omni tem-
„ pore in Spiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia,
„ & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, ut
„ detur mihi ſermo. Idem repetitur Coloſſ. 4. (*c*): (*c*) v. 3.
Et prima Theſſal. 5. (*d*) Iterum 2. Theſſal. 3. (*e*) Et Heb. (*d*) v. 25.
13. (*f*) Quid quod Jacobus in ſua Epiſtola cap. 5. (*g*) (*e*) v. 1.
Orate (inquit) *pro invicem ut ſalvemini: multum enim* (*f*) v. 3. & 19.
valet deprecatio juſti aſſidua? Porro ex his teſtimoniis (*g*) v. 16.
conjicimus primo, infirmum plane eſſe argumentum, quo Sanctorum in Cælis degentium interceſſionem, preceſque iis delatas oderunt Proteſtantes, arbitrati, hæc advocationi, mediationique, quam noſtri gerit Chriſtus, adverſari: Sic quippe diſſerunt. Si advocatum habemus Dominum Jeſum Chriſtum, qui ſemper orat pro nobis, cur alios advocatos agnoſcimus; perinde quaſi non ſufficeret advocatio tam grandis? Si mediator Chriſtus eſt Deum inter & homines, quos ille ſanguine ſuo in Patris gratiam reconciliavit: cur ad aliorum preces confugiemus; quaſi novo

me-

mediatore apud Patrem egeremus, neque unius placeret Chriſti mediatio, ſed aliorum ſuffragia, atque adjumenta accedere opus foret?

II. Hæc, & ſi qua ſunt hujus generis alia, quæ ſæpiſſime inculcant hoſtes noſtri, repelluntur plane a viventium precibus, quas expoſcunt, commendantque maxime Paulus, & Jacobus. Enim vero preces hæ advocationi, mediationique Chriſti adverſari non poterunt; ſecus eas fundi vetuiſſent laudati Apoſtoli. Quod ſi Sanctorum viventium preces, atque advocatio unius advocati Chriſti precibus, atque advocationi non adverſantur, cur adverſabuntur Sanctorum degentium in Cælis preces, atque advocatio?

III. Secundo, aliud commodum ex iis teſtimoniis eruimus; nimirum argumentationem, quam Scholaſtici appellant a fortiori, ad comprobandum, & preces a Sanctis pro nobis fundi, & ab iis juvari nos: Et ſane multo plus poſſe impetrare nobis Sanctos, dum in Cælis degunt, quàm dum in terris nobiſcum adhuc verſantur, non obſcure indicat Ambroſius, (*b*) dum monet, potuiſſe olim Petrum rogare, impetrareque pro Socru; nunc autem pro nobis, immo pro omnibus impetrare. *Tunc enim pro affine poterant, nunc jam poſſunt pro nobis, & pro omnibus impetrare*. Quem imitatur Hieronymus, in libello adverſus Vigilantium hæc inquiens (*i*) „ Dicis in libello tuo, quod „ dum vivimus, mutuo pro nobis orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim cum Martyres ultionem ſui Sanguinis obſecrantes impetrare non quiverint. Si „ Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent „ eſſe ſolliciti: quanto magis poſt coronas, victorias, & „ triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus „ armatorum impetrat a Deo veniam: & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro „ perſecutoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum „ Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in navi animas „ condonatas: & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum „ Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro his, qui in toto Orbe ad ſuum Evangelium crediderunt, mutire „ non poterit? Meliorque erit Vigilantius Canis vivens, „ quam ille Leo mortuus? Recte hoc de Eccleſiaſte pro-

(*b*) cap. 9. alias n. 55. lib. de Viduis.

(*i*) cap. 3. alias n. 7.

po-

„ ponerem , ſi Paulum in Spiritu mortuum confiterer. „ Denique Sancti non appellantur mortui, ſed dormientes. Nec aliter ſentit Chryſoſtomus, dum (k) *Multam fiduciam* (inquit) *obtinent* (eæ, de quibus loquitur, Martyres) *non viventes modo, ſed & mortuæ, multoque magis cum ſint mortuæ*. Sic etiam diſſerit & Auguſtinus, ſive auctor, quiſquis is eſt, Sermonis olim primi *de Sanctis*, (l) „ Commendemus (inquiens) nos orationibus ejus; multo „ magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus ſuis, „ qui ſic exauditus eſt pro lapidatoribus ſuis.

IV. Cur autem Sanctorum, ad cæleſtem beatitudinem evectorum precibus plus deferatur, quàm illorum, qui noſtram hanc vitam tranſigunt, argumenta afferri ſolent non pauca, quæ tamen ad quatuor, vel ſi vis, ad quinque revocari poſſunt: e quibus duo voluntatem in Sanctis eſſe pro nobis orandi majorem, cetera oſtendunt, eorum preces apud Deum efficaciores eſſe.

V. Quod ad primum ſpectat, certa res eſt, fere nos moveri ad fundendas pro aliis preces a caritate. Ii vero, qui Deo fruuntur in Cælis, tanto majorem caritatem erga nos habent, quanto longius abſunt a ſordibus, quibus noſtræ virtutes non raro, & amor inficiuntur. Majorem caritatem certe commemorat Chryſoſtomus (m) ſic locutus. „ Eſt „ enim ei (S. Meletio) nunc major fiducia, & amor „ in nos ferventior, ut hæc nobis augeatur caritas, & „ nos omnes id conſequamur, ut quomodo prope arcam „ iſtam aſtamus, ita illic quoque prope beatum, & æternum ejus Tabernaculum eſſe, & bona æterna nobis reposita conſequi poſſimus. Certa quoque res eſt, Cælites in tuto jam poſitos, nullius rei indigos, nec amplius merita ſua augentes, pro ſe omnino non orare. Supereſt ergo, ut quoniam preces Deo acceptas vident, pro aliis fundant. Et hæc quidem argumento eſſe poſſunt, Sanctis, qui in Cælis degunt, voluntatem pro nobis orandi majorem eſſe, quam iis, qui adhuc in hac vita verſantur.

VI. Quod vero efficaciores apud Deum eorum preces ſint, hæc comprobant. Citra dubium eſt, tanto fere acceptiores Deo, ideoque efficaciores eſſe preces, quanto excellentior eſt is, qui porrigit. Hinc ſi legimus: *peccatores Deus non audit*, (n) legimus quoque: *Sed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*. Rurſus etiam hæc legimus: *Orationes juſtorum exaudiet*. (o) &: *multum valet de-*

pre-

(k) In homilia panegyrica de Sanctis Bernice, & Proſdoce fere in fine Orationis.

(l) Nunc ſexti ex iis, qui de natali S. Stephani inſcripti in appendicem rejecti ſunt, & in ſerie eorum 215. eſt, n. 5.

(m) in oratione de Sancto Meletio in fine ipſo orationis, incerto, ſed probato interprete.

(n) Joan. 9. 31.

(o) Prov. 15. 29.

precatio juſti aſſidua: (*p*) Quia ſcilicet Deo juſtus acceptus eſt, & illi, ut ita loquamur, amicus & familiaris. Quis porro in terris degens cum aliquo eorum comparare ſe audeat, qui *Deum facie ad faciem* intuentes illum ardentiſſime amant? Cum eo, qui in Cælis *poteſtatem* habet *ſuper gentes*, *& regit eas in virga ferrea?* (*q*) *Qui ſedet in throno*, (*r*) *Angelos quoque, non homines tantum judicaturus?* (*s*) Majorem profecto cum Deo familiaritatem, ut ita appellemus, & amicitiam commemorarunt nonnulli S. Patres, atque in primis Chryſoſtomus (*t*) hæc locutus. *Quando igitur tanta illæ virtute pollent, tantaque apud eum* (Deum) *amicitia &c.* Neque ab eo ſenſu abeſſe videtur Gregorius Nazianzenus, (*u*) quippe qui primo ait, ,, non minus (ab Gregorio Saſimorum, dum viveret, Epiſcopo, & Patre ſuo) paſci gregem ,, ſuum, tam et ſi in Cælos translatus ſit; quàm cum in ,, terris verſaretur: tum hęc adjungit ,, Immo magis nunc ,, proficit precibus, quàm antea doctrina, quippe qui ex- ,, ſolutus corporeis vinculis, & hac mole mentem obum- ,, brante liberatus, propius Deo jungitur, ac nudus pri- ,, mam illam, puriſſimamque mentem nudam alloquitur, ,, Angelorum conſecutus (ſi ita loqui liceat) libertatem.

Et in Oratione 24. de S. Athanaſio loquens ,, Res ,, noſtras e cælo proſpicere, (ait) ac manum porrigere ,, iis, qui virtutis cauſa laborant, tantoque id magis fa- ,, cere, quanto magis corporeis expeditus eſt vinculis. Et in hanc quidem ſententiam Theodorus Studita eloquitur, cum in lib. 2. Epiſtolarum, Epiſt. 133. quam mittit Euphroſinæ Præpoſitæ, hæc illi ſcribit. ,, *Præter quam quod ſpiritualiter tunc etiam adeſt, & ſua tibi ſtudia impendit: quodque majus eſt, Deo propior facta, pro te, tuiſque deprecatur*. Novimus quoque, preces noſtras infirmas reddi, & eventus expertes, quia vel neſcimus, *quid petamus*, vel modum, quo petamus. Porro hæc abſunt maxime ab iis, qui in Cælis degunt. Vident enim, & quid petendum ſit, & modum etiam vident, quo porrigi Deo preces debeant, modumque illum adhibent, ut efficaciores reddant. Efficaciores itaque eorum preces erunt, quàm ſint preces degentium in terris. Utitur hoc ſane argumento Origenes, dum ad Martyrium exhortans Ambroſium amicum ſuum, timorem, quo ille detinebatur, ne Martyrio functus paterno ſubſidio, atque ope deſtitutos relinqueret filios, his verbis abigit, (*x*) *Fortaſſe facient, plus a te poſt ejus modi diſceſſum adjuti, quàm ſi cum illis remanſiſſes. Scies enim tunc melius*,

quo

(*p*) Jaco. 5. 16.

(*q*) Apocal. 2. 27.
(*r*) Apocal. 3. 21.
(*s*) 1 Cor. 6. 3.

(*t*) n. 7. homiliæ de Sanctis Bernice, & Proſdoce.
(*u*) in Oratione funebri Patris ſui Saſimorum Epiſcopi.

(*x*) Tom. 1. in Exhort. ad Martyrium num. 38. pag. 299.

CAP. XX.

Expenditur Argumentum alterum, illud nempe, quod Sanctorum communio nobis præbet.

I. Aliam etiam, ut jam dixi, probationem ſane non levem ad Sanctorum interceſſionem comprobandam ſubminiſtrat Symbolum Apoſtolicum, dum communionem Sanctorum nos edocet. Quippe communio Sanctorum importare videtur participationem adjumenti, quod nobis ſuis precibus, atque impetratione prębeant Sancti. Una nempe Eccleſia eſt, & duæ veluti illius portiones, cæleſtis, & terreſtris; quod palam conſtat tum ex eo, quod eſt unum utriuſque caput, id atteſtante Apoſtolo Paulo, (a) tum etiam ex eo, quod nos quoque ad Cæleſtem dicimur pertinere Hebr. 12. verſ. 22. *Acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jeruſalem Cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Cælis, & Judicem omnium Deum*. Id quoque non obſcure indicat idem Paulus in Epiſtola ad Epheſios 2. verſ. 19. ubi nos eſſe dicit *Cives Sanctorum, & Domeſticos Dei*: Matrem quoque noſtram in Epiſtola ad Galat. cap. 4. verſ. 26. vocat *Jeruſalem, quæ ſurſum eſt, & libera eſt*; tum denique quia ex antiquiſſima conſuetudine, cujus meminit Auguſtinus, Sanctos in Sacrificiis commemoramus, quaſi concives noſtros, atque unum corpus Eccleſiæ nobiſcum conſtantes. Ea conſule, quæ tradit Auguſtinus lib. 20. de Civitate cap. 9. n. 2.

(a) in Epiſt. ad Coloſſ. cap. 1. v. 16. 17. 18. 19. & 20. & Epheſ. 4. v. 15. & 16.

II. At ſi una Eccleſia eſt, communicatio inter illius membra extet oportebit; ſecus unum corpus ſub uno capite minime foret, ſed plura corpora; Erit ergo hujuſmodi communicatio: communicationem quippe membrorum expoſcit ipſa conditio corporis, quod conſtituunt; neque id obſcure docet Apoſtolus Paulus, dum Roma. 12. verſ. 5. *Multi* (inquit) *unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra*. At quænam extabit communicatio cæleſtem inter, & terreſtrem Jeruſalem, ſi eam excludas, qua terreſtris cæleſti precibus, cæleſtis vero terreſtri jungitur patrocinio? Hæc ergo aſſeretur, ne communionem Sanctorum, quam Apoſtolicum Symbolum edocet, temere diſſolvamus. Neque vero hæc recentiorum

tantum Theologorum argumentatio eſt, & nuper in ſcholas inducta opinio, ſed antiquiſſimorum, eorumque ipſorum, quos Proteſtantes ipſi viros doctiſſimos, atque optimos merito appellant, eſſe videtur: ſic quippe communionem nos inter, & Sanctos in Cælis degentes explicant, ut ipſi nobiſcum ſuffragiis atque ope, nos cultu, & obſequio cum iis communicemus.

En Bernardum num. 11. Sermonis 5. in feſto omnium Sanctorum hæc diſſerentem: „ Nos quoque, ſi non ſumus „ ipſius capitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam ſolemnibus hodie votis, & tanto gratulamur affectu? Ceterum qui dixit: *ſi glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra:* hoc quoque nihilominus ait: „ *quod ſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Hæc igitur noſtra, & eorum cohærentia eſt, ut nos „ congratulemur eis, ipſi compatiantur nobis: Nos devota meditatione regnemus in eis, ipſi in nobis, & „ pro nobis militent pia interventione. Nec eſt, quod de eorum pia erga nos ſollicitudine dubitemus, quandoquidem non conſummandi ſine nobis, ſicut ſupra meminimus, expectant nos uſque dum retribuatur nobis: ut „ videlicet in noviſſimo die magno feſtivitatis omnia ſimul in virum perfectum cum ſuo tam excelſo capite „ membra concurrant, & laudetur cum hæreditate ſua „ Jeſus Chriſtus Dominus noſter &c.

(b) in Enchir. cap. 56. alias n. 15.

Id vero dum tradit Bernardus, Auguſtinum imitatur hæc elocutum. „ Hæc (Eccleſia) in Sanctis Angelis beata perſiſtit, & ſuæ parti peregrinanti, ſicut oportet, opitulatur, quia utraque una erit conſortio æternitatis, & nunc una eſt vinculo caritatis, quæ tota inſtituta eſt ad unum colendum Deum.

III. Porro communionem Sanctorum, quam ſemper Chriſtiani tenuerunt, hoc modo vel antiquitus acceptam fuiſſe, illud quoque monet, quod inter Miſſarum Sacrificia, Sanctorum etiam ab antiquiſſimis facta fuerit commemoratio. *Communicantes* (en verba Miſſalis Romani, quæ extant quoque in libro Sacramentorum Gregorii Magni, & in libro III. Miſſalis Gelaſii editi ab optimo Cardinale Thomaſio pag. 196. & niſi ego fallor, multo antiquiora Gelaſio, & Gregorio ea ſunt) *Communicantes*, inquam, *& memoriam venerantes in primis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti; ſed & Beatorum Apoſtolorum, & Martyrum tuorum Petri, & Pauli, Andreæ,* Ja-

Jacobi, *Joannis*, *Thomæ* . . . . . . *& omnium Sanctorum tuorum*, *quorum meritis*, *precibuſque concedas*, *ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio &c.* Tanto vero animoſius id cenſeo, quanto certius id eſt, & jam dudum palam ab Auguſtino indicatum. Quippe lib. 20. de Civitate cap. 9. num. 2. hæc eloquitur: „ Neque enim „ piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ „ etiam nunc eſt regnum Chriſti: alioquin nec ad Altare „ Dei fieret eorum memoria in communicatione Corpo„ ris Chriſti. Indubitatum eſt quoque, liturgias omnes Sanctorum preces aut expoſcere, aut certe teſtificari, indicareque. Et ſane quod omnes liturgiæ ea in re conveniant, præter teſtimonium Hugonis Menardi, (c) res ipſa comprobat. An non liturgia, quæ tribuitur Jacobo Apoſtolo, memoriam fieri Virginis Mariæ, & Sanctorum ait, *ut precibus & interceſſionibus ipſorum miſericordiam conſequamur?* Eadem proponit liturgia S. Joannis Chryſoſtomi; Cathecheſis 5. myſtagogica Cyrilli num. 9. (13) & reliquæ omnes. Quid quod id innuit Auguſtinus in Sermone olim 107. *de diverſis* (d) & n. 1. tractatus 84. in Joannem, e quorum poſtremo hæc profero? „ Sicut enim ait etiam Apo„ ſtolus Petrus, Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens „ nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Hoc eſt „ talia præparare. Hoc beati Martyres ardenti dilectione „ fecerunt: quorum ſi non inaniter memorias celebra„ mus, atque in convivio, quo & ipſi ſaturati ſunt, ad „ menſam Domini accedimus, oportet, ut quemadmo„ dum ipſi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad „ ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quemad„ modum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis „ oremus, ſed magis, ut ipſi pro nobis, ut eorum veſti„ giis adhæreamus: quia impleverunt ipſi caritatem, qua „ Dominus dixit non poſſe eſſe majorem. Talia enim ſuis „ fratribus exhibuerunt, qualia de Domini menſa pariter „ acceperunt. Videas etiam opto, quæ tradit Petavius lib. 14. de Incar. cap. 10. n. 20.

(c) in annotationibus in librum Sagramentorum Gregorii Magni.

(d) nunc in ſerie 297. cap. 2. alias n. 3.

IV. Novi equidem, (ne quid omittam) monuiſſe

S 2 non-

---

(13) Expreſſiſſima (quidquid Rivetus adverſus hæc dicat, qua de re videas opto adnotationem egregii viri Antonii Auguſtini Toutèe in locum hunc pag. 328. edit. pariſ. 1720.) ſunt in rem noſtram, aptiſſimaque ut referantur Cyrilli verba.

nonnullos, ea, quæ ex veteribus liturgiis deſumuntur, haud multi eſſe æſtimanda, quippe Sanctis, ſub quorum nomine prodiere, ſuppoſitæ ſunt eædem liturgiæ, uti viri cordati inter Catholicos ipſos fatentur: quod etiam dici vellent de catecheſibus S. Cyrilli. Nempe iis ajunt temere ejuſdem S. Doctoris præfigi nomen. At novi etiam leviſſima hæc eſſe. Fateor, ſi vis, eas liturgias, quibus Apoſtolorum nomen præpoſitum eſt, non ab Apoſtolis eſſe compoſitas, ſed vel earum eſſe Eccleſiarum, quas ii rexere; vel ab aliis præpoſito eorum nomine fuiſſe compoſitas; indubitatum eſt tamen, antiquas eas eſſe, nec modicam fortaſſe habere auctoritatem. Quod ad liturgias D. Chryſoſtomi, Baſilii, & reliquas hujus generis attinet, eæ non levi ex parte putantur eſſe ab Doctoribus illis exaratæ, quorum præferunt nomen: & eas ſane ob cauſas, quas Proteſtantes adducunt, doctoribus illis demi omni ex parte non poſſunt: veluti quod auctorum ſuorum nomina inter Sanctorum nomina recenſeantur: quod plures Chryſoſtomo tribuantur, ſecum invicem minime convenientes: quod in iis purgatorius ignis, & id genus alia Catholica dogmata commemorentur. Quis non videat, ut a primo exordiar, horum Sanctorum nomina, ubi Sanctorum fit mentio, deinceps fuiſſe addita? indubitatum eſt quoque aut mutationem aliquam, additionem, & ſi vis, imminutionem irrepſiſſe in liturgiam unam Chryſoſtomi, aut plures ab eodem Chryſoſtomo fuiſſe compoſitas. Nimirum ut multorum ingenio ſeſe accommodaret, non unam, ſed plures fortaſſe compoſuit, ceteroqui in re convenientes, tam & ſi non nihil in levibus quibuſdam diſſimiles. Porro omnes commemorationem Sanctorum complectuntur. Quid quod oſtenderunt jampridem Catholici Doctores, eadem dogmata, propter quæ repudiant eas liturgias Proteſtantes, in aliis veterum Patrum, & expreſſiſſime in Baſilii, & Chyſoſtomi libris tradi: adeo ut hanc ob cauſam abjudicari nequeant a Baſilio, & Chryſoſtomo eæ liturgiæ? Sed quod ad quæſtionem hanc attinet, quam hic dirimere non eſt neceſſe, te amando ad ea, quæ eruditiſſimus Monfaucon adnotat (*f*).

Etiam Catecheſes Cyrilli Jeroſolymitani ab eodem illo editæ ſunt, cujus præferunt nomen, inutilemque operam inſumunt Proteſtantes, ut eas Cyrillo demant. Vide quæ hanc in rem ſcripſit poſtremus præclarus editor Operum Cyrilli Jeroſolymitani e Congregatione S. Mau-

(*f*) in monito præpoſito liturg. Chryſoſt. pag. 775. tom. 12. operum Chryſoſtom. ab eodem Monfa. editorum.

Mauri. Sed tam & ſi eæ, quæ Apoſtolorum præferunt nomen, & Chryſoſtomi, & reliquæ antiquiſſimæ liturgiæ ſuppoſitæ eſſent iis auctoribus, quorum nomen in fronte habent, adverſarii procul dubio evitare non poſſent auctoritatem Auguſtini, Gregorii, & reliquas, quas aut adduximus, aut indicavimus ex Petavio. Nonne ex his clare novimus, in Sacrificio memoriam agi Sanctorum, & propterea memoriam agi, ut ab eorum interceſſionibus adjuvemur, aut certe quia eorum interceſſionibus nos adjuvari confidimus?

CAP. XXI.

Proponitur, refelliturque generalis quædam ſolutio, quam omnibus Patrum teſtimoniis adhibent. Minime erraſſe eos, quos allegavimus Patres, quos quidem ex tribus prioribus ſæculis proferre neceſſe non eſt, cum ii ſummam etiam habeant auctoritatem, qui poſt vixerunt, pietate, & eruditione clariſſimi.

I. COgitanti mihi, pauloque accurratius inquirenti, quam ob rem adverſarii Catholicis dogmatis tam vehementer obſiſtant, nulla melior occurrit ratio ea, quam vir præſtantiſſimus nuper attulit: Confidere ſcilicet eoſdem adverſarios generalibus quibuſdam ſolutionibus, quibus quidem (ſi eæ ingenioſe adhibeantur) evitare ſe poſſe confidunt, quæcunque adverſus eos Patrum loca producuntur. Has ſi perquiras, tres potiſſimum eſſe comperies. Harum prima edocet, non tantas in Patrum auctoritate vires collocandas eſſe, quantas collocant Pontificii: quippe homines ſunt, quique in aliis interdum non levibus controverſiis erraront. Eos autem, quos produximus, ſimillimum veri eſt erraſſe: quippe plurimum diſtant a puriſſimis illis exordiis, quæ Eccleſia ſortita eſt, quæ quanto magis ab iis diſtat, tanto minus incorrupta eſt & moribus, & dogmatis. Citandi tantum modo erant primi, & ſecundi, aut ſi vis, tertii ſæculi Patres, & ex eorum dictis noſtra dogmata confirmanda; ſi qui adduntur, temere adduntur. Altera ſolutio in eo ſita eſt, quod Patres vel in hac diſceptatione ſecum metipſi concordes, convenienteſque non ſunt; dum pro Pontificiis ſtant, aut potius ſtare videntur nonnulli: contra pro Proteſtantibus

ſtant

ſtant multo plures, aut ii certe, qui neque dignitate, neque doctrina quidquam illis concedunt, quos Pontificii in ſuas partes deducunt. Vel ea omnino non docent, quæ Catholici prædicamus: fere enim aſſuta, & ſuppoſita Patrum libris ſunt ea verba, quæ a Pontificiis citantur. En in ſumma duæ illæ grandes ſolutiones, quibus univerſis teſtimoniis, quæ a nobis citantur, ſe ſe occurrere ajunt. Tertia porro ſolutione occurrunt iis Patrum teſtimoniis, quæ ex orationibus, atque homiliis deſumpta ſunt. Enim vero (inquiunt) ſi Patrum mentem aſſequi re vera volumus, aliiſque exponere, non orationes, atque homiliæ conſulendæ ſunt nobis, neque ex iis proferenda teſtimonia; quippe eæ ex tempore, ideoque etiam inconſiderate compoſitæ, & pronunciatæ ſunt: proindeque minus aptæ ad obtinendam fidem. Eæ vero, quæ diligentius lucubratæ ſunt, veluti Panegyricæ, & in Martyrum feſtis dictæ, cum Rhetorum more conſcriptæ ſint, ideoque tropis, atque in primis hyperbole ſint refertiſſimæ, auditorem, ſi vis, movere poterunt ad admirationem, & plauſus, ſed Theologum cuncta diligenter, accurateque expendentem, dictorumque rationem expoſcentem, minime aſſentientem habebunt. Dum itaque tractatus dogmatici non proferuntur, in quibus propriis verbis, non translatis utuntur, neque per exceſſum loquuntur Patres, reprehendi ii non poterunt, qui ab Pontificiis Patrum loca adducentibus, & commendantibus ſe moveri non ſinunt, nec in eorum adduci ſententiam. Porro pleraque teſtimonia, quæ hiſce in controverſiis allegari ſolent, ex Patrum orationibus & homiliis deprompta ſunt. Contemnenda itaque.

II. Acute id quidem, & ingenioſe, adeo ut mirer ſolertiam, & ſubtilitatem eorum, qui tanto cum ſtudio probationes noſtras infirmare nituntur. Sed non continuo eaſdem probationes imbecillas eſſe fateor, aut contemnendas. Ut autem quod primum propoſuerunt, id primum repellam, haud invitus fateor, Patres, quos produximus, homines eſſe, & errori alicui, ſi unumquemque ſeorſim a reliquorum conſenſione ſumas, obnoxios: At non conſentio (donec id adverſarii probent, quod omnino non fiet) in re præſenti erraſſe, aut propterea ſimile veri eſſe, erraſſe illos, quod ab Eccleſiæ exordiis paulo longius diſtant. Quamquam cui tandem perſuadebunt, eos tantum a nobis proferri Patres, qui quarto, aut ſubſequente ali-

quo Eccleſiæ ſæculo vixerint? An non produxi Teſtamenti veteris teſtimonia? an non & novi? An non multa etiam monumenta a tribus primis Eccleſiæ ſæculis, auctoritateſque repetii? Quonam autem probabunt modo, tanto facilius nos in errorem incurrere, quanto longius ab Eccleſiæ exordiis abſumus? At ea nos jam protulimus, quibus palam oſtenderetur, Eccleſiam Chriſti promiſſionibus obnixam, deficere nullo modo poſſe, neque ab annis, & longa ætate quidquam pertimeſcere. Lectorem ergo ad eum locum allegamus. Hinc minime opus erat, ut primorum trium ſæculorum tantum modo teſtimonia proferrem, quando ratione, & auctoritate certo conſtat, ad fidem faciendam plurimas habere vires eorum, quos produximus, teſtimonia. Et ſane quæ alibi de promiſſione Chriſti diximus: Eccleſiæ nempe nunquam defuturam præſentiam ejus, atque præſidium, quæque fuſe peculiari tractatu explicavi, confirmavique, omnino comprobant, fidem expoſcere laudatos etiam, & mox laudandos Patres: ſiquidem Eccleſiæ univerſæ ſenſa exprimunt: nam aliqui eorum in Oriente, eorum alii in Occidente Epiſcopi erant, Doctoreſque celebratiſſimi. Sed præter hæc, alia adſunt etiam, propter quæ fidem omnino expoſcant. Primum eſt conſenſio in eandem perſuaſionem, cui nemo reſtitit, niſi aut Eunomius, aut Vigilantius aliquis. Porro niſi antiquitus tradita fuiſſent eadem documenta, alii obſtitiſſent Patres, & certe populi, non ubique, nec ſemper indocti, ſe ſe illudi non permiſiſſent ab eorum monitis. Tamen nemo obſtitit, immo argumenta manifeſta habemus, quibus certiores efficiamur, quarto ſæculo totum Orbem in eandem conſpiraſſe ſententiam. D. Auguſtinus tum alibi crebro, tum certe in ſermone olim 4. inter editos ex Mſſ. Majoris Cartuſiæ (*a*) ita loquitur, ut Eccleſiæ dogma videatur exprimere: & id certe exprimit Hieronymus in libro contra Vigilantium: eum quippe potiſſimum refellit producta in medium communi Eccleſiæ ſententia, & conſuetudine. *Ergo ſacrilegi ſumus* (inquit n. 5.) .... *Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi ....? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis, & tanta lætitia quaſi præſentem, viventemque Samuelem cernerent, ſuſceperunt?* Et deinceps num. 9. *Male ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino Sacrificia .... & non ſolum*

(*a*) nunc in ſerie 285. n. 5.

lum unius Urbis, ſed totius Orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas mortuorum.

III. Alterum argumentum ſubminiſtrant circumſtantiæ, ut ita loquamur, temporum illorum. Etenim certa res eſt, Doctores, qui ſæculum quartum anteceſſerunt, obſcurius fuiſſe locutos, tum ne exponerent contemptui altiſſima fidei noſtræ myſteria, & dogmata ſanctiſſima; tum ut hac etiam arte allicerent ad Baptiſmum infideles, & Cathecumenos: Fidelibus quippe ſuſcepto Baptiſmate clarius, apertiuſque tradebantur & fidei noſtræ myſteria, & dogmata ſanctiſſima; quæ nondum initiatis aut nullo modo, aut certe multo obſcurius tradebantur. Id didici tum ex aliis, tum apertiſſime ex Baſilio hæc elocuto. (b) „ Qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres, & in occulto, atque in ſilentio myſteriis ſuam ſervavere dignitatem: neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, & vulgares aures effertur. Hęc eſt ratio, cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum. Aliud autem eſt dogma, aliud prædicatio; nam dogmata ſilentur, prædicationes vero publicantur.

(b) in libro de Spiritu Sancto cap. 27. n. 66.

IV. Iis quoque temporibus Patres a nobis allati, & mox afferendi vixere, quibus multæ jam hæreſes ab hæreſibus trium priorum ſæculorum differentes ortæ erant. Porro novimus hæreſeon occaſione diligentius, clariuſque fuiſſe expoſita dogmata noſtra. (c) „ Etenim ex Hæreticis „ (*inquit Auguſtinus*) aſſerta eſt Catholica, & ex his, „ qui male ſentiunt, probati ſunt, qui bene ſentiunt. Multa enim latebant in Scripturis; & cum præciſi eſſent hæretici, quæſtionibus agitaverunt Eccleſiam Dei . . . . Ergo multi qui optime poſſent Scripturas dignoſcere, & pertractare, latebant in populo Dei; nec aſſerebant ſolutionem quæſtionum difficilium, cum calumniator nullus inſtaret. Nunquid enim perfecte de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Ariani? Numquid perfecte de Pœnitentia tractatum eſt, antequam obſiſterent Novatiani? ſic non perfecte de Baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti rebaptizatores; nec de ipſa unitate Chriſti enucleate dicta erant, quæ dicta ſunt, niſi poſtea quam ſeparatio illa urgere cœpit fratres infirmos, ut jam illi, qui noverant hæc tra-

(c) in Pſalm. 54. n. 22.

„ cta-

,, ſtare, atque diſſolvere, ne perirent infirmi ſollicitati
,, quæſtionibus impiorum, ſermonibus, & diſputationi-
,, bus ſuis obſcura legis in publicum deducerent. Ergo
,, illi diviſi ſunt præ ira vultus ejus, & nobis ad intelli-
,, gendum appropinquavit cor ejus. *Et mox, ſeu n. 23.*
,, Quædam enim in Scripturis dura videbantur, cum ob-
,, ſcura eſſent; expoſita mollita ſunt.

V. Tertium argumentum ſubminiſtratur a Doctrina, & Sapientia Patrum illorum, qui Eccleſiam quarto, & quinto ſæculo ſuis Scriptis, & Sermonibus illuſtraverunt. Indubitata quippe res eſt, non minus pietate, quàm eruditione eos claruiſſe, & Chriſtianam Religionem decoraſſe. Nam ut de religione, & ſanctimonia nihil dicam, quæ in illis fuit ſumma, ecquando tales alios Eccleſia habuit, ſi ingenium, doctrinamque ſpectemus? Quem enim Athanaſio, Baſilio, Hieronymo, Auguſtino, & reliquis tum viventibus viris celebratiſſimis comparemus, quorum opera ſuperſtitio Idolorum deleta eſt, & antiqui ritus ſublati, perperam obſiſtentibus Philoſophis non paucis, quibus cordi erat, ut in antiqua religione Græci, Romanique perſiſterent? Credibile ne ergo eſt, aut non agnoviſſe, aut ſi agnoverunt, delere contempſiſſe ſuperſtitionem, quam in Pontificiorum perſuaſionibus, & conſuetudinibus ſe adinvenire arbitrantur Proteſtantes, quum tamen indubitate noverimus, hanc fuiſſe conſtantem in Eccleſia conſuetudinem, ut prave ſentientes ad eos deferrent, quorum intererat errores reprimere, atque improbos condemnare? Qua de re, ut unum pro multis inducam; id comprobo ſacramento illo, quod edidit Bonifacius Germanorum Apoſtolus, (*d*) cum Romæ Epiſcopus ordinaretur, & manu ſua ſcriptum obtulit: cujus quidem ſacramenti formam, aut illi affinem aliquam, & ſimillimam probatiſſima virorum doctorum ſententia eſt, omnibus, præſertim ſi Romæ ordinarentur, Epiſcopis fuiſſe indictam.,, Sed, ut dixi, promitto fidem, &
,, puritatem meam, atque concurſum tibi, & utilitatibus
,, Eccleſiæ tuæ, cui a Domino Deo poteſtas ligandi, atque
,, ſolvendi data eſt, & prædicto Vicario tuo, atque ſuc-
,, ceſſoribus ejus per omnia exhibere. Sed & ſi cognove-
,, ro, antiſtites contra inſtituta antiqua Sanctorum Patrum
,, converſari, cum eis nullam habere communionem aut
,, conjunctionem, ſed magis, ſi valuero prohibere, pro-
,, hibebo: ſin minus, fideliter ſtatim Domno meo Apo-
,, ſtolico renunciabo. Quod ſi, quod abſit, contra hujus

[*d*] Tom. 8. Conc. pag. 168.

,, promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ,, ſeu ingenio, vel occaſione tentavero, reus inveniar in ,, æterno judicio; ultionem Ananiæ, & Sapphiræ incur- ,, ram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem face- ,, re, vel falſum dicere præſumpſerunt. Hunc autem In- ,, diculum ſacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus ,, manu propria ſcripſi, atque ponens ſupra ſacratiſſimum ,, corpus beati Petri, ita ut præſcriptum eſt, Deo te- ,, ſte, & judice præſtiti Sacramentum, quod & ſervare ,, promitto.

CAP. XXII.

Auctoritate, & exemplis ea, quæ ſuperiori Capite diximus, comprobamus.

I. At veniamus ad auctoritatem, & exempla præclariſſima. Ab his porro edoceor, non eſſe neceſſe primorum ſæculorum Patres proferre, ut fidem dogmatis Eccleſiaſticis conciliemus. Auguſtinus in libro *de bono*, ſeu potius *de dono perſeverantiæ*, Gratiæ hoſtes Patrum teſtimoniis repulſurus, tres, & non plures affert, Cyprianum, Ambroſium, & Gregorium Nazianzenum: quorum primus tantum tertii ſæculi eſt. Hos tamen ad refellendos Pelagianos ſatis eſſe putavit: immo duos tantum priores ſufficere dixit: tertium vero addidit, ne viderentur ſibi deeſſe Patres, quos produceret. En verba ipſa Auguſtini: (a) ,, Puto tamen eis, qui de hac re ſententias ,, tractatorum requirunt, ſanctos, & in fide, atque doctrina Chriſtiana laudabiliter uſquequaque diffamatos ,, viros, Cyprianum, & Ambroſium, quorum tam clara ,, teſtimonia poſuimus, debere ſufficere, & debere ad ,, utrumque, ideſt, ut & gratiam Dei gratuitam, ſicut ,, credenda, atque prædicanda eſt, per omnia credant, ,, & per omnia prædicent, & eamdem prædicationem ,, prædicationi, qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur adverſam: quia & iſti viri, cum ſic ,, prædicarent Dei gratiam, ut unus eorum diceret &c: *Et mox* (b) ,, Sed his duobus, qui ſufficere debuerunt, ,, Sanctum Gregorium addamus, & tertium, qui & credere in Deum, & quod credimus, confiteri, Dei donum eſſe teſtatur. Alibi etiam idem Auguſtinus Pelagianos iterum repulſurus, duos tantum ex tribus priori-

bus

(a) Cap. 19. alias n. 48. allegati libri *de dono perſeverantiæ*.

(b) n. 49.

bus ſæculis recitat, nempe Irenæum ex II, Cyprianum ex III, reliquos ex quarto ſæculo Patres adducit: nempe Reticium Auguſtodunenſem, Olympum Hiſpanum, Hilarium, Ambroſium, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, Joannem Chryſoſtomum, & qui nuper obierat, Hieronymum.

II. Eundem morem ſervavere alii Patres, iique doctiſſimi. Theodoretus tribus Dialogis Apollinaris hæreſim impugnaturus, duarumque naturarum in Chriſto permanentium veritatem, ac diſcrimen oſtenſurus, pauciſſimos e prioribus ſæculis, plurimos ex quarto, & quinto profert. E ſecundo ſcilicet ſæculo duos laudat, Ignatium, & Iræneum, e tertio Hyppolitum, & Methodium: reliquos, ut dixi, ex quarto, & quinto: Euſthatium, Athanaſium, Baſilium, ambos Gregorios, Niſſenum, & Nazianzenum, Flavianum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Amphilochium, Damaſum, Ambroſium, Hilarium, Auguſtinum, Severianum, Apollinarium, Antiochum, Chryſoſtomum, Euſebium Emiſſenum, Atticum, Gelaſium, Cyrillum Alexandrinum, quo cum graves, & diuturnas ſimultates exercuerat, & Theophilum.

III. Gelaſius quoque, ſive Romanus ille ſit Pontifex, ſive alius quiſpiam *de duabus Chriſti naturis* diſſerens, veterumque Patrum teſtimoniis dicta ſua comprobaturus, Ignatium tantum, & Hyppolitum ex prioribus tribus ſæculis affert: ceteros ex quarto, & quinto. Id quoque peragit Joannes II. in Epiſtola ejuſdem argumenti; nam e Patribus priorum ſæculorum unum Cyprianum citat, reliquos quarti, & quinti.

IV. Quam conſuetudinem ſecutus eſt S. Leo Papa. (*c*) Eutychianos nimirum Patrum teſtimoniis condemnaturus, hos tantum affert: Hilarium Pictavienſem, Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum, Ambroſium Mediolanenſem, Auguſtinum Hipponenſem, ſub cujus etiam nomine profertur teſtimonium deſumptum ex libello Leporii ſub titulo libri *Aſſertionis Fidei* (propterea, ut arbitror, quia eum libellum approbavit Auguſtinus) Joannem Chryſoſtomum, Theophilum Alexandrinum, Gregorium Nazianzenum, Baſilium Cappadocem, Cyrillum Alexandrinum.

(*c*) in Epiſt. olim 97. in edit. Queſnelii 134. miſſaque eſt Leoni Auguſto.

V. Quin ſi fides adhibenda eſt Codicibus non paucis, in quibus deſcripta extant Acta Concilii Calchedonenſis, Patres ejuſdem Concilii, ubi Eutychetem ex Patrum teſtimoniis refellere voluerunt, hos tantum adduxere, Hila-

rium, Gregorium Nazianzenum, Ambroſium, Joannem Chryſoſtomum, Auguſtinum, cui hic quoque tribuitur libellus Leporii, quem nuper commemoravimus, Cyrillum Alexandrinum, & Leonem Papam adhuc viventem, ſed qui tamen dicta ſua ex Patribus nuper citatis comprobarat. Tamen horum tantum teſtimoniis recitatis (*d*) „ Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Hæc Patrum Fides, „ hæc Apoſtolorum Fides; omnes ita credimus, Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt. Apoſtoli ita docuerunt. Pie, & vere Leo docuit, Cyrillus ita docuit. „ Cyrilli æterna memoria. Leo, & Cyrillus ſimiliter docuerunt. Anathema ei, qui ſic non credit. Hæc vera „ Fides . . . . Hæc in Epheſo cur lecta non ſunt? Hæc „ Dioſcorus occultavit. Et mox recitatis aliis Cyrilli teſtimoniis hæc leguntur. „ Magnificentiſſimi Judices, & „ ampliſſimus Senatus dixerunt: Poſt hæc omnia, adhuc „ quis dubitat? Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: „ Nemo dubitat. Poterant tamen ii Patres Clementem Romanum, Ignatium Martyrem, alioſque a Clementis, & Ignatii ætate non multum remotos, veluti Juſtinum, Clementem Alexandrinum, Hyppolitum Martyrem, atque Origenem dictorum vades adducere, uti eos adducunt recentiores Theologi, atque in primis Petavius (*e*).

(*d*) Vide pa. 1235. tomi 4.

(*e*) cap. 6. lib. 3. *de Incarnatione*.

VI. Similiter quinta Synodus Patrum teſtimonia enumerare aggreſſa, pauciſſimos ex veteribus, reliquos ex recentioribus profert: Id etiam præſtat Juſtinianus Imperator contra Origenis falſa dogmata diſſerens, & in defenſione damnationis trium capitulorum.

VII. Sexta quoque Synodus Monothelitarum hæreſim Patrum auctoritate repulſura, actione octava, & decima Athanaſium profert, Ambroſium, Auguſtinum, Joannem Chryſoſtomum, Leonem Papam, Gregorium Niſſenum, Juſtinum Imperatorem, Cyrillum, Epiphanium, Ephremum Antiochenum, Anaſtaſium, Joannem Scythopolitanum. Ex priorum vero trium ſæculorum Patribus Juſtinum tantum profert, & Dionyſium Epiſcopum Athenienſem, & Martyrem. At dum primo *expoſitionem* fidei tribuit, Dionyſio vero *divinorum nominum* librum, quænam volumina citent, novere omnes, qui in veterum Scriptorum libris verſati ſunt. Patres hos præire viſus eſt Agatho Papa, dum in Epiſtola, quæ actione 4. lecta eſt, non ad-

admodum antiquos, ſed doctiſſimos tamen, & ſanctiſſimos Epiſcopos citat, Auguſtinum, Gregorium Theologum, Niſſenum, Joannem Chryſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum, cui jungit Juſtinianum Imperatorem.

VIII. Hæc ſane agnoviſſe viſi ſunt ex adverſariis noſtris ii, neque numero pauci, neque eruditione contemnendi, qui corruptionem Eccleſiæ ad tempora Gregorii Magni, vel etiam Sabiniani, aut paulo ſuperiora diſtulerunt. Scilicet qui vixere ante eam ætatem, ipſorum etiam judicio, afferri poterunt ad faciendam fidem, utpote qui eo vixere tempore, quo nondum corruptam putant Eccleſiam; tantoque animoſius, & laudabilius afferri poterunt, quanto manifeſtius conſtat de illorum doctrina, & probitate, ut & errores facile agnoverint, & per ſummam diligentiam effugerint.

IX. Pulchre id perſpexit, ut ceteros miſſos faciam, Beza, homo inter Calvinianos magni nominis, in ea Epiſtola, quam ſcripſit nomine Genevenſium Paſtorum, ac Profeſſorum (*f*) *De Unitate eſſentiæ Divinæ, & tribus in ea ſubſiſtentibus perſonis adverſus Arianos ὁμωνυμως, ad Nicolaum Razvvilum Magni Ducatus Lituaniæ ſupremum Mareſcalcum*. Scilicet poſtquam eorum errorem Nicæni Concilii, Hilarii, Tertulliani, Athanaſii auctoritate repulit, univerſim ad Patres, eos provocat, ſic locutus. „ Age „ igitur, probent aperte ſuum dogma, quod ex Philo„ pono, Severo, Damiano, & ceteris infelicis memoriȩ „ monſtris hauſerunt, idque ſi poſſunt, vel rationibus, „ vel ex Scripturis, vel Patrum, veteriſque Eccleſiȩ con„ ſenſu confirment. Nos viciſſim eandem conditionem ac„ cipimus: & niſi tam manifeſte ipſorum blaſphemiam „ patefecerimus, quam clarus eſt meridies, tum demum, „ Illuſtriſſime Princeps, pro Pſeudoprophetis haberi, ac „ traduci minime recuſamus. Quid quod in eadem Epiſtola illud etiam non contemnendum occurrit, quod aperte indicat Beza, unius Auguſtini auctoritate rem univerſam judicari poſſe, quod nempe ea docuerit Auguſtinus, quæ Africanæ docebant Eccleſiȩ; hȩ autem, quæ Eccleſia ſentiebat univerſa? Auguſtinum autem (*inquit*) o„ ptimum, ac doctiſſimum Scriptorem, cur tandem non „ admittunt? Nempe quoniam illis eſt Sophiſta: adeo ut „ Auguſtinianum quemdam Deum per ludibrium jactent. „ Atqui vel unica iſta vox, Illuſtriſſime Princeps, ſic men„ tes piorum omnium vulneravit, ac merito quidem, ut mi-

(*f*) Eam citat Petavius ex li. 14. de Incarnat. cap. 16. n. 7. inter opuſcula Bezæ pag. 646.

„ minime miremur, pios omnes, qui nunc iſtic ſuper-
„ ſunt, ab iſtis non minus, quàm ab ipſo Diabolo refu-
„ gere. Quis enim ſano homini perſuaſerit, aliter docuiſſe
„ Auguſtinum de Trinitate, quàm Africanas Eccleſias,
„ & iſtas rurſus aliter, quàm Catholicus conſenſus fer-
„ ret, ſenſiſſe?

X. Quod ſi adeo, neque immerito, confidit ille Auguſtino, quod non tradiderit S. Doctor diverſa ab iis, quę Africana edocebat Eccleſia: Africana vero Eccleſia ipſiſſima ſenſerit, tradideritque, quę univerſalis Eccleſiæ conſenſio edocebat, cur non fidemus nos non modo Auguſtino, ſed innumeris Patribus, quorum jam teſtimonia aut retulimus, aut referemus, eamque ipſam argumentationem non retorquebimus in Calvinianos, quam ipſi in recentiores Arianos contorſerunt?

C A P. XXIII.

Diſſolvuntur ea, quibus nituntur oſtendere, Patres minime conſtantes fuiſſe in aſſeverando Cælitum erga nos patrocinio, ideoque diſſolvuntur ea, quæ a Sanctorum Patrum auctoritate adverſus nos urgent.

I. QUi Patrum auctoritatem ſe multi facere ajunt, ſed tamen fateri recuſant, præſidium aliquod a Cælitibus nobis præberi, unum illud in primis ſolent præſcribere, conſtantes non fuiſſe Patres in eo dogmate aſſeverando. Vel ſcilicet alibi tradidere, omnino non juvari nos a Cęlitibus, vel ſi qui id perpetuo tradidere, eorum auctoritatem ab eorum dictis imminui, qui eidem præſidio adverſantur. Porro multi hi ſunt (inquiunt), probatiſſimique, quorum teſtimonia ſi quis ad certa capita redigere optet, ad tria facile rediget. Aliqui nimirum monent, opus non eſſe patrono, opus non eſſe ſuffragatore ad Deum. Plura D. Joannis Chryſoſtomi teſtimonia hanc in rem afferunt, atque in primis quędam ex homilia *de profectu Evangelii*. Huc etiam ſpectant monita ſive Ambroſii, ſive alterius, quiſquis is eſt, auctoris Commentariorum in Epiſtolas D. Pauli, olim Ambroſio tributorum. Etenim ad verſiculum 22. capitis primi Epiſtolę ad Romanos hæc ait. „ Nam & ideo (inquit hic Scriptor)
„ ad Regem per Tribunos, aut Comites itur, quia homo
„ uti-

„ utique eſt Rex, & neſcit quibus debeat Rempublicam
„ credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet
„ (omnium enim merita novit) promerendum, ſuffra-
„ gatore non opus eſt, ſed mente devota. Ubicumque,
„ enim talis loquutus fuerit ei, reſpondebit illi.

Alii Patres monent, nos aliorum precibus non adjuvari: alienum patrocinium atque opem nobis non prodeſſe. Atque huc quidem tum Chryſoſtomi, tum aliorum etiam Patrum ſpectant teſtimonia, ſed pre ceteris allegari meretur Hilarius. (a) *Et quia prodire* (inquit ille) *obviam fatuæ extinctis lampadibus non poſſunt; deprecantur eas, quæ prudentes erant, ut oleum mutuentur. Quibus reſponderunt, non poſſe ſe dare, quia non ſit forte, quod omnibus ſatis ſit: alienis ſcilicet operibus, ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi ſuæ emere oleum ſit neceſſe.* Hilario jungatur Hieronymus in hanc quidem ſententiam hæc tradens: (b) „ Obſcure licet docemur per hanc ſententio-
„ lam (*Unuſquiſque onus ſuum portabit*) novum dogma
„ quod latitat, Non Job, non Daniel, nec Noe ro-
„ gare poſſe pro quoquam, ſed unumquemque portare
„ onus ſuum. Alii demum nos hortantur, ut nos ipſi Deum deprecemur, ipſi noſtras preces porrigamus: melius quippe tum, certiuſque aſſequemur id, quod petimus. D. Joannes Chryſoſtomus id ſepiſſime inculcat auditoribus ſuis. Vide iterum homiliam *de profectu Evangelii*, & homiliam primam in Epiſtolam primam ad Teſſalonicenſes. Spectare etiam ad hoc Caput, ſi tu vis, poterit teſtimonium illud, quod ex Ambroſio, ſive alio quoppiam auctore commentariorum in Epiſtolam ad Romanos nuper allegavimus. Quid quod ea, quæ Pontificiis afferuntur, ſi non obſcura ſunt, aſſuta ſunt ſane libris eorum Patrum, quibus adſcribuntur?

(a) in Commentariis in Matth 27. n. 5 Edit. S. Mauri, & Veronenſis; reſpondet autem cap. 25. v. 8. & 9. Vulgatæ.

(b) in Commentariis in cap. VI. epiſtol. ad Galatas ad verba illa verſ. 5. *unuſquiſque enim onus ſuum portabit.*

II. At his, quibus perinde interceſſio, atque invocatio Sanctorum impetitur, ſic occurrite. Si quid virium hæc habent, non modo mortuorum Sanctorum preces, verum etiam viventium his impetuntur. Nam impeti videntur preces omnes, atque interceſſio; & tamen adverſarii noſtri utilitatem precum, quas viventes pro viventibus fundunt, agnoſcunt, & profitentur. At in primi generis teſtimoniis hic non immoror, quod tum cumulatiſſime ſint expendenda, quum de invocatione diſſeremus. Secundi vero generis teſtimonia eo ſpectant, ut oſtendant, nobis jam mortuis interceſſionem nullam prodeſſe poſſe ad eternæ vitæ præmia

pro-

promerenda. Tum enim nullum nobis meritum adjungi poteſt; nihilque ad id valent aliorum preces. Nimirum tum tempus advenit, in quo non poteſt amplius homo operari, nullamque obtinet efficaciam apud ſeverum Judicem aliena interceſſio, atque interventus. Profecto Hilarius in loco objecto hoc tantum vult, non poſſe a Sanctis merita ſua iis applicari, ac veluti diſpertiri, qui ſuis meritis deſtituti moriuntur, neque enim alieno ſubſidio cęlo inferentur. Nempe quiſque pro portione olei lampadis ſuę pręmia recipiet: pęnas vero dabit, qui oleum ſibi dono datum deperdidit, atque abſumpſit. Hæc non unius Hilarii, ſed Catholicorum omnium ſententia eſt. Porro hunc eſſe ſenſum verborum, quæ Hilarius protulit, diſces ex ſubſequentibus Sancti Doctoris verbis. En illa. „ Et quia „ prodire obviam fatuæ extinctis lampadibus non poſſunt; „ deprecantur eas, quæ prudentes erant, ut oleum mu„ tuentur. Quibus reſponderunt, non poſſe ſe dare, quia „ non ſit forte, quod omnibus ſatis ſit: alienis ſcilicet o„ peribus, ac meritis neminem adjuvandum, quia unicui„ que lampadi ſuæ emere oleum ſit neceſſe. Quas hortan„ tur, ut redeant ad emendum: ſi vel ſero præceptis Dei „ obſequendo, cum lampadum luce, ſponſi dignę effi„ ciantur occurſu. Quibus morantibus, ſponſus ingreſſus „ eſt; atque una cum eo in nuptias ſapientes, quæ com„ parato lampadum lumine operiebantur, introeunt..... „ Et quia jam pęnitentiæ nullum eſt tempus; fatuæ ac„ currunt, aperiri ſibi aditum rogant. Quibus reſponde„ tur a ſponſo, quia neſcio vos.

Idem plane objectorum Hieronymi verborum eſt ſenſus. Si non refecta amputataque retuliſſent adverſarii, nullam ea verba facerent difficultatem, quam proinde ut tollamus, integram Hieronymi periodum allego. En illam. „ Ob„ ſcure licet docemur per hanc ſententiolam novum dog„ ma quod latitat: Dum in præſenti ſæculo ſumus, ſive „ Orationibus, ſive conſiliis, invicem poſſe nos coadju„ vari; Cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, „ non Job, non Daniel, nec Noe rogare poſſe pro quo„ quam: ſed unumquemque portare onus ſuum. An non norunt omnes expleto vitæ curriculo nos continuo ſupremi Judicis ſubire ſententiam, nec amplius patere aut pœnitentiæ, aut precibus locum? Tu ſcilicet ad *montes caliginoſos* offendimus, (c) viamque univerſæ terræ ingredimur, in qua *non licet amplius operari*: ſed tantum modo

(c) Jerem. 13. 17.

do pro meritis pœnas, aut præmia recipimus. Quamquam nonnulli ex veteribus opem aliquam a Sanctis provenientem in ipſo, quod ſubibimus poſt vitam, judicio videntur innuere: de quorum quidem ſententia hic non attinet multa dicere: mihi enim ad Hieronymi verba illuſtranda ſatis eſt ex eo ipſo noſſe, dum in *præſenti ſæculo ſumus, alienis orationibus, & conſiliis poſſe nos coadjuvari*.

III. Tertii generis teſtimonia facile eo modo explicamus, quo explicavimus reliqua objecta teſtimonia. Et ſane Chryſoſtomus in homilia prima in Epiſtolam primam ad Theſſalonicenſes manifeſto de iis loquitur, qui otioſi, ac deſides Deum deprecari negligebant, ſeque tantum modo alienis precibus commendabant, quarum ope a Deo beneficia, ac beatitudinem ipſam ſe recepturos ſperabant; perinde quaſi nobis non eſſet impoſitum, ut Deum ipſi deprecaremur, neque eſſet dictum (quod Auguſtinus etiam animadvertit) (d) *quodcumque petieritis, fiet vobis; cum dictum omnino non ſit: quodcumque petierit alius pro vobis, fiet vobis*. Egregia monita in ea homilia dat Chryſoſtomus, quorum ſumma hæc eſt, ita fidendum eſſe aliorum precibus, atque interceſſioni, ut interea nos ipſi & precibus, & operibus noſtræ ſaluti laboremus: tum quippe & aliena ope, & labore noſtro, quidquid a Deo optamus, obtinebimus. Hęc ſumma eſt ſolutionum adhibendarum objectis Chryſoſtomi locis, de quibus tamen fuſius, & enucleatius deinceps agemus (e).

IV. Sic porro poſtremum ſolve. Cujuſnam ſint ea Commentaria in Epiſtolas Pauli, quę ſub Ambroſii nomine prodiere, incerta res eſt. Non deſunt, qui Pelagio adſcribant; ego tamen minus deterioris auctoris illa eſſe reor. Sed cujuſcumque ſint, quid aliud edocemur in objectis verbis, niſi errare eos, qui propterea ſydera, & elementa colunt, quia per hæc, veluti per familiares, & comites, pervenire ſe putant ad Deum? quem interea non deprecantur, cum ipſe hujuſmodi mediatoribus non egeat, ſed ipſe per ſe noſtras audiat preces. Sed quis hac in re ab hoc Scriptore diſſentiat? At profero, ſi vis, integrum ejuſdem auctoris, quiſquis is eſt, teſtimonium, ex quo quidem, quænam fuerit illius ſententia, apertius conſtabit. „ Sapientes enim ſe arbitrantur; quia rationes phyſicas inveſtigaſſe ſe putant, „ ſcrutantes curſus ſyderum, & qualitates elementorum, „ Dominum autem horum ſpernentes; ideo ſtulti ſunt;

[d] Vide tractat. 102. in Joan. n. 1.

(e) Ubi de invocatione differetur.

,, cum ſi hæc laudanda ſint, quanto magis creator illo-
,, rum? Solent tamen pudorem paſſi, neglecti Dei miſe-
,, ra uti excuſatione, dicentes per iſtos poſſe ire ad Deum,
,, ſicut per comites pervenitur ad regem. Age, numquid
,, tam demens eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, ut
,, honorificentiam regis vindicet comiti; cum de hac re
,, ſi qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei da-
,, mnentur majeſtatis? Et iſti ſe non putant reos, qui ho-
,, norem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Do-
,, mino conſervos adorant, quaſi ſit aliquid plus, quod re-
,, ſervetur Deo. Et de his hactenus: jam poſtremum aggredior.

V. Cuinam vero perſuadebunt aſſuta ea, quæ nos protulimus? An non ſtylus ubique ſimilis, dictorum convenientia, & orationis continuatio palam evincunt, minime aſſuta fuiſſe illa iis Patrum operibus, quæ allegavimus? Sed quoniam is, qui aſſutum affirmat, & temere ſuppoſitum alicui auctori locum aliquem, qui jam pridem auctori illi adſcribi conſuevit, cauſas, atque argumenta proferre debet, quibus motus ab auctore illo eundem locum abjudicat; ab adverſariis expoſcimus, ut cauſas proferant, ob quas citata a nobis teſtimonia Patribus illis demunt, ex quorum tractatibus produximus. Quando id facient, eorum dictis ſatisfaciemus.

CAP.

CAP. XXIV.

Refutatio tertiæ ſolutionis, Patrum teſtimoniis adhibitæ. Non admodum multas fuiſſe a Patribus ex tempore effuſas homilias, orationeſque: pleraſque ſane procul dubio extemporales dici non poſſe. Fuiſſe quidem aliquas ſive ex parte, ſive etiam prorſus extemporales: quarum exempla afferimus: id tamen haud multum uſitatum fuiſſe.

I. NUnc propius inveſtiganda, expendendaque illa ſolutio eſt, quam omnium poſtremam Patrum teſtimoniis adhibent: haud ſcilicet multi æſtimanda loca illa eſſe, quæ ex Patrum Orationibus panegyricis, atque homiliis decerpta ſunt; quippe Orationes, & homiliæ, utpote extemporaneę, negligenterque, & inconſiderate effuſæ, non elucubratæ elaborataque, minus aptæ ſunt ad Eccleſiæ dogmata, conſuetudineſque comprobandas.

Sic ergo illiberaliter nos illudunt adverſarii noſtri, ut cum ipſi Patrum Orationes, homiliaſque ſolertiſſime perquirant, & inveſtigent, ut nempe, ſi quod inveniunt, quod illorum opinionibus vel leviſſime, & in ſpeciem faveat, illud ſtatim afferant, & pugnaciſſime in nos intorqueant, expoſcant tamen a nobis, ut a Patrum concionibus allegandis abſtineamus? Sed hæc omittamus, videamuſque, recte ne, an ſecus vetent, ne orationes, ſermoneſque panegyricos citemus. Diſplicent nimirum orationes, quod ſubito, ideoque, ſi adverſariis credimus, inconſiderate fuerint illæ compoſitæ, enunciatæque. Quid ſi negem eas maximam partem fuiſſe ex improviſo compoſitas, effuſaſque? An ex tempore enunciatas fuiſſe putas eas orationes, quæ antea elaboratæ, per *dictatum*, interdum etiam per Notarium, aut alium quempiam ad id munus electum populo recitabantur? Id tamen uſitatum fuiſſe aliquando, ex aliquibus Gregorii Magni locis intelligimus. „ Inter Sacra Miſſarum ſolemnia (*inquit* „ *Gregorius Magnus*) (*a*) ex his, quæ diebus certis in „ hac Eccleſia legi ex more ſolent, ſancti Evangelii qua„ draginta lectiones expoſui, & quarundam quidem di„ ctata expoſitio, aſſiſtente plebe, eſt per Notarium recita„ ta; quarumdam vero explanationem coram populo ipſe „ lo-

[*a*] in prologo præpoſito libro 40. homil.

„ locutus ſum. Homiliam vero 21. ſic exorditur. „ Mul-
„ tis vobis lectionibus, fratres cariſſimi, per dictatum lo-
„ qui conſuevi, ſed quia laſſeſcente ſtomacho ea, quæ di-
„ ctaveram, legere ipſe non poſſum. (14) An eas,
quas ab aliis compoſitas Epiſcopi, aut Presbyteri, inter-
dum etiam Diaconi ad prædicandum electi, ad Orationes
tamen componendas minime idonei, recitabant? At id pro-
cul dubio interdum factum eſt. Nonne Gennadius hæc de
Cyrillo Alexandrino teſtatur? (b) „ Cyrillus Alexandrinæ
„ Eccleſiæ Epiſcopus . . . . . . homilias compoſuit plu-
„ rimas, quæ ad declamandum a Græcis Epiſcopis me-
„ moriæ commendantur? Nonne etiam de Salviano ſer-
monem habens idem Gennadius, hæc tradit? (c) „ Salvia-
„ nus Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter ſcripſit ſcholaſtico,
„ & aperto ſermone multa, ex quibus iſta legi: de Vir-
„ ginitatis bono . . . . . . homilias Epiſcopis factas mul-
„ tas. Nonne Iſidorus Peluſiota eundem morem indicat
(d) hæc ad Dorotheum ſcribens? „ Et ſi, ut abs te ſcri-
„ ptum eſt, Oratio (*quam nempe eidem Dorotheo mi-*
„ *ſerat publice pronunciandam*) plauſum peperit, at
„ etiam Orationi plauſus robur comparavit, quippe qui
„ adminiculi loco fuerit . . . . . Quod ſi etiam laudare
„ vis, (negas enim fieri poſſe, ut Orationi plauſus tan-
„ dem non repandatur) Orationem quidem arbitratu tuo
„ laudans, ne nimius adverſum me laudes contexas, ne
„ me ſupinum, atque ignavum reddas. Nonne etiam
Ennodius (quod jam pridem monuere viri præſtantiſſimi
Sirmondus, (e) & Ferrarius) (f) ſacram ſecundam Oratio-
nem ſcripſit quidem ipſe, ſed pronunciandam ab Hono-
rato Novariæ Epiſcopo, qui re ipſa eam pronunciavit?
Tertiam quoque idem Ennodius exaravit, a Stephano Vi-
cario publice dicendam: id enim palam faciunt tituli iiſ-
dem Orationibus præpoſiti, quibus fraudare lectorem no-
lo. *Dictio II miſſa Honorato Epiſcopo Novarienſi in dedi-
catione Baſilicæ Apoſtolorum, ubi templum fuit idolorum.*

Dictio

(b) in lib. de viris illuſtribus cap. 57.

[c] ibidem cap. 67.

(d) libro 3. epiſt. 382.

(e) to. 1. pag. 1051. ad locum hunc.

[f] lib. 2. de ritu Sacrarum Concionum cap. 14.

(14) His adde, ſi vis, ea, quæ de eodem Gregorio Joannes Dia-
conus in ipſius Gregorii vita his verbis enarrat. (*) „ Per
„ quas (*ſtationes*) & ipſe ſimul diſcurrens, dum ad-
„ huc eloqui prævaleret, viginti homilias Evangelii
„ coram Eccleſia diverſo tempore declamavit: reliquas ve-
„ ro ejuſdem numeri dictavit quidem, ſed laſſeſcente ſto-
„ macho, languore continuo aliis pronunciandas commi-
„ ſit. Eadem ſimillimis verbis repetit cap. 74. lib. quarti.

[*] lib. 2. cap. 28.

Dictio data Stephano V. S. Vicario (ideſt, ut interpretatur Sirmondus, Viro ſpectabili) *dicenda Maximo Epiſcopo*. His adde ea, quæ valde docti, & accuratiſſimi fratres Ballerinii numero quinto præfationis præpoſitę ſermonibus Sancti Zenonis edocent (*g*). Denique, ut eundem morem Conciliorum etiam decretis comprobem, nonne Burchardus (*h*) ex Remenſi Concilio hæc affert? „ Epiſcopi ſermones, & homilias Sanctorum Patrum, prout omnes intelligere poſſint, „ ſecundum proprietatem communis linguæ prædicare ſtudeant. Nonne etiam Canone ſecundo Concilii Vaſenſis ſecundi hæc occurrunt? „ Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſe ipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ a Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diacones, quod Chriſtus in Evangelio loquutus eſt, legere, quare indigni judicentur Sanctorum Patrum expoſitiones publice recitare? (*i*) An eas, quæ ex condicto, aut quæ anniverſariis, ſtatiſque Martyrum diebus, aliiſque etiam feſtis recitari conſueverant? At tu, ſi id forte dicerem, me palam, manifeſtoque irrideres, quaſi non potuiſſent multo ante ad ea dicenda ſe præparare ii, quibus munus id incumbebat, mihique ſuccenſeres, ut puto, ſi id dicere auderem de Concionibus iis, in quibus Sacræ Scripturæ explicarentur. Etenim harum explicatio deſumi conſueverat vel ex arbitratu dicentium, qui materiam explicandam multis antea diebus ſępe ſtatuebant, (15) vel ex iis, quæ in

(*g*) pag. 7.
(*h*) lib. 1. decreti cap. 96.
(*i*) Tom. v. Conci. pag. 822.

(15) Sane Chryſoſtomum, qui inter excellentiores Oratores, qui ex tempore ad populum orarent, enumerari merito ſolet, ſtatuiſſe non raro materiam ſubſequentibus diebus pertractandam, ex his locis liquet. Homiliam x. ſed in editione egregii viri Bernardi de Montfaucon xi. ſic exorditur: (*) „ Unam a vobis gratiam petam, antequam ad verba veniam Evangelica; ſed rogo, ne poſtulatum negetis . . . . ut una ſabbatorum, vel in ipſo ſabbato, illam Evangeliorum partem, quę vobis in Concione legenda eſt, pre manibus ſinguli accipientes, domi ſedentes frequenter legatis, ac dicta ſępe exploretis, & examinetis: ac quid clarum, quid obſcurum ſit, annotetis, quid in verbis pugnare videatur, licet non pugnet: ſicque omnibus frequenter expenſis ad concionem accedatis. Num. 6. homilię illius, quę procmium eſt Commentariorum in Matthęum, alias homilia prima in Matthęum, hęc occurrunt: (*) „ Ut porro facilius hic addiſcere poſſitis, rogamus, & obſecramus, id quod etiam „ in

(*) tom. 8. pag. 62.
(*) Tom. 7. pag. 23.

in Eccleſia ex antiquo more iis diebus legebantur, canebanturque: qui ſane mos (qui noſtris etiam temporibus perſeverat) cum notiſſimus omnibus foret, iis procul dubio notus erat etiam, qui ad populum verba facere debebant. (k) Porro Patres fere omnes multo cum ſtudio elaboraſſe eas ſcripturarum explicationes, quas ad populum recitabant, tum aliis quidem argumentis, tum certe ex iis Scripturæ explicationibus conſtat, quas nobis reliquit Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes: has enim unde hauſerit, & quanta lima perfecerit, ignorat nemo: illas autem ad populum dixiſſe, is facile aſſentietur, qui ad ea adverterit animum, quæ Patres S. Mauri, (l) & Tillemont (m) adnotaverunt. Hæc ſane quis expenderit, pauciſſimas habitas fuiſſe a Patribus extemporales Orationes, facile, ut arbitror, pronunciabit.

II. Conſulto vero dixi *pauciſſimas*: aliquas enim fuiſſe ex tempore effuſas a Patribus conciones, nemo in veterum lectione detritus negabit. Extemporales fuiſſe Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſes nonnulli ex veteribus monuere: quod confirmare poſſumus ex codicibus, in quibus eæ Catecheſes habentur: docent quippe, ex tempore fuiſſe illas ad populum dictas. Ex tempore etiam declamaſſe interdum Chryſoſtomum, ex Socrate intelligimus: (n) quippe de Chryſoſtomo (Valeſio interprete) hæc narrat: ,, Poſt diſceſſum Epiphanii, quidam Joanni retulerunt, Epiphanium adverſus ipſum ſubornatum fuiſſe ab ,, Eudoxia Auguſta. Ille cum eſſet ſuopte ingenio ferventior, & ad dicendum paratus, ſine mora orationem habuit ad populum, quæ omnium generaliter mulierum vituperationem continebat. Dum etiam ab exilio revocatus eſt, orationem ex improviſo ad populum habuit (o). Extemporales quoque fuiſſe non paucas Origenis orationes, vetuſti hiſtorici teſtantur, & nos deinceps Euſebii auctoritate evincemus. De Attico hæc ſcriptis prodidit Socrates, (p) Valeſio interprete: ,, Et antea quidem, ,, cum adhuc in Presbyterii gradu eſſet conſtitutus, orationes a ſe compoſitas, quas memoriter didicerat, in ,, Ec-

(k) Huc ſpectant, ſi vis, ea Auguſtini, & Chryſologi teſtimonia, quę Ferrarius nuper citatus allegat.

(l) Vide quæ tradunt Patres S. Mauri in admonitione in ſex libros Hexameron, & in alia etiam Ambroſii Opuſcula.

(m) Vide Tillemont. tom. x. hiſt. Eccleſ. titulo *de S. Ambroſio* art. 87. & ſeq. pag. 285. & ſeq.

(n) lib. 5. in veter. edit. cap. 14. in Valeſii edit. 15.

(o) Vide quæ tradunt Sozomenus lib. 8. cap. 18. & Nicephorus lib. 13. cap. 16.

(p) lib. 7. cap. 2.

,, in aliis Scripturarum libris fecimus, ut illam Scripturæ clauſulam, quam interpretaturi ſumus, prælibetis, ,, ut lectio cognitionem præcedat, id quod in eunucho ,, contigit, quodque multam præbeat facilitatem. His adde, ſi vis, ea Auguſtini, & Chryſologi teſtimonia, quę vir ſumma laude dignus Bernardinus Ferrarius de ritu Sacrarum Concionum diſſerens allegat cap. 17. libri primi.

„ Eccleſia recitabat. Poſtea vero ex laboris aſſiduitate, „ fiduciam nactus, ex tempore loqui, & panegyricam „ concionandi rationem ſectari cœpit. Fauſtum etiam Rejenſem Epiſcopum aliquando ex improviſo ad populum oraſſe, intelligimus ex iis, quæ ad eum ſcribit Apollinaris Sidonius: (q) „ Licet prædicationes tuas nunc „ repentinas, nunc cum ratio popoſcerit, elucubratas „ raucus ploſor audierim, tunc præcipue, cum in Lugdu„ nenſis Eccleſiæ dedicatæ feſtis hebdomadalibus Collega„ rum ſacroſanctorum rogatu exoraveris, ut perorares.

III. Immo ante hos Epiſcopos Origenem jam ætate provectum, & longo uſu exercitatum ex tempore populum erudiiſſe, affirmat Euſebius, hæc (Valeſio interprete) (r) elocutus: „ Quo tempore, cum fides noſtra, ut par erat, au„ geretur in dies, & doctrina Chriſtianorum ſumma ubi„ que libertate frueretur, Origenes jam ſexagenario ma„ jor: ut pote qui ex diuturna exercitatione maximum „ dicendi uſum ſibi comparaſſet: conciones, quas habe„ bat ad populum, a notariis excipi permiſit, cum id „ antea fieri nunquam conceſſiſſet. Has autem conciones fuiſſe ex improviſo dictas, declarat antiqua Rufini verſio, cui in dubiis plurimum fidendum eſſe docet Tillemont. En illam: „ Quo tempore ſexageſimum agens æta„ tis annum, poſtea quam & uſu, & periculis, & la„ boribus plurimum fiduciæ in verbo Dei acceperat, per„ miſiſſe fertur, ea, quæ ex tempore in Eccleſiis diſſerebat, „ a notariis excipi, nec ante uſquam dediſſe hanc copiam: „ niſi cum id ſibi & vitæ gravitas, & ætatis maturitas, „ & multæ experientiæ conceſſit auctoritas. Num vero extemporales eæ Origenis conciones erant, quod alter argumentum præſcriberet, an potius quia ex libro Sacro ſine induſtria aperto, occurrens caſu verſiculus dicendi materiam præberet? Judicet quiſque quod libet. Novimus ſane contigiſſe aliquando, ut Lectore aliquem Scripturæ verſiculum non ex condicto, ſed veluti caſu legente, ſumerent inde Epiſcopi Sacræ Concionis occaſionem, tribuerentque divinæ cuidam inſpirationi id, quod videri poterat Lectoris error. Hujus quidem rei duo profero exempla, ſed illa haud obſcura, ex magno Auguſtino, cui aliud Chryſoſtomi adjungam. Sic exorditur Auguſtinus homiliam, quæ olim ſeptima, & viceſima erat inter quinquaginta homilias, at in nova ſerie tercenteſimum quinquageſimum ſecundum locum obtinet. „ Vox pœnitentis a-

gno-

(q) lib. 9. epiſt. 3. pag. 940. tom. 1. Oper. Sirmondi.

(r) lib. 6. cap. 26. in edit. Rufini: at in edit. Valeſii 36.

„ gnoſcitur in verbis, quibus pſallenti reſpondimus: *averte* „ *faciem tuam a peccatis meis*, *& omnes iniquitates meas dele*. „ Unde cum ſermonem ad veſtram caritatem non præpa- „ raremus, hinc nobis eſſe tractandum Domino imperante „ cognovimus . . . . Proinde aliquid de pœnitentia dice- „ re divinitus jubemur. Neque enim nos iſtum Pſalmum „ cantandum lectori imperavimus; ſed quod ille cenſuit „ vobis eſſe utile ad audiendum, hoc cordi etiam puerili „ imperavit. Aliquid ſimile contigit Auguſtino, dum Concionem eam, quæ olim inſcribebatur *63 de verbis Domini*, nunc in ſerie 52. eſt, hoc modo incipit: „ Evangelica lectio propoſuit nobis unde loqua- „ mur ad caritatem veſtram, tanquam Domini imperio, „ & vere Domini imperio. Ab illo enim expectavit cor „ meum tanquam juſſionem proferendi ſermonis, ut hinc „ eum intelligerem loqui me velle, quod recitari ipſe „ voluiſſet. Quamquam equidem eum minime reprehendo, qui Auguſtinum occaſionem hujuſce concionis ſumpſiſſe dicet ex aliquo ſcripturæ loco, quem ſubminiſtravit Evangeliorum liber caſu apertus: quem quidem morem in dubiis eventibus deinceps etiam fuiſſe ſervatum, valde probabilibus argumentis evincunt Mabillon, aliique præſtantes hiſtorici. Utcunque ſit, eam homiliam, quam Chryſoſtomus fecit in ſalutationes, quas Apoſtolus Paulus, Romanis ſcribens, ad aliquos miſerat, ex ſimillima ortam fuiſſe occaſione, animadvertit Tillemont de Chryſoſtomo differens, (*s*) ad quem te amando.

(*s*) art. 149. tom. XI. pag. 387.

IV. Ad extemporales etiam conciones revocare ſi vis, ex aliqua ſaltem parte poteris nonnullas Scripturæ explicationes, & hæreſeon refutationes, quæ Sanctis Patribus ad populum verba facientibus inopinato venerunt in mentem, ſeu ut verius dicam, a Deo inſpiratæ viſæ ſunt, quarum quidem duo exempla ſeligo, quorum primum Gregorius Magnus, Poſſidius alterum ſubminiſtrat. Sane Gregorius Magnus ſic homiliam 14. in Ezechielem exorditur: (*t*) „ Ne „ quidam me fortaſſe tacita cogitatione reprehendant, „ quod Ezechielis prophetæ tam profunda myſteria a „ magnis expoſitoribus intentata diſcutere præſumo; qua „ mente id faciam, agnoſcant: Non enim hoc temeritate „ aggredior, ſed humilitate. Scio enim, quia plerumque „ multa in ſacro eloquio, quæ ſolus intelligere non po- „ tui, coram fratribus meis poſitus intellexi: Ex quo in- „ tellectu & hoc quoque intelligere ſtudui, ut ſcirem

(*t*) alias homil. 2. lib. 2.

„ ex

„ ex quorum mihi merito intellectus daretur. Patet enim,
„ quia hoc mihi pro illis datur, quibus mihi præſentibus
„ datur.

Deſumitur exemplum alterum (quod jam dixi) ex Poſſidio, hæc de Auguſtino adteſtante: (u) „ Scio item non „ ſolus ipſe, verum etiam alii fratres, & conſervi, qui „ nobiſcum tunc intra Hipponenſem Eccleſiam cum eo- „ dem ſancto viro vivebant, nobis pariter ad menſam „ conſtitutis eum dixiſſe: advertiſtis hodie in Eccleſia „ meum ſermonem, ejuſque initium, & finem contra „ meam conſuetudinem proceſſiſſe, quoniam non eam rem „ terminatam explicuerim, quam propoſueram, ſed pen- „ dentem reliquerim? Cui reſpondimus: ita nos in tem- „ pore miratos fuiſſe ſcimus, & recognoſcimus. At ille: „ credo ait, quod forte aliquem errantem in populo Do- „ minus per noſtram oblivionem, & errorem doceri, & „ curari voluerit, in cujus manu ſunt & nos, & ſermo- „ nes noſtri. Minime vero erraſſe Auguſtinum, dum id prodidit, Poſſidius mox teſtatur, Firmum Manichæum ex eo Auguſtini excurſu ad catholicam fidem converſum narrans. Ad hunc Poſſidii locum lectorem ea de re eruditi cupientem amando.

(u) cap. 15.

V. At animadvertas volo, neque eas omnes, quas dixi Orationes extemporales prorſus appellari poſſe, neque admodum uſitatum fuiſſe, ut Epiſcopi, aliique, quibus Sacrarum Concionum cura incumbebat, eas ex tempore haberent. Quis obſecro prorſus extemporale affirmare audebit illud homiliarum genus, de quo proxime ante diſſerui? Extemporales tantum modo excurſus ii ſunt, iiſdem homiliis antea elaboratis Deo inſpirante illapſi, minime vero homiliæ prorſus extemporales. Quis etiam omnino extemporales dicet omnes Cyrilli catecheſes, quando quidem conſtat, fundamenta, & ſi appellare ita vis, nexus, compageſque aliquarum ex iis orationibus jam pridem fuiſſe poſita, ab Apoſtolis ſcilicet, aliiſque, ex quibus Chriſtianæ fidei myſteria, rituſque didicimus, quæ quidem myſteria, & ritus idem Cyrillus articulatim explicabat. Vide, ut ceteras miſſas faciam, myſtagogicam primam, ſecundam, tertiam, & quintam. Dubitare etiam jure, meritoque poſſumus, num prorſus ex improviſo locuti ſint ii Patres, quorum tamen extemporales orationes recte celebravit antiquitas. An non ſimillimum veri eſt, eximium illum Chryſoſtomum, qui hac in laude mirum in modum

excelluit, paraſſe ſibi privatis ſtudiis ſylvam quamdam, ut ita appellem, materiarum, quas ſubito ad dicendum vocatus, poſſet coram populo effundere? Haud immerito ſane id conjicere poſſumus non modo ex aliorum exemplo, qui ſummam dederunt operam, ut ſubito ad declamandum accederent, verum etiam ex iis commentariis ſeu tractatibus in Iſaiam, ac in Danielem, qui tribui Chryſoſtomo conſuevere, nec tamen populo videntur fuiſſe recitati; ſed potius rudimenta, ſi volumus ita appellare, & fila quædam, quibus Conciones e ſuggeſtu pronunciandæ texerentur. Vide quæ ad hæc tradit Tillemont, & ex eo, & Cottelerio vir egregius Bernardus de Montfaucon paragrafo primo præfationis præpoſitæ tomo ſexto operum D. Joannis Chryſoſtomi.

VI. Age tamen, age, & has ipſas, quas non omnino extemporales fuiſſe dixi, fac prorſus extemporales. An continuo valde uſitatum fuiſſe evinces, ut ſubito Patres, & improviſas orationes effunderent? Minime vero. Ecquis neſcit per raro id contigiſſe, adeo ut veluti prodigium quoddam ſcriptis proderetur ab hiſtoricis eorum temporum? Si eos excipias, quorum capite ſuperiore memini, paucos alios (ſi tamen alios) in eo genere excelluiſſe novimus. Immo de Attico ea narrat Socrates, ex quibus innoteſcat, non multum laudis ex eo improviſo genere retuliſſe: neque enim tanti Conciones ejus populus æſtimavit, ut a notariis exſcribendas curaret. *Nec tamen ejus conciones* (inquit Socrates) *hujuſmodi fuerunt, ut ab auditoribus vel plauſu exciperentur, vel ſcriptis mandarentur*. Et tu dicere non vereberis, ex tempore, & imparatos conſueviſſe Patres ſermones ad populum habere, & propterea illorum conciones, ut pote neglectas, & inconſideratas contemnere audebis?

CAP.

CAP. XXV.

Etiam ſi prorſus extemporales forent Patrum, quos produximus, Orationes, aptiſſimas eſſe tamen ad Eccleſiæ ritus, & dogmata comprobanda.

I. AT hæc non eo dixerim, quaſi indigeam, ſi ab objecta difficultate exſolvi volo, negare ullas prorſus a Patribus fuiſſe ex improviſo pronunciatas conciones. Fatebor, ſi tu vis, omnes Patrum Orationes fuiſſe ex tempore effuſas. An ideo contemnendæ, minuſque aptæ ad ſanctiſſima Eccleſiæ dogmata, & ritus comprobandos? Apage illaudabilem, nec homine prudente dignam conſecutionem. An minus conſidarate locutos putas ſapientiſſimos, ac ſanctiſſimos Patres, quum ſubito dixerunt, quam quum ſubito locuti ſunt Sophiſtæ veteres, & Oratores, quorum aliquas extemporales quidem Orationes habemus, at elegantes etiam, & circumſpectas? At age: vide quatenus tibi indulgeam. Vereri me dicam, ne Eccleſiæ Epiſcopi, iique ipſi, quorum opuſcula allegavi, quædam interdum e pulpito pronunciarint non elaborata prorſus, nec perpolita. (Abſit enim, ut ſuſpicer, viros ſanctiſſimos, & in religione noſtra ſcientiſſimos, errores aliquos e ſuggeſtu pronunciaſſe, quos quidem nefas eſt ſuſpicari potuiſſe ab iis vel in privatis colloquiis, ſermonibuſque proferri.) Ignoras ne ſollicitos fuiſſe Patres, ut orationes ſuas reficerent, recuderent, ac retractarent? Gaudentius (ut vetuſti, & præſtantis doctoris exemplo utar) Gaudentius, inquam, Benivolo conquerenti, quod eos, quos idem Gaudentius Paſchalibus feſtis in Eccleſia recitarat ſermones, ægritudine impeditus audire non potuiſſet, non modo eoſdem ſermones mittit, verum etiam alios a ſe emendatos, hæc etiam ſubjungens, ut ſi eos memoria dignos judicaret, reliquis adjungeret: ceteros porro, quos furtim Notarii ex loquentis ore exceperant, exſcripſerantque, rejicit, vetatque, ne ſuo præpoſito nomine evulgentur (16). Hinc ſive Patres ipſimet antea componerent, elu-

(16) En quæ dixi Gaudentii verba. „ Sed ut ad propoſitam „ cauſſationem redeam, ex ingenti ægritudine tuum tum „ adhuc corpus invalidum, ne ſupradictæ feſtivitati inter- „ eſ-

cubrarentque, & memoriæ commendatos ad populum ſermones recitarent, (quod ſane declarant verba illa Gaudentii: *ſcribere tibi aggrediar omnino eiſdem ſenſibus, & fortaſſe etiam verbis, quibus me in Eccleſia locutum eſſe reminiſcor &c.*) ſive per notarios, dum ore ii proferrentur, fuiſſe exſcriptos affirmas, indubitata res eſt, plane ſciviſſe Patres, a quibus fuerant pronunciati, quid in illis ſermonibus contineretur, ſummamque adhibuiſſe operam, ut accuratiſſime emendati, conſcriptique in vulgus exirent. Scivit enim vero, quid in ſermonibus ſuis extaret Gaudentius, cujus nuper verba allegavi, ſcivit Ambroſius, & cum ſermonem in ſolemni Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii translatione recitatum ad ſororem legendum miſit, (*a*) & cum tractatus ſuos ad populum dictos cum amicis abſentibus communicavit. (*b*) Scivit Dionyſius Alexandrinus, qui niſi nos veriſimilis fallit opinio, conciones de Pa-

(*a*) Vide Sermon. in edition. Frobenii 91. deinceps comprehenſum in epiſtola olim 54. in edit PP. S. Mauri 22. primę claſſis. n.3.

[*b*] Vide epiſt. 43. claſſis 1. num. 1. ad Horontiant.

,, eſſes, inhibuit: unde vehementer dolebas, omnino
,, fraudem tibi ſpiritualium bonorum reputans, peccatis
,, urgentibus irrogatam, ac propterea ſingulare quoddam
,, diſpendii memorati remedium magnopere exegiſti,
,, ut ſcriberem, quid unaquaque die illius ſacratiſſimæ
,, hebdomadis, ſanctæ fraternitati a me expoſitum meminiſſem. Quod plane ego mediocritatis meæ conſcius,
,, litteris credere non auderem, niſi tu religioſa inſtantia compuliſſes; Satis eſt enim mihi, ſi inſtruere commiſſam plebem viva ſaltem voce ſufficiam. Sciens itaque verum divinæ ſapientiæ amatorem non ſuper adſertione inutilium rerum inanis eloquentiæ pompam
,, quærere, ſed ſalutarem de ſcripturis Sanctis explanationum congruentium deſiderare doctrinam, ſcribere
,, tibi aggrediar omnino iiſdem ſenſibus, & fortaſſe etiam
,, verbis, quibus me in Eccleſia locutum eſſe reminiſcor,
,, ut loquelam meam, qualiſcunque eſt, facile, cum legeris, recognoſcas. Quatuor præterea breviores tractatus, quos de diverſis Capitulis Evangelii apud te olim fuiſſe me locutum prodidiſti, & quintum de Machabæis martyribus, emendatos tibi, quoniam cogis, remittam, ut eos, ſi ulla utili memoria dignos arbitraris,
,, in poſtrema parte ſchedulæ hujus ſimul tranſcribendos adjungas. De illis vero tractatibus, quos notariis [ut
,, comperi] latenter adpoſitis, procul dubio interruptos,
,, & ſemiplenos otioſa quorundam ſtudia colligere præſumpſerunt, nihil ad me attinet. Mea jam non ſunt,
,, quæ conſtat præcipiti excipientium feſtinatione eſſe conſcripta.

Paſchate coram populo habitas ad amicos epiſtolarum modo direxit. (c) Scivit Gregorius Magnus, dum homilias in Ezechielem olim ad populum recitatas, & ex Notariorum ſchedis exceptas emendavit primum, retractavitque, tum demum ad Marianum Epiſcopum miſit, hæc adjungens: „ Homilias, quæ in beatum Ezechielem prophe„ tam ita, ut coram populo loquebar, exceptæ ſunt, „ multis curis irruentibus in abolitione reliqueram, ſed „ poſt annos octo, petentibus fratribus, Notariorum ſche„ das requirere ſtudui, eaſque favente Domino tranſcur„ rens, in quantum ab anguſtiis tribulationum licuit, e„ mendavi. Tua itaque dilectio &c. Rurſus dum homilias 40. in Evangelia emendatas miſit ad Secundinum Tauromenitanum Epiſcopum, ab eodem expoſcens, ut ad harum exemplar emendaret eas, quas idem Secundinus fortaſse a notariis exceptas habebat. (17) Scivit denique Auguſtinus, dum Honoratum de re ſane non levi inſtrui cupientem, ad eum ſermonem amandat, quem idem Auguſtinus in pervigilio Sancti Cypriani habuerat: „ Hunc „ pſalmum ſeptuageſimum ſecundum (*inquit ille*) (d) nocte, „ qua illuceſcebat ſolemnitas beatiſſimi Cypriani, per „ miniſterium noſtrum expoſitum lege, & diligenter ad„ verte.

(c) Vide quæ hoc de argumento diſputat Ferrarius, de ritu Sacrar. Concionum agens cap. 25. lib. 1. pag. 105. edit. Veronenſis.

[d] In epiſtola, ſeu libro ad Honoratum in antiqua epiſtolarum ſerie 120. in nova 140. cap. 5. alias n. 13.

II. Eant nunc adverſarii noſtri, & ſi poſsunt, jactare adhuc pergant, eas, quæ ſuperſunt, & a nobis citatæ ſunt, Patrum conciones, temere, atque inconſiderate fuiſſe ab iis effuſas: & has quidem ipſas, tam & ſi forte elaboratas, ab imperitis tamen, & oſcitantibus notariis fuiſſe ſcripto mandatas: quam ipſam ob rem fides iiſdem orationibus omnino dematur neceſſe eſt. Adeo ne, poſtquam etiam hæc audierint, abutentur illi patientia noſtra, ut tam mendaces, veterumque doctorum exiſtimationi injurioſas opiniones in vulgus ſpargant? Sed faciant illi quod

(17) „ Tua itaque fraternitas ſacris ſemper lectionibus inten„ ta, ſi prædictum locum Evangelii invenerit ſub dubie„ tate prolatum, vel eaſdem homilias repererit ita, ut „ prędixi, non eſſe diſpoſitas; has inemendatas reman„ ſiſſe cognoſcat, & juxta eas, quas per præſentem por„ titorem mittere ſtudui, corrigat; nulloque modo illas „ ſine emendatione remanere permittat. Editæ autem in „ ſcrinio Sanctæ Eccleſiæ noſtræ retinentur, ut ſi qui „ forte a tua fraternitate longe ſunt, hic inveniant, un„ de in his, quæ emendatæ ſunt, certiores fiant.

quod libet. Nos ſane manifeſto oſtendimus, præſtandam dictis non eſſe fidem, plurimumque auctoritatis in iis Patrum Orationibus, quas allegavimus, ſitum eſſe: quam quidem auctoritate illis adimere Notarii, ex loquentium Patrum ore dicta excipientes, ſcriptisque mandantes, non potuere. Celerrimos hoſce in ſcribendo fuiſſe norunt omnes, idque indubitatum faciunt & illud Auſonii epigramma, quod ad notarium velociſſime excipientem direxit, & adnotationes in editione Amſtelodamenſi *cum notis variorum*, uti appellant, in paginæ calce poſitæ, quas quidem legas opto (*e*). Peritos vero, non ignavos, aut ſtupidos pleroſque eorum, ex eo conjicimus, quod horum opera uterentur ii omnes, qui ad Judices, aut ad populum ab Oratoribus dictas conciones habere cupiebant. At memineris rurſus volo, quod nuper dixi, paucis (ſummis nempe tantum modo viris) adhibitos fuiſſe notarios, (18) & eorum, quam tu vis maximam negligentiam, atque oſcitantiam reparatam fuiſſe ab iis ipſis, quorum orationes exſcripſerant, dum has emendatas tantum modo, & recuſas prodire permiſerunt in vulgus, non quas minus peritorum, ſi vis, notariorum oſcitantia corruptas reddiderat, & mendoſas. Et his quidem dictis dilutam arbitror eam, quam mirum in modum nonnulli commendant, extolluntque objectionem.. Quia tamen peculiarem difficultatem ad-

(*e*) pag. 88. edit. anni 1671.

(18) Nuper innui, clariſſimorum tantum modo virorum Orationes excipi conſueviſſe a notariis. Id quoque hic repeto, non modo quia a veriſimilitudine abeſt, cupiiſſe populum exſcribere, & retinere apud ſe eas Orationes, quas levi habebat in pretio; & certe Atticus (quod nuper ex Socrate retuli) tam & ſi in dicendo adeo exercitatus foret, ut imparatus, & ſubito ad populum loqueretur, obtinere tamen ab eodem populo nunquam potuit, ut ſuæ Orationes per notarios exſcriberentur: verum etiam quia ea exempla, quæ vir egregius Ferrarius ad eum morem teſtificandum adducit, (*) id, quod diximus, tantum comprobant. Quis enim inter Clariſſimos Viros non recenſeat Originem, Cyrillum Hieroſolymitanum, Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Gaudentium, Auguſtinum, & Gregorium Magnum? Quorum quidem Conciones ab Notariis exceptas probabilibus monumentis idem Ferrarius evincit. Id ante me animadvertit litteratiſſimus Canonicus Galeardus, cujus ſæpe cum laude memini in peculiari adnotatione ad illum Gaudentii locum (*) *notariis latenter adpoſitis*.

(*) *De ritu Sacrar. Concionum* lib. 2. cap. 18.

(*) in præfatione, ſeu epiſt. ad Benivo.

adverſus panegyricas Patrum orationes movent, ex eo petitam, quod Rhetorum floribus, atque elegantiis reſperſæ eæ ſint, huic etiam ſatis factum his monitis volo. Rhetorum figuris, & tropis refertiſſimas dicam, ſi id quoque vis, eas Orationes, ſed non propterea mendaces fatebor, aut tenebricoſas, adeo ut in iis veritas, dicentiſque ſenſus non eluceſcant. Non obſcuratur ſcilicet Rhetorum artibus, & ſtudio, ſed ornatur, illuſtraturque, & auditorum mentibus altius infigitur oratoris ſententia, atque opinio; neque enim in Demoſthenis, Tulliive orationibus minus dicentis ſententia, ac conſilium apparet, tam & ſi eædem orationes ornatæ, ac perpolitæ ſint maxime. Sed cur in his refellendis tam diu immoror, qui tam pauca ex panegyricis Orationibus, tam multa ex reliquis Patrum libris protuli? Abundare tamen hac in re malui, quam parcus eſſe: ne ſcilicet ſtricte minus, ac preſſe eo de argumento differens, videar, aut minus honeſte cum adverſariis agere, quaſi nolens eorum objectionibus copioſe reſpondere, cum poſſim; aut tacite fateri, abundanter, eas refelli non poſſe.

CAP. XXVI.

Diluuntur argumenta ex Theologica ratione deſumpta, ac primo quidem ex eo, quod Sanctorum ſuffragatio, atque adjumentum Deo, & Chriſto ſint injurioſa. Cujus rei occaſione quæritur, num mediatores, patroni, & advocati noſtri appellari poſſint Sancti.

I. NUnc quoniam reſpondimus objectis ex Scripturæ, & Patrum auctoritate argumentis: illa aggrediamur oportet, quæ adverſus Catholicum dogma ex Theologica ratione petuntur. Porro hæc ad quinque capita revocantur. Nimirum ex eo primo nos impetunt, quod Deo, & Chriſto injurioſa ſit interceſſio Sanctorum. Secundo ex eo, quod ſit impoſſibilis. Tertio ex eo, quod inexplicabilis. Quarto ex eo, quod temere inducta. Quinto ex eo, quod inutilis ſit. Primum ideo alibi vix attigimus, quod hic fuſius de eo diſſerere cogitabamus. Porro ea, quibus Deo injurioſam Sanctorum interceſſionem oſtendi ajunt, nunc omittimus; quippe ea ipſiſſima ſunt, quæ quinto argumentorum capite exponentur, ideſt eo, quod ab ejus, de qua agimus, interceſſionis inutilitate deſumitur. Tantummodo itaque expendimus ea, quibus Chriſti muneribus adverſari contendunt Sanctorum interventum, & preces. Sic porro diſputant. Sane D. Paulus: (a) *Unus Deus*, (inquit) *unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Et D. Joannes in Epiſtola 1. (b) *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*. Qui ergo Sanctos pro nobis orare, atque impetrare peccatorum veniam, & beneficia alia putat, id iis tribuit, quod peculiare Chriſto eſt, ideoque illi injuriam facit.

(a) 1 Timoth. 2. v. 5.

(b) cap. 2. v. 1.

II. Hæc tamen, quæ tanti nonnulli faciunt, ut indiſſolubilia eſſe putent, haud difficile diluimus. At antequam ad difficultatem hanc diligentius explanandam aggrediar, adverſarios rogo, atque obteſtor, ut videant difficultatem hanc ipſam, ſi qua eſt, ab iis non evitari. Docent nempe injurioſam eſſe Chriſti advocationi advocationem Sanctorum, quod Chriſtus unicus advocatus eſt no-

noſter, unicus apud Patrem orator, unicus reconciliator. At dum hæc monent, a viventibus preces Deo pro aliorum ſalute citra Chriſti injuriam deferri concedunt; ſinunt quoque, ut alter alterius viventis preces expoſcat, noſque mutuis precibus adjuvemus: non pauci etiam ex iis monent, ab Angelis fundi pro viventibus preces; quin & plerique eorum fatentur, pro Eccleſia univerſa orare Sanctos. Profecto, ſi iis credimus, injuriam facit Chriſto, qui ſibi arrogat aut integram illius advocationem, aut etiam illius partem. Porro advocationem ipſam, aut certe illius partem preces habent: fiet ergo injuria Chriſto, ſi viventium, Angelorum, & Sanctorum vita functorum pro Eccleſia univerſa preces Deo porrigantur. Id autem fateri recuſant Proteſtantes; ideoque non obſcure ſuo exemplo nos monent, immerito redargui Pontificios, quod Sanctis munus imponant Chriſti advocationi injurioſum, dum ab iis Deum pro nobis orari ajunt.

III. His præpoſitis, venio ad rem ipſam, & hic recolo, quod de muneribus Chriſti agens dixi, ſcilicet voci *mediator* ſignificationes ſubeſſe quatuor; nuncii, & interpretis partis utriuſque, aut certe unius ad alteram; arbitri electi ad componenda diſſidia; interceſſoris, ſeu advocati; demum ſponſoris, qui parti læſæ ſatisfaciat. Dum itaque facimus, ut vox *mediator* quatuor hæc comprehendat omnia, in ſignificatione accipimus ampliſſima: nam procul dubio multo arctius ſumunt Paulinus Aquileenſis, (c) aliique etiam. Porro quatuor hæc munia expleviſſe Chriſtum jam pridem probavimus: neque opus eſt, ut ea de re hic fuſe agam. Supereſt nunc, ut videamus, an Sanctis tribui poſſit mediatoris titulus. Atqui tribui Sanctis non poſſe titulum *mediatoris*, quatenus *mediator* ſignificat arbitrum, qui diſſidia componat, certa res eſt; quippe Chriſtus ſolus reconciliavit humanum genus in gratiam Patris. Certa quoque res eſt, tribui non poſſe mediatoris titulum Sanctis, quatenus ſignificat ſponſorem, qui parti læſæ ſatisfaciat. Nimirum Chriſtus (d) *torcular* (paſſionis) *calcavit ſolus, & de gentibus vir non fuit ſecum; ipſeque fuit propitiatio omnium peccatorum in ſanguine ſuo*. Pulchre D. Leo: (e) „ Quamvis „ enim multorum Sanctorum in conſpectu Domini pre„ tioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio, pro„ pitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt „ coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt „ patientiæ, non dona juſtitiæ.

(c) cap. 23. libri primi inter eos, quos *contra Felicem* ſcripſit.

(d) Iſaiæ 63. 3.

(e) in epiſtola olim 83. in edit. Queſnellii 97. ad Monachos Palæſtinos cap. 4.

IV. Quoniam ergo duo tantum reſtant modi, quibus mediatores appellari Sancti poſſint, nempe quatenus ſunt internuncii, & quatenus ſunt interceſſores, & advocati; quæritur, num appellari propterea mediatores poſſint. Negant id audaciter Proteſtantes: ego vero plura Patrum loca facile producam, in quibus id expreſſiſſime traditur. Quid Gregorius Nazianzenus? (f) Sane Martyres mediatores inter nos, & Deum appellat. (g) *Cujus mediatores ſunt Martyres*. Quid Aſterius? Mediatores Sanctos appellat. (h) Quid Venantius Fortunatus? (i) Sic Martinum deprecatur:

Porrige, Celſe, manum, rege greſſum, dirige ſenſum.

* * * * * * * * * * * *

Inter & ipſe Deum, atque reum mediator adeſto.

Similiter loquitur Damaſcenus cap. 16. lib. 4. de fide: etiam Petrus Damiani in ſermone in Apoſtolos Petrum, & Paulum id ipſum indicat, (k) & eo antiquior Theophanes Cerameus Græcus Scriptor in homilia 62. ideſt ultima, vertente Petavio: *Adhibeamus* (inquiens) *mediatores apud Deum Sanctos, tum alios, tum præcipue puriſſimam Dominam.* (19) Bernardus quoque id ſæpiſſime peragit: veluti n. 1. Sermonis ſecundi in S. Victorem: num. 1. Sermonis primi inter eos, quos recitavit in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli; denique numeris ſecundo, & quinto ſermonis recitati Dominica infra Octavam Aſſumptionis. Qua ergo fronte, ut obiter dicam, nos Catholicos adverſarii accuſant, quaſi Sanctos mediatores interdum appellantes, Chriſto adimamus præſtantiſſimum mediatoris munus, illudque partiamur in Mariam, & Sanctos? Audebis ne Nazianzenum, & reliquos, quos protulimus, demptæ Chriſto mediationis incuſare, & ad Lutherum, aut Calvinum aliquem veluti impios, & ſceleſtiſſimos deferre? Agnoſcant itaque vel exemplis iſtis, appellari ſine ullo probro poſſe a Pontificiis *mediatores* Sanctos: quando quidem, dum etiam ſic appellant, longe aliud mediationis genus tribuunt Sanctis, ac Chriſto tribuant: nec Chriſti munera inter Sanctos, & Chriſtum dividunt. Sed de his fuſius mox.

V. At

(f) in oratione in Gregorium Niſſenum.

(g) pag. 140. edit. Colon. 1690.

(h) in oratione in Sanctos Martyres n. 4. & 5.

(i) ſub finem libri quarti inter eos, quibus *Vitam Martini* deſcripſit.

(k) Vide Sermonem primum in S. Petrum, & ſubſequentem etiam ſermonem ſub finem; ſermonis vero ſecundi principium, & finem.

(19) Paulo aliter vertit Scorſius, cujus interpretatio hæc quidem eſt, *Deprecatores ad Deum Sanctos, conciliatoreſque adſciſcamus &c.* ſed utraque interpretatio eundem ſenſum denique exprimit.

V. At ſi ita eſt: cur, inquiunt, Auguſtinus (*l*) jubet, ut mediatoris munus uni tribuatur Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui ſolus mediator eſt, quatenus ſolus orat pro omnibus, & nemo pro illo orat?

(*l*) in lib. ſecundo contra Parmenianum n. 15. & 16.

VI. Ut hæc, aliaque ſimilia a Patrum dictis petita argumenta diſſolvas, ſcito litem hanc & grammaticam eſſe poſſe, & theologicam. Grammatica quidem erit, quatenus ſignificatio vocis *mediator* reſtringi poteſt ad denotandum aut eximium illum mediatorem, qui quatuor illas partes nuper commemoratas implevit, aut certe potiores, & præſtantiores; Sponſoris ſcilicet, & pacificatoris. Et tum citra controverſiam poſitum eſt, Chriſtum tantummodo appellari poſſe mediatorem. Theologica vero, quatenus inquiri poteſt, num alias partes, multo certe minus quàm Chriſtus, ſed tamen utcumque expleant Sancti, ideoque num vere nuncii ſint, & interpretes, num interceſſores quoque, & patroni. Et tum ajo appellari illos poſſe mediatores, & revera utraſque nuper commemoratas partes explere.

VII. Et primum quidem Sanctos appellari poſſe mediatores, conſtat ex auctoritate illorum Patrum, quos nuper retuli, quibus facile addi poſſunt alii, quos Petavius, & reliqui Theologi noſtri enumerant. Secundo etiam conſtat ex paritate deſumpta ex aliis titulis, qui Chriſto conveniunt, & tamen Sanctis quoque tributos novimus. Hoc modo, quamvis Chriſtus *conſtitutus ſit Judex vivorum, & mortuorum*; (*m*) Judices tamen eſſe voluit etiam Apoſtolos, & (ſi Bedæ credimus) (*n*) eos omnes, qui Apoſtolos imitabuntur in derelinquendis rebus ſuis omnibus, ut Chriſtum ſequantur. Chriſtus quoque petra eſt, & fundamentum, ſuper quod innititur Eccleſia; petram tamen, ſuper qua fundatur Eccleſia, etiam Petrum eſſe voluit: (*) *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: ſic interpretante ea verba Leone magno (*o*): *Et ego dico tibi:* „hoc eſt, ſicut Pater meus tibi manifeſtavit Divinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam; *Quia tu es Petrus*; ideſt cum ego ſim inviolabilis petra, *ego lapis angularis*, qui facio utraque unum; ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Quin & fundatam Eccleſiam ſuam eſſe voluit, non modo ſuper Pe-

(*m*) Act. 10. 42.

(*n*) Vide Bedam in locum hunc.

(*) Matth. 16. 18.

[*o*] Serm. 3. in anniverſario die aſſumptionis ſuæ.

Petrum, ſed & ſuper Apoſtolos reliquos, immo & ſuper Prophetas: (p) *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu*. Iterum etiam cap. 21. Apocal. v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni*.

(p) Epheſ. 2. 20.

VIII. An non omnes norunt (& nuper ſane id didicimus ex D. Leone magno) voluiſſe Chriſtum, qui ſic Apoſtolos ſuos in cœna ultima eſt allocutus: (q) *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael:* Voluiſſe, inquam, ut quæ eſſent ſibi *poteſtate propria*, dilectis diſcipulis ſuis eſſent *participatione communia?* Quod etiam comprobant tituli (r) *Paſtoris, & Epiſcopi animarum noſtrarum:* primum quippe titulum tam & ſi peculiariter ſibi tribuat Chriſtus, adhuc videmus Apoſtolis, immo & aliis multis tributum in verbis illis Apoſtoli Pauli: (s) *alios autem paſtores, & doctores &c.* præeunte vel Chriſto ipſo, dum ſic Petrum allocutus eſt: (t) *Paſce agnos meos . . . . . Paſce oves meas*.

(q) Lucæ 22. v. 28. 29. & 30.

(r) Joan. 10. v. 11. & 14.

(s) Epheſ. 4. v. 11.

(t) Joan. 21. v. 15. 16. & 17.

Quam Chriſti locutionem imitatus eſt Apoſtolus Petrus, dum in ſua Epiſtola prima ſic eos, ad quos Epiſtolam ſcribit, hortatur: (u) *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte &c.* Quis etiam ignorat, quod tam & ſi (quod nuper innui) Epiſcopus dicatur Chriſtus, item ut dicitur Paſtor a Petro, (20) non continuo vetitum eſſe alios quoque appellari *Epiſcopos?* immo, ut cetera prætermittam, Act. 20. verſ. 28. monemur a Spiritu Sancto poſitos eſſe *Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*.

(u) cap. 5. v. 2.

IX. Quid quod jam dudum monuit Auguſtinus, (x) ita eſſe Chriſtum unicum advocatum noſtrum, ut alii quoque ſint advocati; ſed hi ipſi advocati hoc potiantur munere, & titulo, non jure ſuo, ſed ſibi tributo a Chriſto, cujus Epiſcopi miniſtri ſunt, laborantes pro Chriſti grege, non ſuo? „ Ille eſt vere Advocatus unus, qui interpellat pro „ nobis, ſedens ad dexteram Patris: ſed advocatus unus, „ ſicut & Paſtor unus. Nam *oportet* (inquit) *me & eas* „ *oves adducere, quæ non ſunt de hoc ovili*. Ut Chriſtus „ Pa-

[x] n. 5. ſermonis olim 4. inter editos ex majoris Cartuſiæ mſſ. nunc in ſerie 255.

(*) in Epiſtola 1. cap. 2. v. 25.

(20) *Converſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum*.

„ Paſtor, Petrus non Paſtor? Immo & Petrus Paſtor,
„ & ceteri tales ſine ulla dubitatione Paſtores. Nam ſi
„ non Paſtor, quomodo ei dicitur: *Paſce oves meas?* Sed
„ tamen verus Paſtor: qui paſcit oves ſuas. Petro enim
„ dictum eſt, non *Paſce oves* tuas, ſed *meas*. Petrus ergo
„ non in ſe, ſed in corpore Paſtoris eſt Paſtor. Nam
„ ſi oves ſuas paſceret, continuo fierent hædi, quos pa-
„ ſceret.

X. Venio jam ad partem alteram, oſtendoque, duas illas partes, & munia, nempe nuncii, & interceſſoris, ſeu patroni, & advocati convenire Sanctis vita functis. Profecto noſtri ſunt nuncii, quatenus noſtras preces illis commendatas Deo porrigunt. Hinc Aſterius (y) precum noſtrarum, ac orationum veluti cuſtodes, & ad dominum delatores non obſcure eos indicat: *Precum illos, ac orationum interceſſores adhibeamus propter excellentem, qua pollent, fiduciam*. & num. 5. *Ad auxilium vero artis expers confugit: atque ad unum aliquem Martyrem adiens, per eum Domino orationem offert, verbis hujuſcemodi compellans eum, quem mediatorem adſciſcit. Qui propter Chriſtum es paſſus, intercede pro paſſione, morboque &c.*

(y) n. 4. Orationis in *Sanctos Martyres*.

XI. Quod vero patroni ſint noſtri atque advocati, tam crebro vidimus, ut hic exponi omnino neceſſe non ſit. Satis interea id ſit, quod nuper ex Auguſtino retulimus, cui adde Ambroſium hæc inquientem. (z) *Indicio eſt victores ſæculi principibus anteferri. Denique mortuis regibus in perpetuum martyres regnum cæleſtis gratiæ honore ſuccedunt: & illi fiunt ſupplices, hi patroni*.

(z) in cap. 21. Lucæ n. 12.

XII. Ambroſium Paulinus ſequitur. Etenim v. 366. Natalis XI. S. Felicis hæc ait.

Quæ Sanctus noſtri dominuſque, paterque cubilis,
Et cuſtos animæ noſtræ, & tutela ſalutis
Felix vicina ſibi cominus æde recepit,
Quæ reliquis ejus ætate recentior aulis
Exiguos cineres, & magnos ſervat honores,
Servaturque magis cuſtodibus ipſa patronis.

His jungo Valerianum in homilia 17. alibi alleganda, Philonem Carpathium, (*) ſi is eſt (21) commentariorum illorum auctor, fideliſſimos patronos Apoſtolos, & Martyres appel-

(*) in Commentariis in Canticum Canticorū ad verba illa; *adjuro vos filia Hieruſalem per capras &c.*

(21) Quamquam Petavius, aliique viri clariſſimi ea Commentaria in Cantica, quæ Philonis Carpathii præpoſito nomine in Pariſienſi Patrum Bibliotheca extant, eidem Philoni tri-

pellantem, & Prudentium in eandem ſententiam hæc elocutum:

(*) Libro de Coronis Hymno 1. in honorem Sanctorum Henniterii, & Cheledonii v. 20. & ſequent.

Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix,
Hic *Patronos* eſſe mundi,
Quos precantes ambiant.

Et rurſus

(*) Hymno 9. in quo Romani martyris, & pueri cum eo paſſi martyrium deſcribitur v. 832.

Puerum popoſcit carnifex, mater dedit,
Nec immorata eſt fletibus, tantum oſculum
Impreſſit unum. Vale, ait, dulciſſime,
Et quum beatus regna Chriſti intraveris,
Memento matris jam *Patrone* ex filio.

In ea homilia, quam nonnulli Victori Vitenſi tribuunt, & inter ejuſdem Victoris Vitenſis opera edidit Clariſſimus Ruinart, *Patronus* apud Judicem adſiſtere dicitur B. Cyprianus. Eam homiliam, quam alibi allegavi, ſi tu vis, hic rurſus allega.

Patronum etiam S. Stephanum ſæquiſſime appellat Evodius, ſeu alius, quiſquis is eſt, cui tribuas eos libros, qui de miraculis S. Stephani inſcribuntur. (*)

(*) lib. 1. cap. 4.

XIII. Sic etiam Gregorius Turonenſis Epiſcopus loquitur, tum ſæpe alibi, tum certe in prologo in librum quartum miraculorum S. Martini. En verba docti, ſanctique Epiſcopi. *Quocirca dum unuſquiſque lætificatur in gaudio ſub patrono, tunc impenſius honorem reddit debitum, cum ſe ſenſerit ab infirmitate, qua detinetur, ejus virtute mundatum; ſicut nunc de Beato, ac toto orbi peculiari patrono Martino Antiſtite, & nos, & innumeri populi ſunt experti.*

XIV. Ex his vero duo veluti corollaria eruite vos, ac primo, perperam impeti Catholicos, quod dum Sanctos viventium patronos efficiunt, Chriſti munus lædant, illique adimant titulos ſuos, præſertim præſtantiſſimum mediatoris. Nimirum tam & ſi Sanctorum patrocinium agnoſcant, fateanturque Catholici; non propterea aut patronos, aut mediatores faciunt eo patrocinii, ac mediationis genere, quo patronum, & mediatorem agnoſcunt Chriſtum. Nempe præeuntibus Patribus *Mediatores*, &

tribuunt; Tillemont tamen eidem Philoni ea videtur demere. Lege obſecro, quæ idem Tillemont Tomo X. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de S. Epiphanio diſſerens art. 16. id eſt poſtremo, pag. 510. & annotatione X. ad Epiphanium pag. 808. tradit.

Patronos quidem agnoſcimus, at eo mediationis, & patrocinii genere, quod ſecundariam, ac dependentem mediationem, ac patrocinium haud inviti appellabimus. Quod ſi id ſatis eſſe non putes, non verebimur & diſcrimina in iis ipſis partibus, & muneribus, quæ dedimus Sanctis, clarius manifeſtiuſque exhibere: veluti *mediatorem*, *patronumque primarium*, *potiſſimum*, *præcipuumque*, & ut ita loquamur, naturalem, vel in deprecando, & in advocatione Chriſtum appellantes; contra ſecundarios, dependentes, & a Deo, & Chriſto conſtitutos mediatores Sanctos, quos ipſos, ſi vis, fateor mediatores, & advocatos ad Chriſtum, ſicut ille eſt apud Patrem. Id enim S. Bernardus inter ceteros edocet hæc inquiens: (*a*) *Mediantibus illis* (Apoſtolis Petro, & Paulo) *ad illum mediatorem aſcendere potero, qui venit pacificare per ſanguinem ſuum & quæ in cælis, & quæ in terris ſunt*. Item num. 2. Sermonis intra octavam Aſſumptionis. *Opus eſt enim mediatore ad mediatorem iſtum*; *nec alter nobis utilior, quàm Maria*. Id vero dum agimus, imitamur Apoſtolum Petrum, qui in ſua Epiſtola (*b*) *Principem Paſtorum* appellavit Jeſum Chriſtum, ut ſcilicet ab iis diſcerneret, quos Paſtores quidem veros, ſed ſecundarios, & ſub Principe Jeſu agnoſcimus, & profitemur. Imitamur quoque Apoſtolum Paulum, qui eandem ob cauſam in Epiſtola ad Hebræos (*c*) Chriſtum appellavit *Paſtorem magnum ovium*. Imitamur denique Origenem, cujus verba numero ſecundo homiliæ XVI. in Joſue digniſſima ſunt quæ legantur. En illa: „ Ideo fortaſſis ipſe ſolus vere, & integre presbyter „ dicitur, ante quem nemo eſt. Igitur tam & ſi ſunt, qui „ dicantur in ſcripturis presbyteri, vel ſeniores, vel „ pontifices, tamen Dominus Jeſus ſicut in pontificibus „ pontificum princeps eſt, & ſicut in paſtoribus princeps „ paſtorum eſt, ita & in presbyteris, vel ſenioribus princeps presbyterorum putandus eſt, & in Epiſcopis princeps Epiſcoporum, & omne quodcunque honorabile „ nomen eſt, primum in hoc, & principem eſſe credendum eſt Salvatorem, quia ipſe eſt omnium caput.

(*a*) n. 1. Serm. 1. in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli.

(*b*) 1. cap. 5. v. 4.

(*c*) cap. 13. v. 20.

XV. Alterum corollarium hoc eſt; adeo abeſſe a veritate, ut id Chriſti muneribus obſit, ut ea potius commendet maxime; tum quia peculiares Chriſti partes, & munera omnino non attingit, tum etiam quia illud patrocinium, quod noſtri gerunt Sancti, in Chriſti patrocinio maxime innititur. Vel ſcilicet preces Chriſto ipſi por-

ri-

rigunt, ut nobis opituletur, vel ſi Patri porrigunt, in nomine Chriſti porrigunt, in quo unice nos adjuvant, id approbante Chriſto, qui non modicam partem eorum, quę ſibi ſunt *poteſtate propria*, diſcipulis ſuis voluit eſſe *participatione communia*.

XVI. His poſitis ſolvitur potiſſimum adverſariorum argumentum a Chriſti mediatione deſumptum. Aſſequeris nempe, de quo mediationis genere loquatur Apoſtolus Paulus: loquitur nimirum de mediatione redemptionis; proxime poſt hæc addens: qui dedit *redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Sed quis Chriſto id demat, ut Sanctis tribuat?

XVII. Neque vero, ut iterum eloquar rem eandem, propterea mediationem partior, & Chriſto tribuo mediationem redemptionis, Sanctis mediationem interceſſionis: immo vero in primo genere unicum agnoſco Chriſtum; in altero vero *eminentiſſimum*, *præcipuum*, *principem*, & ſi locutione hac uti liceat, originem, & fontem interceſſionis eum eſſe volo; Sanctos vero ſecundarios, & minores interceſſores, illis attributo a Chriſto hoc munere propter eas cauſas, quas deinceps exponam, ex quibus rurſus patebit, quid nuper objectis cumulatius, ſi vis, reſpondeas. Sed antequam finem facio, monitos vos eſſe volo, Auguſtinum, quem objecerunt, loqui de mediatore præſtantiſſimo ac ſummo: quod conſtat, tum quia opponit Epiſcopo, quem Parmenianus dixerat *mediatorem inter populum, & Deum*; (22) tum etiam, quia *unum verum* mediatorem appellat Chriſtum, quibus nominibus *ſupremum*, *eminentiſſimum*, *principem*, *præclariſſimum* indicari alibi fuſe oſtendimus, & manifeſto evincunt verba illa Chriſti: (d) *Unus eſt bonus Deus*, & (e) *Unus eſt Magiſter veſter*. . . . . *Unus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt*. Neque aliam ſignificationem habere videntur verba illa: (f) *Ut apprehendant veram vitam*: illam nempe, quæ alibi dicitur *corona Vitæ*. Illa quoque Epiſtolæ primæ Divi Petri, (g) *hanc*

(d) Matth. 19. 17.
(e) Matth. 23. 8. & 9.
[f] prima Timot. 6. 19.
(g) cap. 5. v. 12.

(22) Tamen Epiſcopum, immo forte ſimplicem Sacerdotem non veretur mediatorem appellare auctor præparationis Miſſę, quę ſub Ambroſii nomine prodiit, ſic locutus. *Et quoniam me peccatorem inter te, & eundem populum tuum medium eſſe voluiſti, licet in me aliquid boni operis teſtimonium non cognoſcas, officium ſaltem diſpenſationis creditæ non recuſes &c.*

hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis. In hac ſignificatione unicus ſane mediator eſt Chriſtus, *pro quo nullus interpellat*: *ipſe vero interpellat pro omnibus*: pro omnibus inquam, ſive deprecans ipſe Patrem, ſive approbans preces a Sanctis oblatas Patri. Ceterum Sanctorum pro nobis advocationem agnoviſſe Auguſtinum, nuper oſtendimus. Sed adhuc rurſus oſtendam, ſi vis. Nonne mediationem (quid enim aliud eſt ea, de qua loquitur, advocatio?) nos inter, & Deum Epiſcopis interdum tribuit? Cur ergo vis eam denegaſſe Sanctis? Id ex his S. Doctoris verbis compertiſſimum facio: *(b)* „ Ideo in hujus ſanctificationis præ„ paratione exiſtimo Apoſtolum juſſiſſe proprie fieri „ προσευχάς, ideſt orationes, vel (ut nonnulli minus pe„ tite interpretati ſunt) adorationes; hoc eſt enim ad „ votum, quod uſitatius in Scripturis nuncupatur εὐχή. „ Interpellationes autem, ſive, ut veſtri codices habent, „ poſtulationes fiunt, cum populus benedicitur; tunc enim „ antiſtites veluti advocati ſuſceptos ſuos per manus impo„ ſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. Clarius ne, aut expreſſius in rem noſtram loqui poterat Auguſtinus?

(b) Cap. 2. alias n. 16. epiſt. olim 59. nunc 149. ad Paulinum.

CAP. XXVII.

Depulſio cavillationum, & argumentorum, quibus Sanctorum interceſſio ex eo propterea oppugnant, quod impoſſibilis judicetur.

I. QUi Catholicorum nomen jure, meritoque profitemur; non ſolum a veteribus VValdenſibus, verum etiam ab aliis adverſariis incuſamur, quod Sanctorum interceſſionem retinentes, defendenteſque, rem plane impoſſibilem retineamus, atque defendamus. Quod ſi impoſſibilitatis hujuſce fundamenta ut adducant, expoſcimus, duo argumentorum genera exponunt, quorum quidem ope Sanctorum interceſſionem impoſſibilem eſſe, demonſtrare ſe putant. Utrumque exhibeo. En primum. Certo noverunt Sancti, preces pro ſe Deo oblatas minime acceptas illi eſſe; quippe qui eaſdem preces averſatur. Impoſſibile eſt ergo, ut fundant pro aliis; ſi enim Deo diſplicent preces fuſæ pro illo ipſo, qui orat, diſplicebunt quoque eæ, quas pro aliis fundet. Tum vero fieri omnino non poteſt, ut fundant. De antecedente ſi dubitas, ſtatim allego Caput VI. Apocalypſis: id quippe in eo edocemur, quod enixe Deum deprecantibus Sanctis, ut ulciſceretur ſanguinem eorum ab impiis effuſum; hæ preces repulſæ ſunt. *Et dictum eſt, ut requieſcerent.* (*) Alterum tale eſt. Sancti vel detinentur in loco aliquo ſejuncto a Paradiſo, quæ fuit plurimorum veterum perſuaſio: vel in Paradiſo beatitudine perfruuntur. Si primum dicis, pro nobis advocatione non fungentur, neque curabunt res noſtras, cum omnino neſciant, magnumque chaos nos inter, & illos interjaceat: immo magnum chaos illos inter, & Deum, quem proinde obſecrare non poterunt, utpote ab illo remotiſſimi: quum tamen eorum in cælis præſentiam videantur expoſcere ii ipſi Patres, quos in rem ſuam deducere conantur Pontificii. Quod ſi eos in Paradiſo extare vis: ſumma illa beatitudo, & delitiarum cæleſtium copia, qua fruuntur, adeo abſorbebit Sanctos, ut omnino res alias negligant, immo fieri omnino non poterit, quo minus negligant, tum quia cura alienarum rerum anxios efficeret, ac ſollicitos, ideoque beatitudinis expertes: nam anxietas cum beatitudine conjugi nequit: tum etiam quia ad perpetuas divinas laudes, & gratiarum actiones ve-

(*) verſ. 11.

veluti cogit ipſamet beatitudo; quippe qui ab excellentia divinæ eſſentiæ clare conſpectæ, & a beneficiorum multitudine, & pondere vincuntur, & quodam modo coguntur, ut canant canticum laudis, & ſacrificium non laudis tantum, ſed & gratiarum actionis perpetuo Deo offerant.

II. Sed in utraque argumentatione hi colludunt. Nam primum ex Apocalypſi deſumptum minime oſtendit, repulſas fuiſſe Sanctorum preces, ſed tantum iis exaudiendis breve tempus indictum eſſe. Conſtat id ex ipſiſmet verbis objectis; quippe ſi integra leguntur, talia ſunt. *Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi*. Et revera poſt breve tempus punitos fuiſſe Sanctorum inſecutores, ex eo noſcis, quod mox (*a*) Sancti invitantur, ut lætentur. *Propterea lætamini Cæli, & qui habitatis in eo*. Cauſa vero lætitiæ hujus verbis proxime præcedentibus deſcribitur: nimirum caſus Draconis, & triumphus Sanctorum, *qui vicerunt eum propter ſanguinem Agni. . . & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem*. Quid quod verſ. 4. Cap. 15. hæc canentes Sancti deſcribuntur? *Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt*. Iterum verſ. 20. cap. XVIII. *Exulta ſuper eam* (Babilonem) *Cælum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illa*. Denique in ipſo initio capitis XIX. deſcribitur plauſus, & lætitia, quæ in cælis reſonuit propter pœnas ſumptas ex Babilone: quippe tum Deus *vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus*. Quis vero hæc legens non agnoſcet, exauditas eſſe voces Sanctorum, qui vindictam expoſcebant a Domino? Ceterun (quod alibi diximus) non ex eo, quia interdum non exaudiuntur Sancti, eruere generatim potes, omnino non exaudiri, aliàs neque viventes, neque Angelos omnino non exaudiri dicendum foret, propterea quia aliquando non exaudiuntur: (*b*) & Angelus Perſidis, tam & ſi uno, & viginti diebus in precibus fundendis perſeverans, exauditus non eſt. A vero tamen alienam, fallacemque conſecutionem agnoſcet cordatus quilibet. Sane Auguſtinus, poſtquam apertiſſime edocuit, non omnia impetrari nobis poſſe a S. Stephano, de quo tum loquitur; (quod tamen refert in eos, qui Stephano ſupplicaverant, mini-

(*a*) Cap. 12. v. 12.

(*b*) Prov. 1. 28. & rurſus 21. 13. Iſai. 1. 15. Jerem. 7. 16. & rurſus XI. 11. & 14. Ezech. 8. 18. &c.

me vero in Stephanum ipſum, cujus non levis apud Deum beneficia nobis obtinendi facilitas eſt) impetrari tamen plurima fatetur, & efficaciſſime auditoribus ſuis inculcat. (c) „ Ergo hoc commendo caritati veſtræ, ut ſciatis, quod „ Orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia. „ Nam invenimus etiam in libellis, qui dantur, fuiſſe il- „ li difficultates impetrandi & accepiſſe tamen poſtea be- „ neficium, non deficiente ſupplicis fide. Non ceſſatum „ eſt, oratum eſt, & dedit poſtea Deus per Stephanum. „ Sunt verba orantis Stephani, & reſponſum eſt illi. „ *Pro qua oras, non eſt digna, hoc & hoc fecit*. Et tamen „ inſtitit, rogavit, accepit. Dedit nobis intelligere, quia „ in cujus nomine faciebat, antequam carnem deponeret, „ in ejus nomine faciunt Orationes ejus, ut beneficia „ impetrentur, quibus novit ea dari debere. Ille autem „ tamquam ſervus orat. . . . Non ergo credamus ſuper- „ bum eſſe Stephanum, cum putamus quia virtute ſua „ facit, quod facit. Per conſervum beneficia ſumamus, „ honorem, & gloriam Domino demus.

(c) Serm. olim ſi de diverſis, nunc 319. & 6. de Sancto Stephano n. 6.

Itaque (ut ad objectum ex Apocalypſi locum revertar) ſi fateor exauditas minime fuiſſe preces eas, quas ex eadem Apocalypſi novimus fuiſſe fuſas a Sanctis, non continuo fateor id propterea eveniſſe, quod eæ acceptæ non fuerint Deo: quandoquidem Sancti Patres palam monent & revera pro nobis orare, & exaudiri, & moram eam, quæ preces inter a Sanctis fuſas, & vindictam ab iis poſtulatam interpoſita eſt, rejiciendam eſſe in culpas noſtras, ob quas Deus glorificationem a Sanctis in ſuis corporibus expetitam in alia tempora differt: quæ quidem culpæ ſi non extitiſſent, exauditi celerrime fuiſſent illi. Unum profero, ſed probatiſſimum, Maximum ſcilicet Taurinenſem, qui hęc effatur. (d) „ Inter ceteros igitur Martyres, quos ſub „ ara Dei conſiſtere prædicamus, etiam B. Cyprianus adſi- „ ſtit, & cunctorum vindictam facundia uberiore proſe- „ quitur; neque enim dubitandum eſt, eum in Martyrio „ plura præ ceteris exorare, qui in Sacerdotio præ cete- „ ris plura conſcripſit. Et licet cum omnibus ſtolam „ ſplendidæ remunerationis acceperit, tamen fortaſſe e- „ loqui minus ceſſat, quo plus ſe intelligit promereri. „ Dicitur ergo illis vindictam poſtulantibus poſt datum „ munus, ut quieſcant, atque ſuſtineant, donec implea- „ tur numerus conſervorum illorum, & reliqua. Videtis „ ergo, quoniam propter nos Martyrum vindicta differ- „ tur.

(d) Serm. 9. qui ſic inſcribitur: *de natale Sanctorum, præcipue in S. Cypriani*, tom. 4. anecdo. Muratorii pag. 72.

„ tur. Dum enim nos retardamus, horum ſanguis inul-
„ tus eſt. Sed hoc contingit noſtra deſidia, qui non, ſic-
„ ut dignum eſt, religioſe vivimus, qui non pie, ſicut
„ congruit, operamur. Nam ſi bonorum operum ad Deum
„ juſtitia noſtra præcederet, jam conſervorum numerus,
„ qui expectatur, eſſet impletus. Nulli autem dubium
„ eſt, vindictam poſt judicium Martyres percepturos, qui
„ etiam ante judicium præmiis cœleſtibus honorantur.

III. Venio ad ſecundum, ajoque alibi oſtendiſſe me, & beatitudine perfrui nunc Sanctos, & ſi forte nondum ea perfruerentur, adhuc tamen favere nobis, & pro nobis advocatione fungi poſſe. Atque hic quidem jure, meritoque, id quod primo dixi, ideſt Sanctos vita functos in cælum evehi, ibique beatitudine perfrui, poſtulare poſſumus, & ſupponere: neque vero expoſcere a nobis adverſarii debent, ut rem a propoſito noſtro valde remotam pertractemus: quo quidem in argumento cum alii multi jam pridem, tum nuper Clariſſimus Muratorius ſumma cum laude ſe exercuit. Ad librum itaque, quem ea de re edidit, adverſarium inſtrui hac in diſputatione cupientem, amando. Ceterum immerito dixere, opem minime nobis ferre, neque precibus ſuis juvare nos poſſe Sanctos, ſi beatitudine non perfruuntur. Cur obſecro ad impetrationem, beatitudinem expoſcis? An quia putas Beatos tantum modo obtinere nobis a Deo beneficia? At communi Proteſtantium conſenſione, Scripturarum monitis, manifeſtaque veritate redargueris: quippe homines mortalem hanc vitam agentes ſæpe impetrant aliis beneficia non levia: probavimus quoque perſpicuis exemplis, veteres Sanctos ante Chriſti reſurrectionem in limbo detentos pro populo ſuo oraſſe, & hinc eidem populo non levia emolumenta proveniſſe. An quia impetrationi neceſſarium eſſe vis intuitum, & notitiam eorum, quibus aliquid impetratur? Sed valde tum falleris. Nemo ignorat, apertiſſime fuiſſe traditum ab Auguſtino, (e) juvari nos poſſe a Sanctis mortuis, tam & ſi res noſtras ſingillatim, & peculiariter neſcientibus, & tamen generatim pro nobis orantibus: Sicut nos generatim pro animabus purgatorio igne detentis orantes, eas juvamus, tam & ſi peculiares eorum neceſſitates, ſtatumque ignoremus. At fatebor, ſi vis, neceſſe id eſſe. Scire res noſtras poterunt Sancti, tam & ſi in cælum minime elati, neque ibi beatitudine potiti. Prohibentur ne Angeli, aut animæ recens corpo-

(e) Cap. 16. alias n. 20. libri de *cura mortuorum*.

re exutæ, & in Sanctorum chorum adſcitæ, ut res noſtras illis nuncient? aut forte alienum a veriſimili eſt, Deum, quum conveniens id judicaverit, negotia noſtra, & neceſſitates illis manifeſtare? Quàm multi etiam ex veteribus docuerunt, mundana iſta ab animabus corpore ſolutis, & in ſublime elatis veluti naturaliter proſpici? qua quidem in opinione tum forte alii, tum apertiſſime fuit Severianus Gabalorum Epiſcopus, dum ait, perſpicue res noſtras a Maria Sanctiſſima proſpici, utpote loco in ſublimi poſita. Quæ omnia tam & ſi deinceps copioſe ſim pertracturus, hic tamen innuere convenientiſſimum duxi. Profecto ii Patres; qui empyreo illatas Sanctorum animas perſpicuis verbis non deſcripſere, neque manifeſto ibi beatitudine perfrui dixerunt, intercedere tamen eas, atque invocari poſſe manifeſto edocuerunt.

An non S. Martyrem Theodorum ſic affatur Niſſenus? (*f*) „ Tu vero huc jam ades ad nos, ubicumque
„ tandem fueris, ut diei feſto præſis. Vocantem enim te
„ contra vocamus: ac ſive in ſublimi æthere habitas, ſive
„ per cæleſtem aliquem circulum verſaris, aut in choros
„ Angelorum cooptatus domino adſiſtis, aut cum virtu-
„ tibus, & poteſtatibus, ut ſervus fidelis adorationis of-
„ ficio fungeris: parumper ab iis officiis vacationem de-
„ precatus, veni ad hos, qui te honorant..... Multorum
„ beneficiorum indigemus: intercede, ac deprecare pro
„ patria apud communem Regem, ac Dominum &c.

(*f*) n. poſtremo orationis, quæ inſcribi ſolet: in S. Martyrem Theodorum.

Simili ratione Paulinus Nolanus (*g*) ſic Presbyterum Clarum, dum viveret, pietate præſtantem, cujus Epitaphium compoſuit, miſitque ad Severum, peculiari epigrammate alloquitur.

(*g*) in epiſtol. olim 12. nunc 32. ad Severum n. 6.

Clare fide, præclare actu, clariſſime fructu,
Qui meritis titulum nominis æquiparas:
* * * * * * * * * * *
Sed quia tu non hac, qua corpus, ſede teneris,
Qui meritis ſuperis ſpiritus involitas;
Sive Patrum ſinibus recubas, Dominive ſub ara
Conderis, aut ſacro paſceris in nemore:
Qualibet in regione poli ſitus, aut paradiſi,
Clare, ſub æterna pace beatus agis;
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Ut ſis Paulini, Theraſiæque memor &c.

Nec

Nec multum diſſimilia ea ſunt, quibus Pneumatium, & Fidelem Celſi pueri parentes de filii obitu conſolatur, hæc ad eos verba dirigens. (*b*)

(*b*) in eo poemate, quod inſcribi ſolet *In obitu Celſi pueri*, verſ. 577.

Quod cum ita ſit, capite ex iſtis ſolatia verbis,
Et fidos veri ſpe recreate animos:
Et pignus commune ſuperno in lumine Celſum
Credite vivorum lacte, faviſque frui.
Aut illum gremio exceptum fovet Abramio
Et blandus digiti rore Eleazar alit.
Aut cum Bethlæis infantibus in paradiſo,
Quos malus Herodes perculit invidia,
Inter odoratum ludit nemus, atque coronas
Texit odoratis præmia martyribus:
* * * * * * * * * *
Celſe, juva fratrem ſocia pietate laborans,
Vt veſtra nobis ſit locus in requie.

Quid quod Gregorius Magnus indubitate putavit, animas corpore exutas, & beatitudine nondum potitas, ſed ab ea repulſas, donec pœnas erroribus ſuis a ſeveriſſimo judice ſtatutas perſolvant, non levia nobis beneficia impetrare, aut certe nobis tribui a Deo, oſtendere his argumentis volente, quantum eaſdem animas, etſi nondum ad cæleſtem beatitudinem evectas, amet & diligat. Verba ipſa Gregorii Magni deſcribere volo, ne id temere locutus videar: (*k*) ,, Hic itaque (*Paſchaſius*) cum ,, temporibus Symmachi Apoſtolicæ Sedis Præſulis eſſet ,, defunctus, ejus Dalmaticam feretro ſuperpoſitam Dæ,, moniacus tetigit, ſtatimque ſalvatus eſt. Poſt multum ,, vero temporis Germano Capuano Epiſcopo, cujus ſu,, perius memoriam feci, medici pro corporis ſalute di,, ctaverant, ut in Angulanis thermis lavari debuiſſet. ,, Qui ingreſſus eaſdem thermas, prædictum Paſchaſium ,, Diaconum ſtantem, & obſequentem in caloribus inve,, nit. Quo viſo vehementer extimuit, & quid illic tan,, tus vir faceret, inquiſivit. Cui ille reſpondit: Pro nul,, la alia cauſa in hoc pœnali loco deputatus ſum, niſi ,, quia in parte Laurentii contra Symmachum ſenſi. Sed ,, quæſo te, pro me Dominum deprecare: atque in hoc ,, cognoſces, quod exauditus ſis, ſi huc rediens me non ,, inveneris. Qua de re vir Domini Germanus ſe in pre,, cibus conſtrinxit, & poſt paucos dies rediit, ſed jam

(*k*) lib. 4. dialogo; cap. 40.

,, di-

„ dictum Paſchaſium in loco eodem minime invenit.

IV. Nunc denique repello eam objectionis partem, in qua dixerunt, non poſſe cum cæleſti beatitudine conciliari preces. Porro beatitudo, & cæleſtium delitiarum copia omnino non vetat, ne nos adjuvent. An forte beatitudo caritatem impedit, & reliquos titulos, ob quos adjuvant nos? Neque vero anxietatem veram parit cura, quam noſtri gerunt. Nempe Angeli, *qui ſemper vident faciem Patris*, diligentiſſime res noſtras curant, ſuntque *adminiſtratorii Spiritus propter eos miſſi, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Minime vero afflictum, aut perturbatum novimus Angelum Perſidis, quum repulſas vidit preces ſuas. Summa etenim erga divinam voluntatem reverentia, atque obſequium vetant Angelos, & Sanctos cunctos perturbari, ſi ſecus viderint a Deo decretum, ſuaque vota divinæ voluntati prorſus ſubmittunt. Sæpe hoc de argumento diſſerit Gregorius Magnus, cujus tamen locum unum, quem quidem omnino legi a te cupio, hic allego, nempe caput quartum libri ſecundi Moralium, cujus verba aptiſſima ſane ad id comprobandum, quod agimus, hic deſcriberem, niſi multa eſſent. (*l*) Præclarum illud eſt etiam, quod ſub finem capitis octavi libri decimi ſeptimi Moralium ad hunc modum edocet. (*m*) *Quorum* (Angelorum) *tamen omnium una victoria eſt ſui ſuper ſe opificis voluntas ſumma, quam dum ſemper aſpiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt*. Ceterum ſollicitudinem aliquam, & curam plurimam ſi quis tribueret Sanctis, mea quidem ſententia recte tribueret, haberetque tum fortaſſe alios, tum certe anteceſſorem maximum Auguſtinum, num. 24. enarrationis in Pſal. 85. hæc elocutum. „ Contriſtatus eſt beatus Cyprianus in paſſione, modo conſolatus eſt in corona: modo & conſolatus adhuc triſtis eſt .... Omnes Martyres, qui cum illo (*Chriſto*) ſunt, interpellant pro nobis. Imitatur porro Auguſtinum Bernardus, dum hæc ait: (*n*) „ Hæc igitur noſtra, & eorum cohærentia eſt, ut nos congratulemur eis, ipſi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis, ipſi in nobis, & pro nobis militent pia interventione. Nec eſt quod de eorum ſollicitudine dubitemus, quando quidem non conſummandi ſine nobis, ſicut ſupra meminimus, expectant nos, uſque dum retribuatur nobis.

(*l*) in edit. Pat. S. Mauri cap. 7. n. 8. & ſeq.

(*m*) in edit. Pat. S. Mauri cap. 12. n. 17.

(*n*) Serm. v. in feſto omnium Sanctorum n. 11.

CAP.

CAP. XXVIII.

Occaſione deſumpta ex eo objectionum genere, quod ineſplicabilem eſſe contendit modum, quo nos poſt mortem adjuvent Sancti, eumdem modum explicare incipimus, & ſtatim quærimus, a quonam accipiamus beneficia, quæ a Sanctis poſcimus.

I. ARduam, prolixamque quæſtionem aggredimur; quam ad tria capita revocamus: a quonam accipiamus ea, quæ petimus, beneficia; & quoniam dicemus a Sanctis non veluti auctoribus, ſed tantum ut interceſſoribus nos accipere, ſecundo quæremus, per quem impetrent: an ſcilicet ipſi per ſe, an alterius ope, & interventu: demum quonam impetrent modo, an ſcilicet precibus fuſis tantum, an etiam commemoratione, & veluti objectu meritorum & Chriſti, & ſuorum. Et in hoc quidem capite primæ quæſtionis parti ſatisfacimus: ſcilicet a quonam impetrent.

II. Sic itaque diſſerunt. Inexplicabilem eſſe modum, quo Sancti nos adjuvent, ea comprobant argumenta, quę impoſſibilem eundem modum oſtendunt. Sed alia etiam extant, quibus facile oſtendas, inexplicabilem eſſe modum, quo nos adjuvent Sancti. Nimirum inexplicabilis modus eſt, quo res noſtras noverint, & ſi forte explices modum, quo noverint, explicare profecto non poteris modum, quo nos precibus adjuvent apud Deum, cum omnino non valeant fundere.

III. At aliunde etiam inexplicabilem agnoſce. Scilicet modum ignoramus, quo beneficia ea conferant, quæ Catholici a Sanctis ſe obtinere arbitrantur. Si cuncta Pater in manu Chriſti poſuit, aliunde vero non conſtat, aut Chriſtum a ſe abdicaſſe eam poteſtatem, ut transferret in Sanctos, aut cum iis diviſiſſe, ut ita loquamur, eamdem poteſtatem; aſſequi omnino non poteris, quanam fieri ratione queat, ut beneficia hæc, & dona conferant. Age: dic, a quonam impetrent. An a Deo Patre, qui tamen Chriſto tantummodo, non Sanctis, ſuorum beneficiorum diſpenſationem impertiit? An a Chriſto? perinde quaſi abjicere vellet ille a ſe ampliſſimam eam poteſtatem, quam illi dedit Pater.

IV. At quem iſta deducent ab ea perſuaſione, de qua hactenus diſputavimus? Novi equidem non eſſe neceſſe, ut modum explicemus rei illius, quam agnoſcimus, & profitemur; multorum quippe latet ratio, quum tamen ipſa non lateant. Pulchre Joannes Chryſoſtomus: (a) Sic „ hæretici (*inquit*) in hæreſi ſua perſeverant, hanc vo- „ cem ſæpius requirentes, dum alii dicunt: quomodo ge- „ nitus eſt? alii: quomodo incarnatus eſt? atque ita ra- „ tiocinationum ſuarum imbecillitati infinitam illam Dei „ ſubſtantiam ſubjiciunt. Quæ quidem ſcientes nos vita- „ re par eſt importunam illam curioſitatem. Neque enim „ *quomodo* iſtud intelligent, qui talia percunctantur, & „ a recta fide inſuper excident. (23)

(a) homil. 24. in Joan. Commentariis illuſtrans locum illum Nicodemi: *Quomodo poteſt homo naſci?*

V. At ne videar hæc elocutus, quaſi aliter evitare non poſſem objectam difficultatem, modumque explicare interventus, advocationiſque Sanctorum; rem univerſam fuſius explicare aggredior, modumque ac rationem, qua impetremus beneficia a Sanctis, expono.

VI. Porro, ut dixi, tria eſſe video quæſtionis capita, quæ cum nuper expoſuerim, hic repetere non eſt neceſſe. Quod ad primam quæſtionem attinet, in qua ſcilicet diſputatur, a quonam accipiamus beneficia, certum reor, a Deo Sanctos impetrare, obtinereque nobis beneficia, quæ fideles a Sanctis expoſcunt. Neque enim auctores ipſi ſunt, ſed deprecatores, & impetratores. Hoc apertiſſime intelligimus ex Auguſtino, qui num. 7. Sermonis ſexti de S. Stephano hæc eloquitur: (b) Ille tamquam ſervus orat . . . . non ergo credamus ſuperbum eſſe Stephanum, cum putamus, quia virtute ſua facit, quod „ facit. Per conſervum beneficia ſumamus, honorem & „ gloriam Domino demus. Canales itaque, ut ita loquamur, Sancti ſunt, fons beneficiorum Deus ipſe eſt.

(b) in ſerie 319.

Idem quoque nos edocet Tridentinum hiſce verbis: (c) „ Docentes eos Sanctos una cum Chriſto regnantes „ orationes ſuas pro hominibus Deo offerre . . . . . ob „ beneficia impetranda a Deo per filium ejus Dominum „ noſtrum . . . . . per quæ (corpora Sanctorum) mul- „ ta beneficia a Deo hominibus præſtantur &c.

(c) Seſſ. 25. ſub titulo de Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & eorum Imaginibus.

VII. Hinc

Tom. VIII. pag. 140. n. 3.

(23) Hæc verba ex antiquo interprete exſcripſi: Paulo aliter ea vertunt Patres S. Mauri, quorum interpretationem ut legas opto: addidere enim hic quoque claritatem fortaſſe nonnullam.

VII. Hinc duo erues: e quibus primum eſt, perperam impeti Catholicos, quaſi Deum temnant, & nihili æſtiment, omnem ſpem ſuam collocantes in Sanctis. Vah impudentiſſimam vocem! Omnino id a vero aberrat, & nos a Deo recepturos ſperamus id, quod ut obtineamus, deprecamur Sanctos. Nimirum non auctores, ſed uti dixi, interceſſores agnoſcimus beneficiorum, quæ ut a Deo impetrent, non ut auctores conferant, eos oramus. Alterum eſt: Ad hunc modum eſſe accipiendas quaſdam locutiones non recentiorum modo, verum & antiquiſſimorum Doctorum, qui videntur largitores efficere beneficiorum, non tantum impetratores Sanctos. Scilicet revera auctores non agnoſcebant, ſed adeo illorum impetrationi fidebant, ut certo ſibi pollicerentur, ſe ſe obtenturos, quidquid ipſi Sancti a Deo peterent. Hoc modo ſe ſe explicat Chryſoſtomus in homilia de Sanctis Bernice, & Proſdoce Virginibus, & de Juſtina earum matre, hæc inquiens. (*d*) *Jam enim ſtigmata ferunt Chriſti; cum autem hæc ſtigmata oſtenderint, omnia Regi poſſunt perſuadere.* Similiter in fine homiliæ in Juventinum, & Maximinum Martyres. *Etenim* (inquit) *ſicut milites vulnera, quæ in præliis ſibi inflicta ſunt, Regi monſtrantes, fidenter loquuntur; ita & illi in manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæcumque voluerint, apud Regem Cælorum impetrare poſſunt.* Et de Hyppolito Prudentius: (*e*)

Hyppolito ſcio me debere, Deus cui Chriſtus
Poſſe dedit, quod quis poſtulet, annuere.

De Beata vero Virgine Maria S. Bernardus in eamdem ſententiam ſic loquitur. (*f*) „ Aſcendens ergo in altum „ Virgo Beata dabit ipſa quoque dona hominibus. Quid ni „ daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec vo„ luntas. Regina Cælorum eſt, miſericors eſt; denique „ Mater eſt Unigeniti Filii Dei. Nihil enim ſic poteſt „ poteſtatis ejus, ſeu pietatis magnitudinem commenda„ re: niſi forte aut non creditur Dei Filius honorare ma„ trem; aut dubitare quis poteſt, omnino in affectum cha„ ritatis tranſiiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex „ Deo eſt Charitas, novem menſibus corporaliter re„ quievit.

VIII. Sic ergo interpretor vetuſtum illud Evodii dictum (ſi Evodium appellare eum vis, qui duos libros edidit de miraculis S. Stephani) quo auctorem beneficii ab Uzalenſi populo recepti videtur facere S. Stephanum:

(*d*) in fine homiliç.

(*e*) in lib. peri ſtephanon Hymno 10. v. 180.

(*f*) in Serm. 1. de Aſſumptione n. 2.

Quo ſcilicet auctore, quoque liberatore draco ille extinctus eſt, hoſtiſque devictus. (g) Non abſimiliter interpretor illa Prudentii carmina: (h)

Denique Doctor humi eſt: idem quoque Martyr in Supernis
Inſtruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

Item illa in Hymno de S. Caſſiano. (i)

Audit, crede, preces Martyr proſperrimus omnes,
Rataſque reddit, quas videt probabiles.

Ea quoque, quæ canit Eccleſia ipſa in Hymno Veſperarum in Feſto Sanctorum omnium.

Vos purpurati Martyres,
Vos candidati præmio
Confeſſionis exules
Vocate nos in patriam.
Chorea caſta Virginum,
Et quos Eremus incolas
Tranſmiſit actis Cælitum,
Locate nos in ſedibus.
Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus,
Ut unus omnes unicum
Ovile nos paſtor regat.

Nec alius eſt ſenſus hymni illius, quo eadem Eccleſia utitur in Feſtis Apoſtolorum ad Veſperas:

Præcepta quorum protinus
Languor, ſaluſque ſentiunt,
Sanate mentes languidas,
Augete nos virtutibus.

Denique ſic alterum Hymnum, quo Mariam alloquitur:

Funda nos in pace
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle;

Quo enim modo id ſe conſecuturam ſperat Eccleſia, mox edocet, hæc proſecuta:

Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.

quibus verbis probabilem & dicta ſua, & dicta Sancto-
rum

(g) lib. 2. cap. 4. n. 2.

(h) in fine Hymni in S. Cyprianum, qui Hymnus duodecimus eſt in lib. peri ſtephanon. v. 104. & 105.

(i) qui octavus eſt in lib. peri ſtephanon v. 97.

rum Patrum, quæ videntur aliquid multo majus Sanctis tribuere, interpretandi rationem præbet. Sane Auguſtinus, quod auctores beneficiorum viſus erat Sanctos efficere iis verbis: (k) *Faciunt autem iſta* (Miracula) *Martyres*: dictum ſuum ſtatim explicavit, hæc locutus: *vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos non Deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credamus*.

(k) lib. 22. de Civit. cap. 10.

IX. Aurea porro, atque ad rem noſtram comprobandam aptiſſima ſunt verba Paulini. En illa. (l)

Ipſo nunc Felice opus eſt, & in hoc mihi munus,
Sumat ut a Chriſto, mihi quas impertiat ipſe,
Ut digne ſibi grater opes.

(l) natali IX. v.10.

Quibus quidem monitis Eccleſiæ conſuetudo congruit: quippe cum Sanctos in iis precibus, quas litanias appellamus, ſic deprecemur: *Ora pro nobis;* Deum, ideoque etiam Chriſtum tantummodo veluti auctorem oramus hoc modo. *Parce nobis. Miſerere nobis*. Et preces profecto, non collationem ipſam beneficiorum a Sanctis expoſcit Eccleſia in eo ipſo hymno, quem nuper allegavimus, & cani diximus in feſta die omnium Sanctorum, hæc inquiens:

Placare, Chriſte, ſervulis,
Quibus Patris clementiam
Tuæ ad tribunal gratiæ
Patrona Virgo poſtulat.
Apoſtoli cum vatibus
Apud ſeverum Judicem
Veris reorum fletibus
Expoſcite indulgentiam.

Atque ex his ſane verbis, quid precibus ſuis a Deo, quidque a Sanctis petat Eccleſia, apertiſſime innoteſcit.

X. Ceterum novum non eſt, eum rei alicujus appellari auctorem, qui auctor illius non eſt, ſed tantum cooperator, & adjutor. Nonne is dicitur reo vitam donaſſe, qui vitam quidem reo non donavit, ſed precibus impetravit a Principe? Id profecto etiam indicat Auguſtinus, cujus verba ut hoc loco exſcribam, eorum præſtantia compellit. (m) *Neſcio quis habens cauſam moleſtam mittendus erat in carcerem: venit alius, defendit eum: gratias agens quid dicit? Eruiſti animam meam de carcere.* Atque ut ſcripturarum exemplis utar, nonne Apoſtolus Paulus ſe ſalvos facturum eſſe illos dixit, quos revera ſalvos fa-

(m) in verſ. 13. Pſal. 85. n. 18.

ſturus non erat, ſed tantum eorum ſaluti cooperaturus? (24) Et rurſus, nonne omnibus ſe omnia factum eſſe ait, ut omnes faceret ſalvos? (25) quum tamen certo noſſet, ſe neminem ſalvare poſſe, neque eum, qui *plantat*, *eſſe aliquid*, *neque eum, qui rigat*, *ſed qui incrementum dat Deus.* (n) Itaque propterea ſe alios ſalvos facere & optat, & ait, *quod adjutor Dei* eſſet, ut ſcribens ad Chorintios, quos Dei *agriculturam*, & *ædificationem* eſſe inquit, ſe ſe appellat; eorum nempe ſaluti cooperabatur, *miniſter factus Evangelii*, & *adimplens ea*, *quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua pro corpore ejus*, *quod eſt Eccleſia*. (o)

(n) 1 Chor. 7. 9.

(o) Coloſ. 1. 24.

CAP. XXIX.

Proponimus, ſolvimuſque quæſtionis partem alteram, id eſt per quem Sancti impetrent: an ſcilicet ipſi per ſe, an alterius ope, & interventu. Ea argumenta recenſemus, quibus permoti nonnulli putant, Sanctos a Patre ipſo immediate, interdum ſaltem petere; tum alia, ob quæ plerique arbitrantur, eos a Chriſto Patrem deprecante expoſcere, & impetrare.

I. NUnc partem quæſtionis alteram pauló operoſiorem expediamus, id eſt per quem Sancti impetrent. Et quoniam quæri merito poteſt, num per Chriſtum, num per Sanctos etiam alios Patrem orent Sancti, nobis opem precibus ſuis collaturi, utrumque inquirimus. At diligenter advertite, quando quæritur, num Sancti, nobis opem precibus ſuis collaturi, per Chriſtum orent Patrem, ſenſum quæſtionis eſſe, an Sancti orantes Patrem, omnis boni originem fontemque, Patri ipſi preces adhibeant, aut certe adhibere poſſint; an vero cuncta, quæ poſcunt, a Chriſto poſcant, cujus interventu a Deo obtineant, quæ poſcunt: quando quidem Concilium Tridentinum hac in re videtur ſinere, ut ſentiat quiſque, quod ei libuerit. Scilicet tantum edocet, (*) *a Sanctis Orationes Deo offerri pro* bo-

(*) Seſſion e 25.

(24) *Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.* Rom. 11. v. 14.

(25) *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem.* 1 Chor. 3. verſ. 7.

hominibus: beneficia vero ita a Deo recipi, ut per Chriſtum recipiantur: Et ob beneficia impetranda per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Porro adhuc a Deo per Chriſtum recipiuntur, ſi beatitudine a Chriſto recepta potiti Sancti, ejuſdemque Chriſti aſſenſu, atque hortatu a Deo petant, quæcunque petunt.

Duas video hac in re ſententias. Primam proponit, ſequiturque Cardinalis Bellarminus, & non modica Theologorum pars, qui volunt Beatos ea, quæ nobis impetrant, popoſciſſe, & obtinuiſſe a Chriſto, cui poſcenti elargitus eſt Pater. Alteram viſi ſunt ſequi nonnulli Viri doctiſſimi, qui ſcriptis ſententiam ſuam conſignarunt, & eam paucis ab hinc diebus in publica Theſium defenſione in priorem ſententiam diſputantes, probabiliorem ſúa auctoritate, & ratiocinatione efficere. Vult hæc ſententia immediate etiam a Patre Beatos poſcere, & nobis obtinere beneficia. (non admodum multa fortaſſe, nec ampla:)

II. Tribus probationum capitibus innititur prima, Scriptura, Patribus, & Eccleſiæ conſuetudine. Hæc magna ex parte refero ex Bellarmino ſic fere diſſerente. Si Scripturam conſulas, Chriſtus ſolus eſt, qui mundum reconciliavit in gratiam Dei, nobiſque promeruit gratiam, & gloriam, & quæcumque ſaluti æternæ obtinendæ neceſſaria ſunt. Hoc modo Paulus: (*a*) *In ipſo* (inquit) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem Crucis ejus, quæ in terris, & quæ in Cælis ſunt.* Et Joannes Apoſtolus: (*b*) *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Hinc Chriſtus dicitur *Oſtium*, (*c*) & *Via*. (*d*) Quin idem Chriſtus (*e*) non obſcure indicat per ſe tantum acceſſum patere ad Patrem. *Petite* (inquit ille) *in nomine meo.* (*f*)

III. Patres hæc ſubminiſtrant. Ambroſius in libro de Iſaac. *Ipſe Chriſtus eſt* (inquit) *os noſtrum, per quod Patri loquimur: oculus noſter, per quem Patrem videmus: dextera noſtra, per quam nos Patri offerimus.* Auguſtinus in Pſal. 108. exponens verſiculum (*g*) *Oratio ejus fiat peccatum*, hæc eloquitur: *Oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit peccatum.* Bernardus in eo Sermone de Beata Virgine Maria, qui incipit (*h*) *Signum magnum: Opus eſt* (inquit

(*a*) Coloſ. 1. v. 19.
(*b*) in priore Epiſt. cap. 2. v. 2.
(*c*) Joan. 10. v. 1. & 9.
(*d*) Joan. 14. v. 6.
(*e*) Joan. 16. 23.
(*f*) Rurſus v. 24. & 26.
(*g*) reſpondet vero in edit. PP. Benedictinorum n. 18.
(*h*) In edit. Patris Mabillon inſcribitur *de duodecim prærogativis B. Virginis Mariæ, & verbis Apocalypſis: Signum magnum*: & recitatus dicitur dominica infra octavam Aſſumptionis.

quit n. 2.) *mediatore ad mediatorem iſtum*, *nec alter nobis utilior*, *quam Maria*.

His, quos protuli ex Bellarmino, alios, ſi vultis, adjungite. Origenes toto fere libro 8. contra Celſum edocet, ea, quæ obtinemus a Deo, per Chriſtum unicum noſtrum advocatum obtineri; illum eſſe interceſſorem, illum mediatorem unicum noſtrum; quibus poſitis eruit, uni illi propterea preces, illi vota cuncta noſtra commendanda eſſe; nam per illum tantum acceſſus patet ad Patrem. Ad hæc, dum Patres Sanctorum patrocinium, modumque deſcribunt, quo nos adjuvant Sancti, eoſdem Sanctos Chriſtum orantes, placanteſque deſcribunt. Hoc modo Paulinus (*i*) S. Felicem alloquitur.

(*i*) in carmine ſecundo edito in Natali S. Felicis v. 31.

Sis bonus o felixque tuis, Dominumque potentem
Exores; liceat placati munere Chriſti
Poſt pelagi fluctus, mundi quoque fluctibus actis,
In ſtatione tua placido conſiſtere portu.

Forte inculcat ab eandem ſententiam idem Paulinus in panegyrico carmine de obitu Celſi v. 621. & ſubſequentibus: & Prudentius, in hymno quinto peri ſtephanon ſic D. Vincentium deprecans v. 557.

Miſerere noſtrarum precum,
Placatus ut Chriſtus ſuis
Inclinet aurem proſperam,
Noxas nec omnes imputet.

IV. Quod denique pertinet ad preces Eccleſiæ, hæc univerſim habete: Preces omnes, in quibus Sanctorum, & interceſſionis eorum fit mentio, talem formam habent. *Concede nobis*, *Deus*, *interceſſione hujus Sancti tale beneficium per Chriſtum Dominum noſtrum*. Cuncta ergo, quæ Sanctorum interceſſione ſe recepturam ſperat Eccleſia, ita ſe recepturam ſperat, ut per Chriſti interventum, mediationem, atque advocationem ſe recepturam ſperet. En in ſumma argumenta, quibus prior ſententia innititur.

V. Altera ad infirmandam priorem ſententiam duobus argumentorum generibus utitur. Primum appellare libet probationes poſitivas; Negativas probationes, id eſt ſolutiones argumentorum, quibus prior ſententia innititur, complectitur alterum. Exordiamur a primo. Profecto novimus, dum Patres deſcribunt modum, quo precibus ſuis Sancti nobis opitulentur, interdum deſcribere Sanctos fundentes preces Chriſto, illique commendantes deſideria ſua, eorumque, quibus opem ferre cupiunt; interdum etiam

iam fundentes Deo ipſi. Interdum itaque fiet, aut certe nihil erit, quod vetet id fieri, ut Sancti Deo ipſi porrigant preces.

Porro Patres hi ſunt. D. Paulinus (k) hæc ait.

. . . . hæc vota tuorum
Suſcipe, commendaque Deo, ut cum ſedula cura
Servitium noſtrum longo tibi penderit ævo,
Tum demum placidos &c.

(k) v. 120. Natalis tertii S. Felicis.

D. Leo in Sermone recitato in octava Apoſtolorum Petri, & Pauli in fine hæc eloquitur. (l) *Ad emendationem noſtram utamur lenitate parcentis: ut Beatus Petrus, & omnes Sancti, qui nobis in multis tribulationibus affuerunt, obſecrationes noſtras pro vobis apud miſericordem Deum adjuvare dignentur.* Alii quoque adſunt Patres eadem elocuti, quos, ſi libet, apud Petavium conſule.

(l) in edit. Queſnellii 81.

VI. Ne vero quis putet, aut Chriſtum intelligi nomine Dei, aut preces Deo porrectas eas eſſe, quæ Deo porriguntur mediante Chriſto, alia afferuntur Patrum dicta, in quibus Sancti deſcribuntur orantes ad thronum Patris. Itaque Prudentius Sanctum Vincentium ſic deprecatur: (m)

Adeſto nunc, & percipe
Voces precantum ſupplices,
Noſtri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.

(m) in Hymno 5. peri ſtephanon v. 545.

VII. Et profecto novimus, non modo factam Apoſtolis facultatem, ut Patrem ipſum deprecarentur, verum etiam promiſſum eſſe illis, id cum proventu factum iri. (n) „ In illo die (*inquit Chriſtus Apoſtolos alloquens*) me „ non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: ſi „ quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. „ Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo: „ petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Et v. 26. „ . . . . In illo die in nomine meo petetis: & „ non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: „ ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & „ crediditis, quia ego a Deo exivi. Porro ſi *illum diem*, quem hic deſignat Chriſtus, eſſe velis diem mortem Apoſtolorum ſubſecuturum, id habeo, quod opto: nempe novimus degentes in cælis Apoſtolos, ſi quid petierint Patrem in nomine Jeſu, certo conſecuturos: neque opus eſſe, ut Chriſtus oret Patrem: cum Pater ipſe, & ſi non peculiariter oretur a Chriſto, tamen Apoſtolorum preces per Chriſti merita fundi intelligat, & per Chriſtum fuſas

[n] cap. 16. Joan. v. 23.

per Chriſtum excipiat, & in precibus Apoſtolorum, etiam ſi a Chriſto non rogatus, tamen Chriſti, ut ita dicamus, virtutem ſentiat. *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego a Deo exivi.* Si vero eſſe velis diem futurum, dum adhuc viverent: tum id argumentationem ſubminiſtrat, quam appelles *a pari*, forte etiam *a fortiori*: Si enim adhuc in hac vita degentes impetrare a Patre ipſo poſſunt, quæ petunt, cur non poterunt impetrare degentes in Cælis? Opportuniſſima hic quoque eſt argumentatio Hieronymi. (o) *Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* Et certe, uti animadvertit Auguſtinus, (p) non aliud exquiſivit ab Apoſtolis Chriſtus, dum eos ad orandum Patrem hortatus eſt, niſi ut ſpiritualia peterent, conſtanter peterent, denique in nomine Chriſti peterent. Id ſi facerent, procul dubio, quod peterent, obtinerent. „ Hoc quod dicit *gaudium plenum*, „ profecto non carnale, ſed ſpiritale gaudium eſt: & „ quando tantum erit, ut aliquid ei jam non ſit addendum, procul dubio tunc erit plenum. Quidquid ergo „ petitur, quod pertineat ad hoc gaudium conſequendum, hoc eſt in nomine Chriſti petendum, ſi divinam „ intelligimus gratiam, ſi vere beatam poſcimus vitam. „ Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia „ nulla omnino res eſt, ſed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiſcitur, nihil eſt . . . . . „ Ut igitur in ejus nomine non nihil, ſed gaudium plenum petant, (quoniam ſi aliquid aliud petant, idem „ aliquid nihil eſt) exhortatur dicens: *petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*: id eſt, hoc in nomine „ meo petite, ut gaudium veſtrum ſit plenum, & accipietis: iſto enim bono in petendo perſeverantes Sanctos ſuos nequaquam miſericordia divina fraudabit.

(o) in lib. contra Vigilantium n. 7.

(p) ad verba Joannis nuper allegata n. 2. tractat. 102. in Joannis Evangelium.

Tanto vero opportunius ad id, de quo agitur, eſſe videtur hoc monitum, quanto apertius novimus, Auguſtinum loqui de Apoſtolis, *gaudium plenum, cui aliquid non ſit addendum*, jam obtinentibus, ideoque cæleſtem beatitudinem aſſecutis.

VIII. Ad hæc: Chriſtus Apoſtolorum meritis, (quæ a Jeſu meritis procul dubio proveniunt) amori nempe, & fidei: *quia vos me amaſtis, & credidiſtis*, tribuit cur a Pa-

tre

tre amentur : *ipſe enim Pater amat vos*. Quod ſi a Patre amantur, cur Patrem ipſi adire non poterunt, eumque deprecari & poſcere, quæ nobis optant beneficia? Sane ſi Deum Patrem deprecantes nos, propter Martyrum merita deprecari poſſumus, & eorum memoria, & veluti objectu Patri nos commendare, cur Patrem deprecari non poterunt Sancti ipſi, ſua merita commemorantes, eorumque memoria, & veluti objectu eumdem cæleſtem Patrem ad miſericordiam flectere? Adde & iſta. Nos certe Patrem ipſum adire poſſumus, eumque deprecari & pro nobis, & pro aliis; immo id quotidie facit Sacerdos in Miſſa, noſque in privatis precibus, cum Dominicam Orationem recitamus. Cur ergo adire non poterunt Patrem ipſum Sancti, eumque deprecari? Forte ne minus accepti ſunt Patri Sancti degentes in Cælis, quam nos peccatorum ſordibus ſæpiſſime polluti, & fœdi?

IX. Et en primum caput probationum, illud ſcilicet, quod poſitivas probationes complectitur. Aggrediamur caput alterum, quod ſolutiones argumentorum, quibus prior ſententia innititur, continet. Ad prima teſtimonia ex Scriptura deſumpta ajunt, iis oſtendi tantummodo, quod ultro conceditur; nempe per Chriſtum redemptum fuiſſe humanum genus. Quis id auſit vertere in dubium? Sed id longe abeſt a controverſia, quæ nunc inſtituta eſt. Porro ad ea teſtimonia, in quibus Chriſtus dicitur *Oſtium*, & ipſe ſolus, per quem venimus ad Patrem, reſpondent veriſſimum id eſſe, primo quia ipſe ſolus redemit, & ſanguine ſuo humanum genus cum Patre reconciliavit. Secundo, quia ſi quid obtinent Sancti, a Patre obtinent ob merita, quæ Chriſtus ſanguine ſuo acquiſivit, & tribuit eis: ideoque *Oſtium* ſemper eſt ille, per quod ad Patrem acceſſus patet. Tertio, quia non ſolum permittente, verum etiam approbante, & ſi loqui ita liceat, invitante, alliciente, impellenteque Chriſto petunt a Patre. *Amen, amen dico vobis; ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis .... petite, & accipietis .... In illo die in nomine meo petetis*. Quod ſpectat ad petitionem in nomine Chriſti faciendam: *In nomine meo petetis*, jam pridem edidicimus, multa ab illa ſignificari. Scilicet ſignificatur, petenda eſſe recta: *neque enim* (inquit Auguſtinus) *petitur in nomine Salvatoris, quod alienum eſt a ſalute*. Petenda eſſe modo recto, & ſicut præcepit, & ſuo exemplo monſtravit Chriſtus: nempe cum humilitate,

in fide, & reliquis conditionibus, de quibus fuſe alibi diſſeremus. (q) Petenda eſſe propter merita Chriſti: his nempe commemoratis, Deoque Patri objectis flectitur ad pietatem, & beneficia impertit. Atqui id totum utique manet, etiam ſi Patrem ipſum orent Sancti, non autem Chriſtum, ut is oret Patrem; ac ſi ſua Patri objiciunt merita, (qua de re agemus infra e doctrina Chryſoſtomi) ea ſic objiciunt, ut a meritis Chriſti nequaquam diſjungant, immo nonniſi per ipſa Chriſti merita quidquam valere velint.

(q) de invocatione ſub finem diſſertationis.

X. His vero ſolutionibus Sanctorum Patrum teſtimonia explicantur, atque in primis locus Ambroſii in libro *de Iſaac*: ex quo tamen deſumpta a Bellarmino verba paulo aliter exhibentur in editione Patrum S. Mauri: ubi talia ſunt cap. 8. alias num. 75. „ Ipſe ſit caput noſtrum, quia caput Viri Chriſtus: ipſe oculus noſter, ut per illum videamus Patrem; ipſe vox noſtra, per quam loquamur ad Patrem; ipſe dextera, per quam Deo Patri Sacrificium noſtrum deferamus. Et ſane ſic accipi debere verba iſta, ut neceſſe non ſit prius Chriſtum deprecari, a quo preces noſtræ ferantur ad Patrem, oſtendunt viventium preces (ad quas ibi maxime Ambroſius reſpexit) Deo ipſi Patri delatæ.

XI. Auguſtini verba non ſic volumus accipi, ut quævis noſtra oratio dirigi ad Chriſtum debeat; nam ſi id deposceretur, non poſſemus Patrem alloqui, illique dicere: *Pater noſter, qui es in Cælis &c.* Ita ergo volumus accipi, ut doceat ſanctus doctor, eam orationem Deo, ac Chriſto diſplicere, quæ fit ſecus ac juſſerit Chriſtus. Porro oratio, in qua a Patre cæleſti *in nomine Chriſti* aliquid petitur, non fit ſecus ac juſſerit Chriſtus: Et profecto qui immediate ad Patrem confugit, & Patrem immediate orat, per Chriſtum confugit, per Chriſtum orat. Ceterum Auguſtini verba ipſa quoque paulo aliter exhibentur in editione Patrum S. Mauri n. 18. En illa. *Et oratio ejus fiat in peccatum, quia non fit per mediatorem Dei, & hominum, hominem Jeſum Chriſtum*: loquitur vero de precibus, quas Judæi poſt Chriſti legem per orbem enunciatam Deo fundunt, quas procul dubio ita fundunt, ut nullo velint modo Chriſti interceſſione, aut merito inniti. Vide verba ipſa Auguſtini.

XII. Bernardi verba ſic accipimus, ut opportunum ſit, laudabile, proficuum, deprecationes noſtras Mariæ

com-

commendare; ea quippe a nobis rogata, Chriſtum fidenter, atque efficaciter rogabit, exorabitque. At id multum abeſt ab ea controverſia, de qua nunc agimus. Hujus modi explicationem tribuimus Origenis, Paulini, & Prudentii dictis.

XIII. Preces Eccleſiæ non eæ ſemper ſunt, ut claudantur ea concluſiuncula *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Quod ſi omnes ab ea clauderentur, id minime videretur aptum præſenti quæſtioni ſolvendæ. Quod ad primum attinet, certa res eſt, orationem, quam Dominicam, ſeu *Pater noſter* appellamus, quæque a nobis ad Patrem dirigitur, non eo claudi modo. Ad hæc: multæ preces a nobis diriguntur ad Patrem, quæ hac concluſiuncula non clauduntur. Hujus modi eſt ea, quæ in Vigilia nativitatis Domini recitatur; ea, quæ recitatur in feſto S. Stephani, & aliis etiam diebus feſtis. Quin jam pridem id in more fuit. Hoc modo in libro primo *Sacramentorum* Gelaſii Papæ, quem edidit optimus Cardinalis Thomaſius, in die natalis Domini hæ preces, quas *Secreta* appellant, recitantur in Miſſa. *Oblatio tibi ſit, Domine, hodiernæ feſtivitatis accepta: quia & noſtræ reconciliationis proceſſit perfecta placatio, & divini cultus nobis eſt indita plenitudo Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui tecum vivit &c.* Simili clauditur modo ea oratio, quæ cap. 85. ejuſdem libri extat: inſcribiturque *Benedictio ſuper eos, qui de Ariana ad Catholicam redeunt unitatem*, & aliæ etiam, adeo ut manifeſto conſtet, non eo, quo tantum claudi dicunt Eccleſiaſticas preces modo, re vera omnes claudi. Sed age: ita claudantur. An non manifeſta res eſt, diſtare plurimum has duas res: Eccleſia rogans Patrem, merita Chriſti commemorat, & propter ea obſecrat, ut quæ petit, obtineat: Sancti in Cælis Chriſtum tantummodo rogant, & ab eo expoſcunt, quæ nobis tribui optant beneficia?

XIV. En utriuſque partis argumenta. Vos utramlibet eligite, uſque dum Eccleſia aliquid hac in re definierit. Ego tamen Bellarmini ſententiam prætulerim alteri, tum ob eorum auctoritatem, qui eam amplectuntur, & ſuſtinent, tum etiam quia ita Oratores ad thronum Patris Sanctos eſſe poſſe concipio, ut Chriſtum orent ſedentem ad dexteram Patris. Utcumque ſit, ejus generis eſſe noveritis hanc controverſiam, ut ſine Chriſtianæ pacis diſſidio, ſine caritatis offenſione amice inter Catho-

tholicos inſtitui poſſit: & eam propterea Tridentinum dirimere noluit.

CAP. XXX.

Oſtenditur Sanctos ferendæ nobis opis cupidos aliorum etiam Sanctorum ſuffragia, & adjumenta non recuſare.

I. AT alteri quæſtionis parti ſatisfaciamus eſt opus. An ſcilicet, dum pro nobis orant Sancti, aliorum etiam ſuffragium, & ſtudia expoſcant, aut certe interdum admittant.

Quod neceſſe habeant aliena ſuffragia expoſcere, id nemo, ut arbitror, edocebit. Nempe ſi Deum deprecaturi nos omnino non jubemur, ut aliena ſuffragia expoſcamus, multo minus jubebuntur Sancti, qui Deo & majori amore, atque, ut ita loquar, propinquitate junguntur. Et re vera ita fere deſcribuntur Sancti deprecantes Deum, ut ipſi deprecentur, alieni ſuffragii neque indigi, nec petitores. Quæritur ergo tantummodo, num in difficilioribus quibuſdam ad impetrandum petitionibus, ut vim earundem petitionum augeant, aliena ſuffragia exquirant, aut certe admittant. An non videmus Victorem Vitenſem in fine libri quinti hiſtoriæ Vandalicæ ita Angelorum, & Sanctorum omnium ſuffragia, ſtudiaque apud Deum expoſcere, ut ſingulos quoſque Sanctorum choros percurrat, eoſque enixe deprecetur, ut a Deo arduam ſane, ſed Deo certe haud difficilem liberationem impetrent? An non alte inſidet noſtris mentibus perſuaſio, multorum precibus ſæpe obtineri, quod uno deprecante minime obtineretur? Etiam id interdum a Sanctis fieri, indicare videtur D. Baſilius, dum numero ſexto Orationis in quadraginta Martyres eos *invicem ſuffragatores* appellat: Sic quippe accipi poſſunt ea verba, ut alter alterum adjuvet ſuffragio ſuo. Id quoque haud obſcure indicare videtur Auguſtinus, dum ſæpe generatim docet, junctis multorum precibus facilius ad pietatem flecti Deum. Sed certe palam traditur a Gregorio Niſſeno, dum n. 7. Orationis in Sanctum *Magnum Martyrem Theodorum*, ſic eum alloquitur. „ Nos enim etiam, quod incolumes, „ & integri conſervati ſumus, tibi beneficium acceptum „ referimus; petimus autem etiam futuri temporis præ„ſidium atque ſecuritatem. Quod ſi majori etiam opus

fue-

,, fuerit advocatione, ac deprecatione, fratrum tuorum
,, Martyrum coge chorum, & cum omnibus una depre-
,, care; multorum Juſtorum preces multitudinis, ac po-
,, pulorum peccata luant. Admone Petrum, excita Pau-
,, lum, Joannem item theologum, ac diſcipulum di-
,, lectum, ut pro Eccleſiis, quas conſtituerunt, ſolliciti
,, ſint, pro quibus catenas geſtaverunt, pro quibus pe-
,, ricula, ac mortes tulerunt. In eandem ſententiam quædam haud fortaſſe inopportuna tradunt Gregorius Turonenſis, (*a*) & Romana Eccleſia in precibus Miſſæ Sanctorum Proceſſi, & Martiniani, quas deinceps allegabimus. Origenem quoque perſuaſum fuiſſe, Angelos in ferenda nobis ope ab aliis Angelis adjuvari, ex notiſſimis illis homiliæ 1. in Ezechielem verbis manifeſto innoteſcit. *Veni, Angele, ſuſcipe ſermone converſum ab errore priſtino, a doctrina Dæmoniorum . . . . . confove, atque inſtitue . . . . . advoca tibi alios ſocios miniſterii tui, ut cuncti pariter eos, qui decepti ſunt, erudiatis ad fidem.* Quin etiam ſcriptura ipſa non levem ſubminiſtrat hujuſce perſuaſionis probationem, dum diſcimus ex Daniele, (*b*) obſecranti Angelo pro reditu populi Iſrael ad patrias ædes, ſucceſſiſſe precum ſocium *Michaelem unum ex principibus*, atque ita demum expugnatum, ſi loqui ita liceat, Dei animum, conceſſumque reditum populo. *Ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remanſi juxta Regem Perſarum.*

(*a*) lib. 12. hiſtor. Franco. n. 7.

(*b*) cap. 10. v. 13.

CAP.

CAP. XXXI.

Num pro nobis impetrent Sancti non modo precibus apud Deum fuſis, verum etiam objectu meritorum Chriſti, & ſuorum.

I. ID paucis diſſolvo. Quod preces fundant, crebro vidimus, neque opus eſt, ut ea in re immorer, cum ſatis ſuperque de ea egerimus, non omiſſuri eandem tractationem Capitibus ſubſequentibus. Quod vero præter ſimplices, & nudas, ut ita loquamur, preces, alia expreſſe adjungant, perſuadere videntur crebra monita Sanctorum Patrum, a quibus edocemur, opportuniſſimum eſſe, ut in precibus noſtris Chriſtum Patri expreſſe objiciamus, illique merita Dei Filii offeramus, quorum intuitu flectitur Pater ad pietatem, nobiſque dat in nomine *Salvatoris* quæ petimus *Salutaria*. Sed præter infinita merita Sanctiſſimi illius Filii Jeſu Chriſti, quibus multo maxime fidunt Sancti, ſua quoque Patri offerri ab iiſdem Sanctis, didicimus tum ex aliis id indicantibus, (& certe id innuit etiam Maximus Taurinenſis in ſermone in S. Cyprianum nuper allegato) tum manifeſto ex Joanne Chryſoſtomo in homilia de Sanctis Bernice, & Proſdoce Virginibus, & in homilia in Juventinum, & Maximinum martyres, e quibus nuper teſtimonia deſumpſimus, ad quæ vos amando. En quæ habebam vobis tradenda de modo, quo beneficia nobis impetrant Sancti.

CAP.

CAP. XXXII.

Proponuntur primo, tum diſſolvuntur ea argumenta, quibus probare contendunt, temere inductam eſſe eam perſuaſionem, quæ ſtatuit, Sanctos vita functos ſuis apud Deum precibus, ac ſuffragatione nos adjuvare.

I. TRanſit jam diſputatio noſtra ad ea argumenta, quibus nonnulli abutuntur, ut oſtendant, temere inductam eſſe eam perſuaſionem, quæ ſtatuit, Sanctos vita functos ſuis apud Deum precibus, ac ſuffragatione nos adjuvare. Sic enim differunt. In Scriptura Sanctorum interceſſio non traditur, immo palam oppugnari videtur ab iis, quæ de Chriſti advocatione, & mediatione apertiſſime edocemur. Certo etiam novimus, interceſſionem merito inniti: porro merito locus non extat in Paradiſo, ideoque in Paradiſo non extabit locus interceſſioni: hinc Sancti in Paradiſo pro ſe Dominum non deprecantur: ſed potius Eccleſia pro iis deprecatur; & certe melioribus, doctioribuſque temporibus deprecabatur, uti conſtat ex antiqua illa prece, quæ poſtea ex Miſſalibus dempta eſt, in qua pro anima Sancti Leonis Eccleſia fundebat preces. Novimus denique ex Auguſtino de Gratia differente, a Deo non peti, quod in manu noſtra eſt, & jam recepimus: hinc vitam, & dona naturalia non petimus, quod ea habeamus: At certa res eſt, & jam pridem Eccleſiam preces fudiſſe ad Deum, & nunc etiam fundere, ut Sanctorum preces, atque interceſſionem conſequatur. Temere ergo putant, qui putant, Sanctos orare, atque advocationem noſtri agere. Porro Eccleſiam eam ob rem preces ad Deum fundere, conſtat ex plurimis Orationibus, quas ea Miſſarum ſolemniis inſeri voluit. Hoc modo in feſto Cathedræ Sancti Petri in ſecretis Orationibus ſic deprecatur. *Eccleſiæ tuæ quæſumus, Domine, preces, & hoſtias Beati Petri Apoſtoli tui commendet oratio, ut quod pro illius gloria celebramus, nobis proſit ad veniam.* Et in die Converſionis Sancti Pauli in ea prece, quam *Poſt communionem* appellant, ſic Deum oramus. *Sanctificati, Domine, ſalutari myſterio quæſumus, ut pro nobis ejus non deſit oratio, cujus nos donaſti patrocinio gubernari.* Eadem fere

re nos docet oratio illa, quam Eccleſia Deo porrigit in natali Sancti Stephani, quæque extat in *Libro Sacramentorum*, quem Gelaſio Papæ tribuit Optimus Cardinalis Thomaſius, aliæque hujus generis plurimæ, quas præſertim in Miſſali, quod Mozarabicum appellant, facile reperies.

II. Sed ſi diligenter hæc expendas, invenies, haud difficilia ad ſolvendum eſſe illa, in quibus tamen non leve robur ineſſe putant. Sane temere inductam eam perſuaſionem, quæ cenſet, Sanctos noſtri curam agere, ſuoque præſidio opem nobis ferre, non probant ex eo, quod hæc eadem perſuaſio in Scriptura non indicetur. Nimirum ajo re vera extare in Scripturis certa argumenta interceſſionis. Ea vero retulimus, neque opus eſt, ut hic iterum referamus. Ceterum etiam ſi in Scripturis ea de re nos minime edoceremur, non propterea temere inductam noſtram perſuaſionem poſſemus dicere. Quot enim in Scripturis non extant, & tamen a Proteſtantibus ipſis probantur? Perpetua Mariæ Virginitas in horum numero eſt; Baptiſmus recte collatus infantibus; adultis vero collatus ſine immerſione totius corporis, aliaque id genus non pauca, quæ Proteſtantes ipſi ultro admittunt; ex Scriptura tamen omnino probare non poſſunt, tam & ſi nos ex traditione manifeſto probemus. En primæ probationi factum ſatis.

III. Venio ad alteram. Ajo itaque, locum acquiſitioni novi meriti non extare in Paradiſo; extare vero locum præmio ejuſdem meriti. Porro ad præmium ſpectare voluit Deus impetrationem beneficii alteri conferendi. Neque vero id alienum eſt a recta ratione, aut a frequentibus, nobiſque familiaribus exemplis. An non recta ratio nos perſuadet, argumentum eſſe non leve, quod diligamur ab aliquo, ſi noſtri cauſa, & interventu alios etiam muneribus, & honore afficiat? Hinc ad Principem per illius amicos plerumque confugimus, id recepturi, quod nos ipſi orantes minime reciperemus, & crebro conſpicimus, eos, qui ſuis præclaris geſtis Regis animum ſibi devinxerunt, tam & ſi dignitates eas, & ſummos honores obtineant, quos ſua merita expoſcebant, adeo ut novos acquirere jam non poſſint, adhuc tamen juvare alios, & Regem beneficentiorem iis efficere, qui ad ſe confugere. Itaque ad interceſſionem requiritur meritum; ſed ſatis eſt præcedens, & perſeverans; minime vero

re-

requiritur, ut aditus pateat acquiſitioni novi meriti. Id non modo innuit, verum etiam valde apta ratione confirmat Hieronymus, ex eo deſumpta, quod ii, qui expleto vitæ curriculo Deo fruuntur, majori pollent apud Deum poteſtate, ſi loqui ita vis, & interceſſionis vi, quàm ii polleant, qui mortali adhuc vita Deo ſerviunt: „ Nos ſimpliciter intelligimus (*inquit Hieronymus*) (*a*) quod omnis Sanctus, qui jam cum Deo eſt, major ſit illo, qui adhuc conſiſtit in prælio. Aliud eſt enim coronam victoriæ poſſidere, aliud adhuc in acie pugnare &c. Id vero ut magis conſtet, ex Scripturis confirmo. Neſcis ne, particulas illas, quas vulgatus interpres vertit *propter* fere cauſam motivam, aut certe motivæ affinem, & conterminam deſignare? Id norunt omnes, adeo ut probatione non egeat. Porro ſi verum id eſt, Cælitum interceſſionem manifeſto inſinuatam arbitror in notiſſimis illis Danielis tertio verſ. 34. & 35. *Ne, quæſumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Quamquàm autem alibi etiam monuerim, hic tamen repetere opportunum reor hæc monita. Dominus ipſe id haud obſcure innuit, dum oſtenſurus, (*b*) quantum apud ipſum valerent Sanctorum vita functorum merita, virtuteſque, hæc ait: *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter David ſervum meum.* Quæ verba Chryſoſtomum impulerunt, ut hæc diceret: (*c*) „ Sæpe, quando non inventus eſt in præſenti via juſtus, propter defunctorum virtutem, viventium miſeretur Deus, & curam habet: unde clamat dicens: protegam civitatem hanc propter me, & propter David puerum meum, quaſi diceret. Licet ipſi indigni ſint, qui ſalventur, & nullam ſalutis habeant occaſionem; verum quia ſolitus ſum miſericorditer agere, & ad miſerandum promptus ſum, & ad eripiendum e calamitatibus, propter me ipſum, & propter puerum meum David protegam; & qui ante tot annos e vita migravit, hic auctor eſt ſalutis iis, qui ſua ſeſe perdiderant deſidia. Lege quæ tradit idem Chryſoſtomus, ſeu alius, quiſquis is eſt, cui tribuas homiliam ſecundam in Pſalm. 50. & quoniam eam alibi allegavimus, hic rurſus allegare opus non eſt. Tamen hic ſi cites ejuſdem Chryſoſtomi homiliam quartam in caput primum Matthæi, ea afferes monumenta, quæ ad rem

(*a*) lib. 1. commen. in cap. 11. ad verſ. 11. Matth.

(*b*) cap. 19. v. 34. lib. 4. Reg.

(*c*) n. 5. homil. 42. in Geneſim, quæ eſt in cap. 18.

præſentem aptiſſima erunt. Quid? an non id etiam edocet S. Maximus Taurinenſis, (d) de S. Cypriano hæc elocutus: „ Licet cum omnibus ſtolam ſplendidæ remunerationis acceperit, tamen fortaſſe eloqui minus ceſſat, quo plus „ ſe intelligit promereri?

IV. An non etiam id Hieronymus tradit, dum hæc ait? (e) „ In multis regibus legimus de ſtirpe David, „ quod non ſuo merito, ſed David patris virtutibus conſervati ſunt, qui fecerit placitum in conſpectu Dei. Et rurſus: (f) „ Sæpe legimus, quod propter ſanctos patres filiorum miſereatur Deus. Denique ne multa ejuſdem Patris loca referam: nonne alibi ſic ille loquitur? (g) „ Quare moriemini domus Iſrael, qui habetis „ patres Abraham, Iſaac, & Jacob, de quibus ſcriptum „ eſt: *Deus vivorum, & non mortuorum.* Cur veſtro vitio moriemini, qui Patrum merito, & mea debetis vivere miſericordia? Cujus quidem rei & ea hic adduci ratio poteſt, quam capite decimo nono; ea quoque, quam capite viceſimo enucleate expoſuimus: cui ſi addideris eam, quæ a majori Sanctorum mortali vita functorum præſtantia, ideoque apud Deum familiaritate, & ſi ita loqui ſinis, auctoritate deſumitur, probabilem rationem afferes, & quam jam pridem tradidit Hieronymus, (h) aliique Patres, quorum dicta cum antea allegaverimus, hic repetere non eſt neceſſe. Jam reliqua expediamus.

V. Quod Sancti in Cælis degentes, ut aliquid pro ſe impetrent, Dominum deprecentur, conſtat ex precibus Deo porrectis, deſcriptiſque in Apocalypſi, (i) quarum nuper meminimus. At age: pro ſe non deprecentur. Propterea non deprecantur, quia novis meritis, aut beneficiis jam cumulari non poſſunt, cum mercedem ampliſſimam receperint, quam merito Chriſtus (k) *menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem* appellavit. At aliis expoſcere poſſunt, quos vident indigos opis; plurimum vero juvari poſſe noverunt precibus, & cura ſua.

VI. Sic alterum objectionum caput diluo. Candide fateor, pro Sanctis interdum rogaſſe Eccleſiam; at præter quam quod pro eis deprecari Eccleſia potuit, donec plane perſpectum haberet, non noſtris amplius precibus eos indigere, ſed nos potius ſuis; non continuo fateor, aut nunc minime rogare, ideoque Eccleſiam mutaſſe ſententiam, aut dum rogavit, eos indigos adjumenti

(d) Serm. 9. qui ſic inſcribitur: *de natale Sanctorum, præcipue S. Cypriani*, to. 4. anecdo. pag. 72.

(e) Dialog. 2 adverſus Pelag. cap. 8. n. 21.

(f) lib. 1. commen. in cap. 2. Jerem. verſ. 4. & 5.

(g) lib. 6. commen. in cap. 18. Ezech. verſ. 32.

(h) in cap. 11. Matth. ad verſ. 11.

(i) 6. verſ. 10.

(k) Lucæ VI. 38.

ti putaſſe, aut nos illorum precibus non adjuvandos. Rogavit ſcilicet, ut ea gloria augeretur, aut certe propter hominum malitiam non imminueretur, quæ ex eorum virtutibus, ſcriptis, ac laboribus augeri poteſt. Utramque interpretationem ſuppeditat Ivo Carnotenſis, præclarus ſcriptor, in literis ad Mathildem Reginam Anglorum: (*l*) „ Quia incertus eſt (*inquiens*) ſtatus animarum, non videtur otioſum, ſi pro his intercedimus, „ qui jam requie perfruuntur, ut *eorum requies* augeatur, „ & pro his, qui locis purgatoriis deputati ſunt, ut fidelium orationibus indulgentiam conſequantur. Novimus autem, Eccleſiaſticos Scriptores, veteris latinæ elocutionis perquirendæ non multum ſollicitos, vocem *requies* ſumpſiſſe pro beatitudine. Exemplum ſubminiſtrat aptiſſimum Gregorius Turonenſis Epiſcopus: (*m*) hæc quippe de S. Sigiſmundo Rege enarrat. *Captus a Chlodomere Rege cum filiis, interfectuſque ejus juſſu, ad eumdem locum delatus, ſepulturæ mandatus eſt, quem in conſortium Sanctorum adſcitum ipſa res, quæ geritur, manifeſtat: nam ſi qui nunc frigoritici in ejus honore miſſas devote celebrant, ejuſque pro requie* (id eſt pro beatitudine augenda, aut alio ſuppari) *Deo offerunt oblationem, ſtatim compreſſis tremoribus, reſtinctis febribus, ſanitati priſtinæ reſtaurantur*. Immo nunc etiam eundem ob finem rogat. Et ne cuncta proferam, huc ſpectant preces illæ, quas ſecreta, ſeu ſecretas appellamus, præeuntque præfationem Miſſæ, quæ celebratur, dum Confeſſoris Pontificis agitur feſtum. „ S. N. Confeſſoris tui, atque Pontificis quæſumus, Domine, annua „ ſolemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos, ut per hæc „ piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis tuæ gratiæ dona conciliet. Huc ſpectare videntur etiam preces illæ, quas in die SS. Martyrum Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii fundit Eccleſia. En illæ. *Sanctorum Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii quæſumus, Domine, natalitia nobis votiva reſpendeant, & quod illis contulit excellentia ſempiterna, fructibus noſtræ devotionis accreſcat*. Illæ quoque, quas quotidie in Miſſa recitamus ante ſecretas Orationes: „ Suſcipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus . . . . . . ut illis proficiat ad honorem, nobis „ autem ad ſalutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam agimus in terris. En quo ſpectarunt, ſpectantque nunc etiam

pre-

(*l*) tom. 2. epiſt. 174.

(*m*) lib. 1. miraculorum ſeu de glor. Mar. cap. 75.

preces pro Sanctis ab Eccleſia fuſæ. Vide etiam quæ tradit Innocentius III. in Capite: *Cum Marthæ de celebratione Miſſarum* (26).

VII. At, ut dixi, dum ſic rogavit, non continuo eos indigos adjumenti putavit. An non ipſamet deprecandi ratio manifeſto oſtendit, Eccleſiam non putaſſe, eos adjumento indigere? An non jamdiu Auguſtinus: (*n*) *Martyrum perfecta juſtitia eſt*, (inquit) *quoniam in ipſa paſſione perfecti ſunt. Ideo pro illis in Eccleſia non oratur. Pro aliis fidelibus oratur, pro Martyribus non oratur: tam enim perfecti exierunt, ut non ſint ſuſcepti noſtri, ſed advocati?*

(*n*) in ſerm. olim 4. inter editos ex majoris Cartuſię Mſſ. nunc in ſerie 285. n. 5.

Hoc vero Auguſtini monitum, cui ſimillima ſunt alia plurima tum ejuſdem Auguſtini, tum aliorum Patrum, manifeſto oſtendit, Eccleſiam, dum pro Sanctis oravit, aut etiam nunc orat, putaſſe, nos adhuc eorum precibus eſſe adjuvandos. Quæ res ſi confirmationis egeret, transferre huc poſſemus infinita propemodum teſtimonia, quibus apertiſſime oſtenditur, Sanctorum preces nobis multum conferre adjumenti. Cave autem putes, preces, quas pro Sanctis fundit Eccleſia, obeſſe precibus, quas ipſi pro nobis fundunt. Forte ne mutuæ viventium preces ſibimet adverſantur: aut prohibetur is, pro quo oro, ne pro me oret? immo contra audivimus ex Apoſtolo: *Orate pro invicem, ut ſalvemini*: & ille idem Paulus, qui *memoriam fidelium ſe facere teſtatur in orationibus ſuis*, fidelium preces ſæpiſſime expoſcit: (*o*) *Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*. Cur ergo ſibimet obſiſtent preces Sanctorum, & noſtræ? Ea de re forte dubitas? Exemplo id clarius oſtendam. In eo ipſo libro Sacramentorum D. Gregorii, in quo legitur Oratio illa: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio, quam* im-

(*o*) Rom. 15. v. 30.

(26) En quæ tradat Innocentius in eo quem allegavimus loco: „ Quod in pleriſque orationibus continetur: proſit, vel „ proficiat huic Sancto, vel illi talis oblatio ad gloriam, „ & honorem; ita debet intelligi, ut ad hoc proſit, quod „ magis, ac magis a fidelibus glorificetur in terris: li- „ cet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam „ uſque ad judicium augmentari; & ideo Eccleſiam in- „ terim ſane poſſe augmentum glorificationis eorum o- „ ptare.

immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta, leguntur etiam eodem ipſo feſto die B. Leonis duæ ſubſequentes preces. *Deus, qui Beatum Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquaſti, concede propitius, ut qui commemorationis ejus feſta percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum &c.* Et mox *ad complendum. Deus, qui animæ famuli tui Leonis æternæ beatitudinis præmia contuliſti, concede propitius, ut qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, ejus apud te precibus ſublevemur.*
Jam ad ſubſequentem difficultatem me verto.

VIII. Monuere jam pridem Caſſiodorus, ſeu, ſi ita appellare eum vis, Caſſiodorius, & alii Patres, a Deo petendum quandoque id eſſe, quod jam obtinuimus; ne ſcilicet ab ingratis auferat, quod jam dedit. Hanc ob rem Eccleſia preces, interceſſionemque Sanctorum (quam ceteroqui præſto eſſe diximus) altera ex ſubſequentibus cauſis expoſcit. Vel quia peccatorum ſordes, quibus ſuos fideles pollutos fatetur, alienare adeo poſſent Sanctorum animos, ut deprecari deſinerent. Hoc modo Victor Vitenſis (p) fatetur, ſuis peccatis feciſſe Afros, ut recte putaretur, Sanctos ſuum interventum ſubtraxiſſe. *Sed ſcimus, quia indignum eſt vobis pro nobis orare, quia iſta, quæ evenerunt nobis, non ad probationem, quo modo Sanctis, ſed malis meritis ſupplicia debebantur. Sed & pro malis orate jam filiis, quia & Chriſtus oravit etiam pro inimicis Judæis.* Vel ut ferventiores, & frequentiores preces adjungant, adhibendo ſcilicet preces ſuas Deo, dum Eccleſia eaſdem preces Deo adhibet, & hoc modo efficacior fiat oratio, & certius obtineamus, quod poſcimus. Sic Eccleſia Deum ipſum deprecata, ſuam Deo ſpem, & fiduciam aperit; expoſcens vero Sanctorum preces atque interceſſionem, humilitatem, & reliquas virtutes exercet, quas enumerabimus, dum peculiariter hoc de argumento agemus.

(p) lib. 5. n. 10. hiſtor. Vandalicæ.

CAP.

CAP. XXXIII.

Expenditur poſtremum argumentorum genus, quod a precum pro nobis fuſarum a Sanctis, eorumque interceſſionis apud Deum adhibitæ inutilitate deſumitur.

I. QUantum ex antecedente huc uſque perducta diſputatione conſtare arbitror, adverſariorum noſtrorum cauſa nemini prudenti, ac vetuſtatis intelligenti probare ſe poteſt: nec Scripturas, nec Sanctos Patres, nec Theologicas rationes jure iſta adſcribit ſibi, tam & ſi ſæpiſſime ſe horum præſidio firmatam jactitet. Reſtat, ut ad poſtremum objectionum caput manus intendamus, ad illud ſcilicet, quod a precum pro nobis fuſarum a Sanctis, eorumque interventus apud Deum inutilitate deſumitur. Audite, quid hic demum producant.

II. A Sanctis Patribus ſæpe docemur, temere nos alieno præſidio, atque interventu apud Deum confidere. Multo facilius, certiuſque a Deo nos aſſecuturos, quod petimus nos ipſi, quàm ſi alieno interventu petamus, vel alius etiam pro nobis expoſcat. En ipſa Chryſoſtomi verba: (a) *Licet per te met ipſum Deum preceris, omnino tamen voti eris compos; neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipſi met oramus, etiam ſi plurimis pleni ſimus malis*. Affinia tradit num. 3. præfationis in Pſalmum quartum, & aliis etiam in locis.

(a) num. 11. homil. quæ inſcribitur *de profectu Evangelii*.

Cujus quidem rei non raro Patres valde probabilem rationem afferunt, quam propterea jure meritoque in medium proferunt Proteſtantes. Nonne Deus & amat nos multo plus, quod Sancti, & nobis compertum eſſe vult amorem, quo nos diligit? Cur ergo Sanctorum ope, atque interventu indigemus? perinde quaſi ſe exorari non ſineret a nobis Deus, ſed tantummodo a Sanctis mortuis.

III. Verum perfacilis eſt ad iſta reſponſio. Atque hic quidem id, quod ex Chryſoſtomi auctoritate objiciunt, quodque perinde Sanctorum interceſſionem impetit, ac vetat nos ad eos præſidii opiſque expoſcendæ cauſa confugere, omittimus, tum quia id, quantum præſenti inſtituto ſatis eſt, alibi diſſolvimus, tum quia in locum alium fuſius, commodiuſque diſſolvendum transferimus.

Quum

Quum ſcilicet de Sanctorum invocatione diſſeremus, illud haud indiligenter explicabimus: Me porro verto ad alterum ex objectis, atque ajo, nos quidem maxime a Deo amari, neque ullum eſſe aut hominem Sanctum, aut Angelum, qui nos proſequi poſſit amore tanto; tamen velle ipſum Deum, ut Sancti pro nobis orent; pro nobis, inquam, quos & juſtos diligit, & peccatores ſic odit, ut tamen ferat, & ad pœnitentiam converti velit; quemadmodum a Jobo, ut illius amicos in gratiam reciperet, rogari voluit. Hujus interceſſionis cauſas alio loco explicavimus, neque hic eas proferre neceſſe eſt. Tantum hic addam, Sanctorum vita mortali functorum preces ad nos adjuvandos utiles eſſe, iiſdem fere argumentis oſtendi, quibus oſtenditur, a noſtris precibus juvari alios. Quantum vero a noſtris precibus juvari alii poſſint, luculentiſſime inter ceteros teſtatus eſt Auguſtinus, dum hæc protulit. (*b*) *Cur enim non potius ita dicitur*: *Et ſi qui ſunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus? Fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, ut noſtris orationibus concedantur, & accipiant eamdem gratiam, qua velint, atque efficiantur electi*. Neque aliò ſpectant eæ preces, quas in Miſſa SS. Martyrum Proceſſi, & Martiniani *ſuper Oblata* recitat Eccleſia, & hæ ſunt: „ Suſcipe, Domine, „ preces & munera, quæ ut tuo ſint digna conſpectu, San„ ctorum tuorum precibus adjuvemur. Quæ quidem preces ipſiſſimæ extant in libro Sacramentorum Gregorii Magni; habentque ſimillimas alias tum in recentibus, tum in vetuſtis Sacramentorum libris Leonis, (ſi Leonem eum eſſe vis, cui tribuendus ſit liber ille Sacramentorum, quem edidit litteratiſſimus Blanchinus) & Gelaſii.

(*b*) cap. 22. alias 60. *de bono*, ſeu potius *de dono perſeverantiæ*.

Quid quod norunt Sancti Cæleſti beatitudine potiti, & quid nos vere juvet, & modum, quo illud a Deo impetretur: ideoque fuſæ ab illis ad Deum preces utiliſſimæ nobis ſunt. Origenes ſane id non præterit, cum hoc ipſo argumento Ambroſium amicum ſuum filiorum amore fortaſſe detentum, ne martyrium ſubiret, ad idem martyrium incitat. *Plus a te* (inquit ille num. 38. exhortationis ad Martyrium) *poſt hujus modi diſceſſum adjuti, quàm ſi cum illis remanſiſſes. Scies enim tunc melius, quo modo diligendi ſunt, & prudentius pro illis orabis*.

CAP. XXXIV.

Oſtenditur, non modo pro tota Eccleſia, ſed pro peculiaribus etiam perſonis, & indigentiis orare, & a Deo beneficia ſuis precibus impetrare Sanctos.

I. SAnctos intercedere probavimus hactenus: qua in re nobis fere aſſentiuntur Lutherani, & fortaſſe etiam Calviniſtæ. At in eo plurimum diſſident, quod ii generatim, & pro Eccleſia univerſa tantum intercedere volunt, minime vero pro ſingularibus perſonis; contra Catholici non tantum generatim, & pro Eccleſia univerſa intercedere volunt, verum etiam pro ſingularibus perſonis, & cœtibus, preſertim ſi hi Sanctos deprecentur, & invocent. Huc propterea ſpectant ea fere omnia, quæ pro invocatione Sanctorum aſſeveranda afferemus: ea quoque, quæ adducemus ad Sanctorum cultum firmandum, non modica ex parte pertinent: aliqua quoque portio eorum, quæ afferam, quum de cauſis nos ad colendos Sanctos impellentibus diſſeram, non temere huc tranſfertur. Sed ne longius abeam, Sanctos non modo univerſæ Eccleſiæ, ſed etiam ſingularibus perſonis, & cœtibus adeſſe, opemque ferre, eaſque multa ad Deum prece fuſa adjuvare, illa ipſa ſane comprobant, quæ proxime ſuperioribus capitibus ad Interceſſionem Sanctorum generatim demonſtrandam allegavimus.

II. Hic repete, ſi vis, ea, quæ ex Petri Epiſtola attuli. Etenim Petrus ſe peculiariter poſt mortem eos adjuturum ait eſſe, quos vivens ad Chriſtianam fidem addixerat. Sed propter id ſane confidebat (ſi quid habet probabilitatis Epiſtola, quam ſub nomine Ambroſii prodiiſſe, & a Damaſceno, & Petavio productam diximus) Philippus ille, qui Sanctorum Gervaſii, & Protaſii corpora ſepelivit, ſe illorum patrocinio peculiariter adjuvandum. Ex Origene diſcimus, Ambroſium, ſi martyrium ſubibat, pro filiis ſuis peculiariter oraturum. Potamiæna quoque Baſilidi peculiariter martyrium impetravit. Cyprianus ſperavit, popoſcitque preces earum Virginum, quæ Cælos ante ſe aditaræ erant. Theodotus quoque Ancyranus peculiares preces pollicitus eſt Chriſtianis præſentibus, lugentibuſque. Peculiarem quoque opem popoſcit mater illa, quæ puerum carnifici obtulit pro Chriſti nomi-

mine mox necandum. Peculiarem ſui gregis curam habuiſſe Narciſſum jam beatitudine potitum, his verbis teſtatus eſt Alexander illius, dum viveret, adjutor, & proximus in Epiſcopatu ſucceſſor. „ Salutat vos Narciſſus, qui ante me hic (Hieroſolymis) tenuit Epiſcopalem locum, & nunc mecum eumdem Orationibus regit, & vos mecum precatur, ut unum, idemque ſapiatis. (a) Peculiare patrocinium quadraginta Martyrum erga regionem ſuam agnovit Baſilius. *Hi ſunt, qui noſtram obtinentes regionem &c.* Baſilii peculiare ſtudium in populum ſuum prædicat Nazianzenus. Theodori opem ſingularem plane, & mirabilem populo ſuo contra Scythas allatam edocuit Gregorius Niſſenus; & ne cunctos referam, Theodoſii erga filios ſuos peculiare patrocinium, & ſtudium diſcimus ex Ambroſio; ex Hieronymo peculiarem prorſus ſollicitudinem, ac curam Lucinii nuper defuncti erga conjugem Theodoram adhuc ſuperſtitem: nec remota ab his tradit in Epiſtola ad Paulam, & ad Eliodorum in iis, quæ paulo ante produximus, locis. Commendat Chryſoſtomus præcipuum amorem Meletii erga populum ſuum. Peculiares populi Romani patronos appellat Leo Magnus Petrum, & Paulum. Ex Maximo Taurinenſi, aliiſque diſcimus, eorum peculiariter curam gerere Sanctos, qui eorumdem Sanctorum corpora apud ſe ſervant, & venerantur: quod de ceteris fere omnibus dic, quos jam protulimus. Nimirum ſi diligenter inſpicias, palam videbis, non de Eccleſia tantum, ſed de ſingularibus Civitatibus, ſæpe etiam de ſingularibus perſonis loqui eos Sanctos Patres, quorum ad Sanctorum interceſſionem firmandam teſtimonia recitavimus: adeo ut manifeſtò conſtet, non illius tantum generis interceſſionem, quod agnoſcunt non pauci ex adverſariis, ſed illius generis etiam, quod admittimus nos, ab iis edoceri, conſentiente inter ceteros Epiſcopo Oxonienſi, cujus jam verba retulimus.

(a) Hierony. De viris illuſtr. cap. 62.

III. Sed præter hæc, omnino non video, cur admitti poſſit Sanctorum patrocinium erga Eccleſiam, erga ſingulas vero perſonas tolli debeat. Eæ certe cauſæ, quas in medium adducunt adverſarii, nullius momenti ſunt. Potiſſimum eorum argumentum ex eo deſumitur, quod ignorent Sancti noſtras res, ignorent noſtras preces, ignorent eas, quibus angimur, curas; quibus proinde opem ferre non poſſunt. Videbimus porro, valde probabilem Catholicorum eſſe ſententiam, qui docent, notas eſſe

Sanctis, aut certe effici, ſi non omnes res noſtras, certe non paucas. Sed etiamſi fateremur, eas neſciri a Sanctis; poſſent illi tamen pro ſingulis impetrare; fieri enim poſſet, ut generatim Deum deprecantibus Sanctis pro unoquoque eorum, qui ſuam opem expoſcunt, Deus Sanctorum prece commotus beneficia ſingulis opem Sanctorum depoſcentibus tribueret. (b) Nimirum ex D. Auguſtini monitis novimus, quod ſicut nobis ignorantibus peculiares mortuorum neceſſitates, orantibus tamen Deum, ut eorum miſereatur, miſeretur re ipſa Deus, & præſentiſſimam opem fert; ita Sanctis, tam & ſi ignorantibus res noſtras, Deum tamen deprecantibus, ut noſtri miſereatur, dicendum eſt re vera miſereri, & præſentiſſimum, opportuniſſimumque ſubſidium ferre. Et hæc quidem de argumento, de quo deinceps redibit ſermo, ſatis ſint dicta.

(b) Vide cap. 16. alias n. 20. libri *de Cura Mortuorum*.

CAP. XXXV.

Recenſentur ea argumenta, quibus ſententiam ſuperiori Capite propoſitam oppugnant: Sanctos ſcilicet ajunt univerſæ tantum Eccleſiæ, non ſingillatim nobis opem ſuis precibus ferre, ſi ferunt.

I. SI objectiones omnes, quibus nuper comprobatam opinionem Proteſtantes oppugnant, attente conſideremus, facile conſpiciemus, ad tria veluti ſumma capita revocari illas poſſe. Primum ab impoſſibilitate hujuſmodi interventus deſumitur. Alterum impoſſibilitatem minime curans, certe adhibitum negat ſingillatim nobis hujus modi interventum. Tertium abſurdas quaſdam conſecutiones nobis, eorum quidem ſententia, inevitabiles complectitur, objicitque. Sic itaque ex primo capite diſſerunt. Ut ſingillatim nos adjuvent Sancti, ea, quorum egeamus, noverint oportet. Quomodo namque adjuvabunt, ſi neſciant indigos opis? quomodo vero ſcient indigos opis, ſi neſciant, quid agant homines? At omnino neſciunt, quid rei agant homines. Scilicet in libro Job hæc edocemur: (a) *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget*. In libro Eccleſiaſtæ. (b) *Mortui nihil noverunt amplius*. Hæc etiam addit Iſaias: (c) *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos*. Joſiæ quoque promiſit Deus, eum ſe maturius erepturum e vivis, ne mala videret, quæ ſuis imminebant. (d) *Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligę-*

(a) cap. 14. v. 21.
(b) cap. 9. v. 5.
(c) cap. 63. v. 16.
(d) 4 Reg. 22. 20.

ligeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum. Vide quæ tradit Auguſtinus expendens hoc, & proxime præcedens teſtimonium in libro, qui inſcribitur *De cura pro mortuis gerenda* cap. 13. (*e*) & in fine capitis 14. (*f*) ejuſdem libri. Id ipſum edocent alii Patres. An non hæc ait S. Hieronymus? (*g*) *Felix Nepotianus, qui hæc non videt; felix, qui iſta non audit*. Auguſtinus caput 13. (*h*) libri *De cura mortuorum*, ſeu ut alii inſcribi volunt *De cura pro mortuis gerenda*, integrum inſumit, ut oſtendat, omnino rebus viventium mortuorum animas non intereſſe, neque ab iis, tam & ſi ſanctiſſimis, conſpici, quæ a nobis fiunt. Hoc audi inter cetera. *Ibi ergo ſunt ſpiritus defunctorum, ubi non vident quæcumque aguntur, aut eveniunt in iſta vita hominibus*. Quid quod, eos ipſos Patres, qui favere putantur Pontificiis, propterea quia invocare videntur Sanctos, aut Rhetorum more, aut certe dubitanter locutos fuiſſe, apertiſſime oſtendunt ea ipſa, quæ Pontificii allegare ſolent loca? quippe in iis palam ajunt vereri ſe, ut ſenſum habeant, & ut noſtra audiant Sanctorum animæ. Hoc modo Gregorius Nazianzenus in priore invectiva in Julianum, (*i*) Conſtantii Imperatoris animam, quam Beatorum cætui annumerarat, ſic alloquitur. *Audi hæc etiam, magni Conſtantii anima, ſi quis mortuis eſt ſenſus*. Et in Oratione funebri panegyrica ſororis ſuæ: (*k*) *Quod ſi quam rerum noſtrarum rationem ducis, & hoc Sanctis animis præmii loco divinitus conceditur, ut iſta ſentiant, hanc noſtram orationem ſuſcipias velim &c.* Adde & hæc: adeo difficilis non modo ad explicandum, verum etiam ad percipiendum eſt modus, quo noſtra Beati videant, ut multo æquius, convenientiuſque videatur eſſe, ſi omnino videre neges, quàm ſi ineptos quoſdam, ac deridiculos modos excogites, quibus videant: perinde quaſi oculos adeo acutos habeant, ut longiſſime poſiti terrena noſtra perſpiciant: neque ſolus foret Deus, *qui in altis habitans humilia reſpicit*. Et ſane ſine cachinnis audiri non poſſunt modi ii, qui a Pontificiis afferuntur; ſcilicet videre dicuntur propter ſubtilitatem atque acumen intuitus: remotiſſima, ac res noſtras conſpicere in eſſentia Divina, quæ univerſa, uti ſpeculum, repræſentet: perinde quaſi repræſentare poſſet peccatum, aut famem Deus Sanctiſſimus, & nullius indigus.

II. Quod ſi vel ad Scripturas, vel ad experimenta con-

(*e*) alias n. 16.

(*f*) alias n. 17.

(*g*) In Epiſt. olim 3. In nova Veronenſi editione 60. miſſaque eſt Eliodoro, & Epitaphium Nepotiani continet n. 17.

(*h*) n. 16.

(*i*) in ipſo fere initio ejuſdem invectivæ.

(*k*) prope Orationis finem.

confugias, ideoque ad eos fontes, ad quos Pontificii confugiunt, ut noſtrarum rerum intuitum Sanctis tribuant, hæc inepta ſunt prorſus ad eumdem intuitum comprobandum; & Scripturæ quidem inopportunæ ſunt: Etenim ſi expendas illa Scripturarum teſtimonia, quibus Catholici fidunt, duo potiſſima eſſe comperies, quorum primum extat in 2 Para. 21. v. 12. ubi edocemur, datam eſſe Regi Joram ſcriptam ab Elia Propheta epiſtolam. Elias autem jam antea e terra ſublatus erat. Alterum extat in Evangelio Lucæ, (l) ubi dives Epulo remotiſſimo loco poſitus deſcribitur Abrahamum videns, atque alloquens in ejus ſinu degentem Lazarum: deſcribitur quoque idem Epulo plane noſcens ſuorum fratrum peſſimos mores. Ex quare Pontificii inferunt, mortuos conſpicere poſſe procul poſita: ſciri quoque ab iis, quæ geruntur in terris.

(l) cap. 16. v. 23.

Atqui ad primum reponi quidem poteſt, ab altero Elia tum vivente conſcriptam fuiſſe epiſtolam eam: quippe Scriptura omnino non docet ab Elia Thesbite, ſed tantum ab Elia Propheta fuiſſe ſcriptam. Porro non omiſiſſet rem tam grandem, ſi a Thesbite Elia ea epiſtola conſcripta eſſet. At age, ab Elia Thesbite conſcripta fuerit; a vivente conſcriptam dicemus: quippe noſcens Propheta a cultu veri Dei defecturum Regem Joram, epiſtolam vivens ſcripſit, tum tradendam, quum occaſio ſe præbuiſſet opportuniſſimam (quam occaſionem ipſe utique præviderat) ad deterrendum Regem, & a ſua impietate deducendum. Ad hæc, tum vivebat, vivitque adhuc Elias Thesbites, tam & ſi aliò translatus. Perperam itaque ab eo vivente ad Sanctos mortuos deducitur conſecutio. Quod vero ſpectat ad Epulonem, ineptiſſime id affertur: Parabolam quippe, non hiſtoriam eſſe eam narrationem, multa comprobant, atque in primis auctoritas Chryſoſtomi; parabolam quippe, non hiſtoriam, appellat. (m) *Verum hæc parabola ſufficit &c.* Parabolam quoque, non hiſtoriam, certa indicant argumenta; etenim oculos, & linguam, & digitos, & corporeos omnes ſenſus tribuere Epuloni deberemus, atque in primis linguam, cujus ardorem modica aqua refrigeraret, longe aliter ac fert veritas: quippe anima damnatorum corpore deſtitutorum corporeos ſenſus habere non poteſt. Hiſtoriam vero minime oſtendunt nomina propria, quibus Scriptura utitur: nam & in parabola Samaritani occurrunt nomina propria urbium Hieroſolymæ, & Jerico.

(m) homilia 4. de Lazaro n. 2.

At

At ſac hiſtoriam eſſe; extraordinarium illud eſt, quod in ea narratione deſcribitur: quippe univerſim de damnatis conſtat, eos nihil eorum videre, quæ extra teterrimum, quo clauduntur, carcerem poſita ſunt, cum hic tamen damnatus Epulo Abrahamum vidiſſe dicatur, & Lazarum in ejus ſinu quieſcentem. Id vero, quod de fratribus dixit, conjiciendo dicere potuit; noverat enim pravam eorum vitam ſe vivente ab iis ductam: noverat in iiſdem degere deliciis, in quibus degebat ipſe: quæ res movere illum poterant, ut certe diceret ad Inferos eſſe detrudendos. Utcumque ſit, procul dubio Epulonis exemplum Pontificiis minime favet: hic enim ad eos confugere non poſſunt modos, quibus volunt a Beatis noſtra ſciri: eſſentiam quippe divinam non intuentur damnati; neque ad eos devolant Angeli: qui duo fere ſunt modi, quibus Catholici rerum noſtrarum conſcios deſcribunt Sanctos.

III. Experimenta, quibus iidem Catholici fidunt, ut Sanctos rerum noſtrarum inſpectores comprobent, ſunt crebra miracula, crebra beneficia, quæ a Sanctis, quos deprecantur, & invocant, ſe recipere teſtantur. At forte hæc præſtigiæ ſunt, & fraudes ſive Dæmonis, ſive eorum, quorum intereſt, ut miraculorum falſa perſuaſio ſimplicibus Chriſtianorum animis inſideat, & ſi præſtigiæ non ſunt, extra dubium poſitum eſt, a Sanctis, quos invocant boni Chriſtiani, provenire hæc non poſſe. Quippe videmus eodem ipſiſſimo momento mille deprecantes eadem conſequi. Mille ne ergo locis præſentem voles unius Sancti animam, ut mille beneficia totidem deprecantibus elargiatur? Ipſemet eventus dolum pandit, & piam fraudem. Hæc, aliaque id genus crebro urgent in nos adverſarii: qui & rationem adjungunt: Nempe (inquiunt) affligerentur Sancti ab hujuſmodi intuitu; affligeret quippe eos viſio criminum, quibus nos polluimus; ærumnarum, quibus premimur. Et hæc quidem ad primum caput pertinent.

CAP.

CAP. XXXVI.

Primo argumentorum capiti occurrimus, oſtendimuſque, revera a Beatis noſtra conſpici.

I. HOs tamen impetus, & vafras artes contemnet is, qui noverit, a Patribus antiquiſſimis, & fide digniſſimis ſæpe nos fuiſſe edoctos, revera a Beatis noſtra conſpici. Is etiam, qui noverit, probabiles explicationes, ac rationes hujuſce rei proponi a noſtris: qui denique noverit, minime neceſſe eſſe ad ſuffragationem, atque opem ferendam nobis, ut compertas habeant quaslibet res noſtras Sancti.

II. Tria hæc ad oſtendendum aggredior, & ſtatim a primo exordior. Ut hic omittam Hebræorum opinionem in ſuo Talmud expreſſam, conſiſtamque in Eccleſiaſticis auctoribus, ſane auctor quæſtionum ad Antiochum, ſeu Athanaſius is fuerit, ſeu quiſpiam alius, (a) hæc eloquitur. *De animabus Sanctorum non eſt dubitandum. Nam & poſt mortem, & in die judicii cognoſcent omnia.* Ambroſius in libro de Viduis, (b) *Martyres noſtros præſules, & ſpeculatores vitæ, actuumque noſtrorum* appellat. Affinia proponit in oratione, quam in morte Satyri fratris ſui recitavit. (c) Chryſoſtomus, ſeu potius Severianus Gabalitanus (d) quum dixiſſet, veriſſime de ſe affirmaſſe Mariam Sanctiſſimam: *Beatam me dicent omnes generationes*, ſubinde hoc ſibi opponit. *Et quid illam juvat iſtud, ſi non audit?* Tum vero ad hunc modum reſpondet. *Immo vero maxime audit, eo quod in loco eſt ſplendido, in regione vivorum Mater ſalutis.* Baſilius, ſive alius, quiſquis is eſt, auctor libri *De vera Virginitate*, inter Baſilii Opera quarto ſæculo editi, Virginem Deo ſacram monet, ut non tantum vereatur Angelos, verum etiam hominum ſanctorum, ac Patrum ſpiritus. (e) „ Et quid ſingula „ commemoro? (inquit ille) Angelorum innumerabiles „ multitudines, cumque iis ſanctos Patrum ſpiritus? „ Nullus enim eorum eſt, qui non ubique proſpiciat: „ quum ipſe quidem corporis oculis non conſpectus, in„ corporeo tamen viſu ad notitiam cuncta complectatur. Id ipſum quoque Gregorius Niſſenus haud obſcure edocet n. 7. orationis in Sanctum Theodorum ſic eumdem Sanctum

(a) quæſt. undecima.

(b) Cap. 9. alias n. 55.

(c) n. 73.

(d) in Serm. 6. de mundi opificio n. 10.

(e) n. 29.

ſtum allocutus. *Tam & ſi vitam hanc tranſieris, humanas tamen moleſtias*, (vertunt alii *affectus*, & *uſus*) *neceſſitateſque humanæ conditionis noſcis, impetra nobis pacem.* Atque ita procul dubio ſenſit Auguſtinus Sermone tertio de Sancto Stephano Martyre hæc de eo, & Paulo Apoſtolo pronuncians. (*f*) *Cum eo, quem lapidaſti, cum Chriſto regnas : ambo ibi vos* (ſorte *nos*) *videtis; ambo modo ſermonem noſtrum auditis; ambo pro nobis orate.*

(*f*) in ſerie 316. alias 94. *de diverſis*. n. 5.

III. Adde Paulini carmina, quæ mox producemus. Eadem & Prudentii opinio fuit; etenim (*g*) his verbis eamdem perſuaſionem comprobat.

(*g*) in Hemiterium, & Chelcdonium Calaguritanos ver. 30. Hymni primi libri peri ſtephanon, ſeu de coronis.

Tanta pro noſtris periclis
Cura ſuffragantium eſt.
Non ſinunt, inane ut ullus
Voce murmur fuderit.
Audiunt, ſtatimque ad aurem
Regis æterni ferunt.

Rurſus in hymno tertio (*h*) in laudem Eulaliæ Virginis hæc ait:

(*h*) v. 213.

Oſſibus altar & impoſitum,
Illa Dei ſita ſub pedibus
Proſpicit hæc, populoſque ſuos
Carmine propitiata fovet.

Denique in hymno octavo (*i*) in Caſſianum Foro-Cornelianum:

(*i*) v. 95.

Suggere ſi quod habes juſtum, vel amabile votum,
Spes ſi qua tibi eſt, ſi quid intus æſtuas.
Audit, crede, preces Martyr proſperrimus omnes,
Rataſque reddit, quas videt probabiles.

IV. Adeſt & Theodoretus libro octavo de curandis Græcorum affectionibus, ubi de Martyribus diſſerit: eorum quippe refellit opinionem, qui Martyres putabant *nullum ſenſum eorum habere, quæ in terris geruntur.* Quem errorem refellit etiam Gregorius Magnus, hoc argumento uſus: (*k*) *Quia quæ intus Omnipotentis claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent.* Et lib. 4. Dialogorum: (*l*) *Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt?* quæ verba exſcripſiſſe videntur Albinus Flaccus in Concione recitata Dominica II. poſt Pentecoſten, & auctor libri de Divinis Officiis ſub Alcuini nomine latens, (*m*) de commemoratione Sanctorum, qui in Canone recitantur, diſſerens.

(*k*) lib. 12. Moralium cap. 14.

(*l*) cap. 33. in fine.

(*m*) cap. 39. quod ſic inſcribitur: *De celebratione Miſſæ, & ejus ſignificatione.*

Quin & auctor libelli *De vita contemplativa*, ſi Gregorio poſterior ille eſt, ut pleriſque placet, in Gregorii verba mentem intendiſſe creditur, dum (*n*) hæc eloquitur. *Nec latebit jam perfecte beatos aliquid ſecretorum, qui quod eſt longe præſtantius, ipſum viſuri ſunt mundis cordibus Deum.* Forte juverit etiam vidiſſe, quæ edocet Bernardus n. 3. 4. & 5 Sermonis 77. in Cantica: eos quoque Patres omnes, qui Sanctos deprecantur, & invocant: neque enim deprecati fuiſſent, ſi ab eis ſe audiri non putaſſent.

(*n*) lib. 1. cap. 4.

V. Sed præter hos, Bernardo ut ætate æqualis, ita proxime ab eo recenſendus eſt Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, cujus alibi cum laude memini: Etenim hic in eadem illa prima, & quinquageſima epiſtola, quam allegavi, (*o*) non modo expreſſiſſime res noſtras a beatis conſpici teſtatur, verum etiam non levis erroris eos accuſat, qui ſecus ſentiunt. Pluribus verbis ſententiam ſuam & exponit, & comprobat: quæ quidem verba libentiſſime hic referrem, niſi multa eſſent. Pauca decerpo, ne videar, cuncta omittens, Viri præclariſſimi auctoritatem minoris facere, quàm meretur: „ Sentio enim, ſentio, & dico, „ Sanctorum animas jam cum Chriſto regnantes ſcire „ quid agatur a nobis, & eaſdem, cum oportet, & expe- „ dit, orare pro nobis. Allatoque Gregorii Magni teſtimonio, quod nos quoque alibi attulimus, hæc ſubjungit. „ Poſt „ hanc itaque Gregorii aſſertionem qua temeritate dices, „ ſpiritus Juſtorum omnino ignorare, quid in iſta agatur vi- „ ta, niſi majori dementia dixeris, quod ſpiritibus juſtorum „ nulla poſt hanc omnino ſit vita, quod & de illis ſentire „ impium eſt, & hæreticum atteſtari? Et mox allegatis Hieronymo, & rurſus Gregorio Magno, hæc ſubdit. „ His „ auctoribus conſultis negare non potes, animas Sanctorum „ vel ſcire, quid agatur a vivis, vel cum oportet, & expe- „ dit, orare pro vivis.

(*o*) tom. 3. Bib. Pat. pag. 215.

VI. Porro horum auctoritate ſuffulti, merito aſſerere poſſumus, ſimillimum veri eſſe, pene dixeram compertum plane, noſtra a Sanctis noſci. Verum ne ſcrupulus ſuperſit ullus, quem objecta Scripturarum, & Patrum teſtimonia effecerint; continuo eadem teſtimonia explicanda ſuſcipio: tum vero conſtabit, quantum errent ii, quibus perſuaſum eſt, alieniſſimam eſſe a veriſimilitudine communem Catholicis perſuaſionem.

CAP.

CAP. XXXVII.

Diſſolvimus ea, quæ adverſus perſuaſionem ſuperiori capite propugnatam allata ſunt.

I. SEquor objectionum ordinem, & primo explico illud, quod primùm objectum eſt, tum ad reliqua deſcendam. Eum Jobi locum, quem adverſus nos intorſerunt, multis modis explicatum video. Philippus Presbyter (*a*) in Commentariis in Job edocet, tantum abeſſe, ut hujus modi teſtimonium obſit ſcientiæ Sanctorum, ut potius mirum in modum faveat: legendum eſt enim cum interrogatione, & de Sanctorum ſcientia quaſi de indubitata re pronunciandum. En quæ tradat Scriptor ſane non contemnendus. *Sive nobiles, ſive ignobiles filii ejus: (qui per baptiſmum ex Deo nati ſunt) non intelliget? Per ſe pronunciandum eſt, ut ſit ſub quadam interrogatione confirmantis ſermo, non denegantis: id eſt omnino intelliget quaſi Deus.* Hanc explicationem aliis ex Scriptura deſumptis exemplis confirmat. Eum conſulas volo. At plerique fatentur, non eſſe cum interrogatione legendum: non continuo tamen illi ipſi inter ſe conveniunt. Monent alii, loqui Jobum de ea notitia, quam vivens homo habere poteſt de poſteris ſuis; quippe ignorat plane, num *nobiles*, num *ignobiles futuri ſint*. Monent alii, hic indicari ignorantiam, in qua, dum vivimus, verſamur, num Deo accepta ſint noſtra opera, nec ne. Sic interpretatur Gregorius Magnus proxime ante verba mox adducenda, Philippus Presbyter pag. 55. & auctor ille, qui ſub Hieronymi nomine Commentarios in Jobum edidit, hoc modo Verſiculum objectum explicans: (*b*) *Hoc eſt, non filii carnis, ſed filii mentis, ideſt opera virtutum. Non intelligunt ergo Sancti in hac vita ante judicii diem, quales pro certo filios habeant, utrum Deo placentes, an non placentes.* Alii de mortuis id accipiunt, aut certe accipi poſſe concedunt. Ajunt vero, ſermonem ibi eſſe de mortuis, quibus aut præſtantia divinæ viſionis, & beatitudinis, quam obtinuerunt, aut revelatio non detexit viventium res. Porro citra divinam viſionem, citra ea emolumenta, quæ dat beatitudo, & ſi vis, citra revelationem, neſcire poſſunt mortui, quinam ſint, aut futuri ſint eorum poſteri. Aptiſſime Gregorius Magnus: (*c*) „ Sicut e-

(*a*) Editus Baſileæ 1527. a Joanne Sichardo. pag. 56.

(*b*) tom. 8. in edit. Mariani Victoris. pag. 13.

(*c*) 12. Moralium cap. 14. in edit. PP. S. Mauri cap. 21. n. 26.

„ nim hi, (inquit) qui adhuc viventes ſunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui, vita in carne viventium poſt eos qualiter diſponatur, neſciunt: quia & vita ſpiritus longe eſt a vita carnis: & ſicut corporea, atque incorporea diverſa ſunt genere, ita etiam diſtincta cognitione. Quod tamen de animabus Sanctis ſentiendum non eſt: quia quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eo Beatus Job neſcire poſt modum aſſerit, quod hic vehementer amaverunt: ut ſive nobiles, ſive ignobiles ſint filii, neſciant, quorum eos ſemper cura fatigabat. Et de primo quidem teſtimonio ſatis ſint dicta.

(d) cap. 9. v. 5.

II. Teſtimonium illud alterum, quod ex Eccleſ. (d) depromptum eſt, varias habet reſponſiones. Ad duo ſuprema capita revocari eæ poterunt. Dicunt ſiquidem nonnulli, non ex ſuo, ſed ex impiorum ſenſu hæc fuiſſe locutum Salomonem. Scilicet id non raro fit in hoc libro. Vide Gregorium Magnum capite 4. libri 4. Dialogorum. Alii vero Salomonem loquentem ex ſuo ſenſu hic agnoſcunt, ſicque explicant verſiculum iſtum, ut viventes noverint ſe morituros, & hujus moniti occaſione excitari debeant ad opera proba facienda ex eo, quod mortuis nullus datur locus edendis operibus bonis. Sic certe explicat Janſenius Iprenſis in Commentariis in locum hunc. (27) Fere præceſſerat D. Hieronymus ipſe quoque in Com-

---

(27) „ Viventes enim (*inquit Janſenius*) ſciunt ſe eſſe morituros, ac proinde mortis imminentis intuitu ſciunt, ac poſſunt ſe ſe a peccatis retrahere, virtuti, ac beatitudini aſſequendæ operam dare: mortui vero nihil noverunt amplius, ideſt non ſciunt ultra tempus, & modum ſe ſe juvandi, & a miſeria, ſi quam incurrerint, liberandi. Secundo, quia mortui non habent ultra mercedem, neque apud Deum, quia nihil operis ulterius operari poſſunt, quo ſibi mercedem parent, ſtatu merendi finito, quæ enim homo ante ſeminavit, hæc & metet; neque apud homines, a quibus nihil poſſunt conſolationis, aut commodi accipere, niſi hoc antea meruerint, ut juvari poſſint. Tertio quia oblivioni tradita eſt memoria eorum.

Commentariis in locum hunc (28).

III. Variis modis accipitur objectum Iſaiæ teſtimonium. Alii tropologice ſumunt, ajuntque, verba iſta eſſe Eccleſiæ, ſeu Synagogæ ſe ſe convertentis ad Chriſtum, agnoſcentiſque, Judaicæ legis peritiam, & cognationem carnalem cum Patriarchis ſine Chriſtiana lege non profuturam. Innituntur hi voce illa *Pater*, qua idem Iſaias, ſeu Synagoga Iſaiæ voces adhibens utitur. *Tu Domine Pater noſter, Redemptor noſter*. Vix ſcilicet, ac ne vix quidem, Patrem Deum appellavit Synagoga, dum Judaicis ritibus detinebatur: contra Patrem appellat Deum Eccleſia in quotidianis precibus ſuis, id edocente Chriſto, qui nos ſic orare præcepit: *Pater noſter, qui es in Cælis &c.* Redemptorem quoque appellavit tantum Eccleſia, non Synagoga. Alii litteraliter ſumunt; ſed non conveniunt, quiſnam præſtantior ſit litteralis hujus loci ſenſus.

Fere tamen ſic accipiunt, ut fateatur Iſaias, Judaicum populum negligi, & veluti neſciri, id eſt omnino non diligi, ſed plane contemni a Patriarchis ſuis Abraham, & Jacob, eorum animos alienantibus & multitudine, & fœditate criminum, quibus ſe polluerant Judæi, qui ſceleribus ſuis ſe indignos effecerant, qui veluti filii agnoſcerentur, & diligerentur ab Abraham, & Jacob. Non multum videtur id abeſſe ab eo, quod alibi docuimus, videlicet viros ſanctiſſimos interdum forte non deprecari, quod videant immania adeo viventium ſcelera, ut indigni ſint plane, quorum miſereatur Deus; aliuſque pro iis deprecetur, & advocatione fungatur. (29) Neque alio ſpectare videtur mo-

(28) „ Donec vivunt homines, (*inquit Hieronymus*) eos poſſe fieri
„ juſtos; poſt mortem vero nullam boni operis dari occaſio-
„ nem . . . . Quia viventes metu mortis poſſunt bona opera
„ perpetrare: mortui vero nihil valent ad id adjicere, quod
„ ſemel ſecum tulere de vita: & oblivione involuta ſunt
„ omnia, juxta illud, quod in Pſalmo ſcriptum eſt. O-
„ *blivioni datus ſum tamquam mortuus a corde*. Sed &
„ dilectio eorum, & odium, & æmulatio, & omne,
„ quod in ſæculo habere potuerunt, mortis finitur ad-
„ ventu: nec juſte quidquam poſſunt agere, nec pecca-
„ re, nec virtutes adjicere, nec vitia.

(29) Vide, quæ tradit lib. 5. hiſtoriæ n. 20. Victor Vitenſis, cujus hæc eſt ad Sanctos deprecatio. *Scimus quia in di-*

(e) Jeremiæ 15. 1.

monitum illud Domini ipſius: (e) *Etiamſi ſteterint Moyſes, & Samuel coram me &c.* nempe adeo ſe effecerant indignos miſeratione Judęi, ut omnino ad miſericordiam flecti nollet Deus.

(f) in Commentar. in locum hunc.

S. Hieronymus hujus modi explicationem proponit, aut ſaltem indicat, dum (f) ſic loquitur: „ Hos enim (Moy„ ſem, & Samuelem) legimus iræ Domini pro populo „ reſtitiſſe, & jam impendentem avertiſſe ſententiam. „ Et ſi, inquit, illi ſteterint vel in conſpectu meo, vel „ contra me, quorum uni dixit Deus: *Dimitte me, & „ percutiam populum iſtum:* tamen non exaudiam: quoniam „ conſummata ſunt ſcelera populi delinquentis. Præclara multa de Angelorum precibus pro nobis fuſis, & interdum repulſis edifferit Gregorius Magnus capite octavo libri decimi ſeptimi Moralium: ad quem quidem S. Doctoris locum te allego: (transferri enim ad preces Sanctorum ea facile poſſunt, quæ de Angelorum precibus dicit) aliqua tamen verba deſcribere operæ pretium reor: „ *Prophetæ igitur preces Angelus exaudit, ſed Perſarum princeps reſiſtit: quia & ſi jam vita juſti deprecantis ereptionem populi exigit; ejuſdem tamen populi adhuc vita contradicit, ut quia nec dum hi, qui in captivitatem fuerunt ducti, plene purgati ſunt: jure eis adhuc Perſæ dominentur. Michael adjuvat, ſed Græcorum Princeps ad prælium venit: quia mereri quidem veniam tam longa oppreſſorum captivitas poterat, ſed ereptionis eorum beneficio, hoc quoque, quod in Græcos deliquerant, obviabat. Recte ergo dicitur, quod contra ſe Angeli veniunt, quia ſubjectarum ſibi gentium viciſſim merita contradicunt.* Crocius apud optimos fratres VVallemburch

(g) tom. 2. Controv. pag. 248.

(g) approbat hujus modi ſenſum veluti Orthodoxum. Alii alia proponunt, ſed modo dicta ſint ſatis ad difficultatem ſolvendam, præſertim quum teſtentur iidem fratres VVal-

lem-

---

dignum eſt vobis pro nobis orare; quia iſta, quæ evenerunt nobis, non ad probationem, quomodo Sanctis; ſed malis meritis ſupplicia debebantur . . . . . ſed proſtrati rogamus, ut non ſpernatis veſtros miſeros peccatores (legunt alii precatores &c.) Et hanc quidem legitimam eſſe, atque aptiſſimam hujuſce teſtimonii explicationem, haud oſcure innuit Hieronymus, dum in Commentariis in locum hunc

(*) 63. 16.

Iſaiæ (*) hæc eloquitur. *Neſcit nos Abraham, & ignorat Iſrael, quia te offendimus, nec cognoſcunt filios, quos a Deo ſuo intelligunt non amari.*

lemburch, (*b*) non multum inniti in hoc teſtimonio Proteſtantes. (*b*) loco nuper citato.

IV. Cur vero promiſſionem Joſiæ a Deo factam tam vehementer urgent? quando quidem in objecto loco voces hæ *videant* (*oculi tui*) ſignificant *experiaris*. Nonne, ut crebro diximus, *viſus*, & *videre* in Scripturis ſumuntur pro *experientia*, ſeu *ſcientia experimentali*? *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*; (*) id eſt, experimentum facite. Senſus ergo eſt: Mala, quotcumque minitatus ſum, tu non experieris: quippe antea mortem oppetes, quam hæc eveniant. (*) Pſal. 33. 9.

V. Nemo, ut arbitror, dubitabit, quin Auguſtinus in cap. 13. libri *De cura mortuorum* vel problematice loquatur, vel potius objicientium, & difficultates proponentium more. Indubitata vero res eſt, capitibus ſubſequentibus Sanctorum ſcientiæ favere maxime. Cur horum ergo non meminerunt?

VI. Hieronymi locus eo eſt explicandus modo, quo verba illa Scripturæ: *ut non videant oculi tui*, nuper explicavimus; atque hic quidem ſi multa jam dictis adjungam, temere ea, atque inepte videbor adjungere.

VII. Neque vos terreat, quod ex Gregorio Nazianzeno depromſerunt. Sane Gregorius Nazianzenus inter eos merito recenſetur, qui a Sanctorum viſione, cultu, & invocatione ſteterunt maxime. Quod ad objecta duo loca attinet, niſi velis dicere, propterea illum dubitaſſe, num ſuas voces audirent ii, quorum meminit, quod dubitabat, num Conſtantii, & Sororis animæ (tam & ſi poſterior jam foret de beatitudine certa) beatitudinem adeptæ eſſent, quum eos alloquebatur: niſi, inquam, id velis dicere; dicito, neque inepte id dices, particulam *ſi* creberrime in affirmantem partem ſumi. Id monet Chryſoſtomus homilia 2. in Epiſtolam ſecundam ad Theſſalonicenſes n. 2. (30) in verba illa (*) *Si tamen juſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu de Cælo cum Angelis virtutis ejus*. Chryſoſtomo (*) cap. 1. v. 6.

(30) ,, Illud *ſi tamen* hic poſitum eſt pro *quia*. Quod quidem ,, ponimus in iis, de quibus valde conſtat, ut contra dici ,, non poſſit. Pro eo, quod eſt valde juſtum. Si juſtum ,, eſt, inquit, apud Deum eos ulciſci, omnino ulciſcetur. Quaſi diceret. Si res Deo ſunt curæ, Si Deus curat. Sic illud *ſi tamen* ponit, ac ſi res in confeſſo ſit &c.

mo aſſentiuntur Theophilactus, & alii, præſertim ex Græcis. Opportune vero afferentur in confirmationem hujuſce ſolutionis crebra illa Scripturæ monita: *Si ego Dominus; Si ego Pater:* quæ procul dubio non dubitantis, ſed aſſerentis verba ſunt. Quod ſi hæc ſatis eſſe non putes, & tu alia adde tum ex Scriptura, tum ex latinis Scriptoribus deſumpta. Quod ad Scripturam attinet, adeſt monitum illud Petri. (i) *Si juſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate*: ubi procul dubio particula *ſi* nullam habet conjunctam dubitationem. E latinis porro Scriptoribus hæc deſume. Tullius prima Oratione in Catilinam n. 3. *Si illuſtrantur*, inquit, *ſi erumpunt omnia*: Virgilius Æneid. 6. v. 147. *Si te fata vocant*: & in eodem libro v. 119. *Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus*. Neque mirum id eſt, cum *ſi* pro *ſiquidem*, aut pro *quoniam* interdum accipiatur, veluti in illis verbis: (k)

> Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
> Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.

Ad quæ verba Servius hæc inquit: *Si* pro *ſiquidem*; nam *ſi* confirmantis eſt.
Idem Virgilius 5. Æneid. v. 798.

> Si conceſſa peto, ſi dant ea mœnia Parcæ.

& alibi ſæpe.

(i) Act. 4. 19.

(k) Georg. 1. v. 7.

CAP. XXXVIII.

Explicantur probabiles modi, quibus res noſtras Sancti noſſe facile poſſunt. Denique oſtenditur, neceſſe non habere Sanctos ad ſuffragationem, atque opem ferendam nobis, ut certe noſcant res quaslibet noſtras.

I. NUnc itaque quales ſint modi, inquiremus, quibus res noſtræ innoteſcere Sanctis poſſunt. Quatuor proponi conſueverunt. Primus quidem eſt ille videndi, cognoſcendique quaſi naturalis modus, quem Platonici, & Patres fortaſſe non pauci animis corporeo carcere ſolutis aſſignaverunt: quos animos ex hoc ipſo, quod materialibus vinculis liberi eſſent, putaverunt, res haſce noſtras multo melius cognoſcere. Alter modus eſt poſitus in Angelorum nunciis, a quibus Sancti intelligere plurima de nobis poſſunt. Tertius eſt revelatio Sanctis vel a Chriſto, vel a Deo facta. Quartus denique eſt manifeſtatio certiſſimorum decretorum Dei, per quæ Sancti illia noverunt, quæ interdum nobis accidunt.

II. Primum proponere videtur D. Ambroſius in Oratione in morte Satyri fratris ſui (a) hæc elocutus: „ Quod „ ſi in quiete nocturna vinculis adhuc corporeis inhærentes, & quaſi inter carceraria religatæ clauſtra membrorum, poſſunt tamen animæ altiora, & diſcreta perſpicere: quanto magis ſpectant hæc, cum jam puro, æthereoque ſenſu nulla corporeæ labis impedimenta patiuntur?

(a) n. 73.

Verum hunc primum cognoſcendi modum non multum acriter propugnaverim, tam & ſi tum alii forte non pauci, tum præſertim Prudentius eum proponant. Vide illius Poema, ſeu Carmen primum in *Hamartigenia* in fine poematis, & ſubſequens poema, cui titulum apponere conſueverunt *de integritate viſionis animæ*. Veniamus itaque ad modum alterum.

III. Porro certa res eſt, ab Angelis, aut animabus a terra ad Cælos deductis multa Sanctos poſſe diſcere. Angelos certe rerum noſtrarum nuncios deſcribit Auguſtinus lib. *De curâ pro mortuis gerenda*: (b) „ Poſſunt (inquiens) & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, „ præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod unumquem-

(b) cap. 15. alias n. n. 18.

„ que illorum audire debere judicat, cui cuncta ſubjecta
„ ſunt. Niſi enim eſſent Angeli, qui poſſent intereſſe &
„ vivorum, & mortuorum locis, non dixiſſet Dominus
„ Jeſus: *Contigit autem mori inopem illum, & auferri ab*
„ *Angelis in ſinum Abrahæ &c.*

Quæ vero de Angelis diximus, eamdem ipſam ob cauſam dicere de animabus poſſumus primo ad Cælos deductis, & mundanas res jam noſcentibus. Quamquam autem neque rationem, qua Angeli noſtra vident, neque modum, quo de rebus noſtris alios certiores faciunt, neque quid illorum localis præſentia ad rerum noſtrarum viſionem conferat, aperte ſatis, & dilucide explicare poſſumus; tamen cum ex hiſce Auguſtini verbis, tum ex aliis, quæ ſatis ſunt nota Theologis, conſtat, per Angelos poſſe Sanctis res noſtras innoteſcere. Atque hunc quidem cognitionis modum a revelatione, quæ a Deo, vel a Chriſto Sanctis fit, diſtinctum eſſe, admonere videtur Auguſtinus, cujus verba mox referam, in quibus ad hoſce Angelorum nuncios adjungit, tamquam alteram cognoſcendi rationem, revelationem factam a Spiritu Dei: *Spiritu Dei revelante*.

IV. Quod ad tertium attinet: Eum quoque proponit Auguſtinus in nuper citato cap. 15. alias n. 18. libri *De cura pro mortuis gerenda*: „ Poſſunt etiam (inquiens)
„ ſpiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ ne-
„ ceſſarium eſt eos noſſe, & quos neceſſarium eſt ea noſ-
„ ſe, non ſolum præterita, vel præſentia, verum etiam
„ futura Spiritu Dei revelante cognoſcere: ſicut non
„ omnes homines, ſed Prophetæ, dum hic viverent, co-
„ gnoſcebant; nec ipſi omnia, ſed quæ illis eſſe reve-
„ landa Dei providentia judicabat. Vel ad poſtremum, de quo mox loquar, vel ad tertium hunc modum potiſſimum reſpexiſſe viſus eſt Ruſticus ille, qui referente Paulino in Natali VI. D. Felicis verſu 291. hiſce verbis ſanctiſſimum Confeſſorem eſt allocutus.

Debitor hic meus eſt; ipſum pro fure tenebo
Cuſtodem: tu Sancte, reus mihi, conſcius illis.
Te teneo; tu ſcis, ubi ſint, qui lumine Chriſti
Cuncta, & operta vides, longeque abſentia cernis;
Et capis, includente Deo, quo cuncta tenentur.
Atque ideo occulti fures quacumque latebra
Non tibi celantur &c.

V. Ultimum denique conſtare ajunt ex multis Patrum teſti-

teſtimoniis, veluti ex iis, quæ nuper citavimus ex Divo Gregorio Magno, (c) quibus alia multa addi poſſunt hujus generis, quæ collegere Theologi non contemnendi, ut oſtenderent, viſionem rerum noſtrarum in eſſentia divina Beatis eſſe tribuendam.

(c) Vide quę tradit Gregorius Magnus lib. 2. Moral. cap. 4. in nova Editione 7.

Verum, ut candide loquar, poſtremus modus hic, ſi aliqua non explicentur, aut addantur, non videtur ipſe per ſe ſufficere. Scilicet eſſentia divina, ut alibi multis oſtendimus, poſſibilia tantum exhibere poteſt; facta, aut facienda ut noverim, divinum decretum noſcam oportet: neque illud ad perſpicienda omnia ſatis reor: quippe permittens decretum, niſi alia acceſſerint, non exhibet certo futuram rem. Teſtimonia vero D. Gregorii, quibus innituntur, & quæ cum eadem ipſiſſima ſint, atque ea, quæ ſupra attuli, propterea iterum non affero, tantummodo me docent, videri alia ab eo, qui videt Deum: adeo ut argumentum a fortiori proponant: ſed non exhibent modum, quo iſta videntur. Ceteros modos agnoſco probabiles, & ſcientiæ Sanctorum comprobandæ, præſertim ſi multi jungantur, opportuniſſimos. Neque vero contemno eum ipſum, quem poſtremo loco propoſui: tum quia credibile eſt, *Dei, divinæque eſſentiæ*, nec non aliis id genus nominibus, quibus in hac re utuntur Patres, interdum etiam intelligi divina decreta; tum etiam quia ſi divinam eſſentiam ſimpliciter, ut ita loquar, & præciſe accipiamus, illius viſio, atque intuitus non levem rerum mundanarum notitiam ſubminiſtrare poteſt: præſertim quum ea acceſſerint, quæ in tribus prioribus modis exponendis attulimus.

VI. At id oſtendamus etiam oportet, quod poſtremo loco nos oſtenſuros promiſimus, ſcilicet neceſſe non habere Sanctos ad ſuffragationem, atque opem nobis ferendam, ut certo noſcant res quaslibet noſtras. Id exequar, ſi crebro allegatum Auguſtini librum, quem *De cura mortuorum*, ſeu ſi vis, *De cura pro mortuis gerenda* inſcripſit, hic iterum allegem. Etenim cap. 16. (d) ſciſcitanti *quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos per eos certum eſt adjuvari*, reponit Auguſtinus, fieri id poſſe a Deo: quippe preces ſupplicum etiam pro aliis, veluti pro mortuis fuſas exaudit, tam & ſi ei, qui orat, peculiariter non innoteſcant indigentiæ eorum, pro quibus orat. Nempe ſatis eſt, ut generatim Deum orent pro iis, qui ad ſe ſubſidii cauſa confugiunt, eumque enixe orent, ut depre-

(d) alias n. 20.

cantium indigentiis, quæcumque illæ futuræ ſint, ſubſidium ferat. Deus etenim precibus Sanctorum exoratus beneficia impertiet iis, qui ad Sanctos confugiunt; item fere, ut nos, licet ignoremus ſtatum animarum, quas purgatorius ignis exurit, adhuc tamen ſubſidium noſtrarum precum utiliter adhibemus, idque illæ perſentiunt, Deo noſtris precibus illud eis ferente ſubſidium, quod earum indigentia expoſcit. En verba ea, quæ dixi, Auguſtini. (e) „ Quamquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincit, „ quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos „ certum eſt adjuvari: utrum ipſi per ſe ipſos adſint uno „ tempore tam diverſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis, ſive ubi ſunt eorum memoriæ, ſive præter ſuas memorias ubicumque adeſſe ſentiuntur: an ipſis „ in loco ſuis meritis congruo, ab omni mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro „ indigentiis ſupplicantum, (ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, vel „ quid agant, ſcimus) Deus omnipotens, qui eſt ubique præſens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens martyrum preces, per Angelica miniſteria uſquequaque diffuſa præbeat hominibus iſta ſolatia, quibus „ in hujus vitæ miſeria judicat eſſe præbenda. Et ſuorum „ merita Martyrum, uti vult, quando vult, quomodo „ vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc „ novit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti, pro „ cujus illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili atque ineffabili poteſtate, ac bonitate commendet.

(e) cap. 16. alias n. 20. libro *De cura pro mortuis gerenda*.

CAP.

CAP. XXXIX.

Eas probationes ex Scriptura deſumptas, quas ad aſſeverandam Sanctorum de rebus noſtris ſcientiam Catholici afferre conſueverunt, ab acutulis quibuſdam Proteſtantium interpretationibus vindicamus.

I. EX iis, quæ hactenus diximus, evidens eſſe arbitror, quantum eos opinio fefellerit, qui improbabilem eſſe ajunt Catholicorum ſententiam, Sanctis poſt eorum mortem noſtrarum (aliquarum ſaltem) rerum ſcientiam tribuentium. At ut apertius videas, decipi eos potius, qui noſtra irrident, redarguuntque, eas, quas iidem Catholici ex Scriptura deſumere, afferreque conſueverunt probationes, vindicemus oportet ab iis acutulis interpretationibus, quibus eaſdem probationes eludere ſe poſſe Proteſtantes confidunt.

II. Porro ſtatim ajo, a me non contemni eas probationes, quas adverſarii diſſolvere conati ſunt: non tamen tanti a me fieri, ut eas potiſſimas eſse velim, quibus innitar, quamquam ſunt alii, qui his rationibus plurimum tribuunt. Epiſtolam Regi Joram allatam ſimillimum veri eſt a Thesbite Elia jam ad Cælos translato fuiſse conſcriptam: neque enim, ſi ſecus ſe res habuiſſet, veluti inuſitatam, & memoria digniſſimam hiſtoriam referrent ſacri Paralipomenon libri. Id ſi dederis, opportunum ſane habebimus argumentum Sanctorum ſcientiæ comprobandæ. Scilicet ſi Elias remotiſſimo loco poſitus, & corporeis vinculis adhuc impeditus, noſtra conſpicere, eaque curare potuit, cur Sancti corporeis vinculis exuti noſtra conſpicere, & curare nequibunt?

III. Num Epulonis narratio parabola ſit, an hiſtoria, interpretes decertant. Hiſtoriam volunt eſse Irenæus, aliique non pauci tum ex veteribus, tum ex recentioribus: ajuntque, pedes, & membra Epuloni tribui, ut ob oculos poneretur pœna illa, qua affligebatur. Quod vero Lazarum viderit in ſinu Abrahami conditum, allocutuſque eum ſit, id enim vero extraordinarium quidpiam eſſe fatentur, ſed tale, ut ex eo plane intelligas, præteritorum memoriam adhuc extare in damnatis. Quod ſi Epulo fratribus ſuis, ne ſibi pœna augeretur, damnationem timuit, & ut eam effugerent, ſtuduit, id videlicet argumento eſt, Bea-

tos

tos e contrario æternam ſalutem exoptare nobis, ut ſibi felicitas, Deo gloria augeatur. Quod ſi parabolam eſse vis, non hiſtoriam, tum demitur quidem probationi vis aliqua; at ita demitur, ut veriſimilitudo adhuc extet in ea narratione: in parabolis ſiquidem veriſimilitudo expoſcitur. Porro id ſatis eſt ad oſtendendum, non eos errare, qui ſimillimum veri putant, damnatis res aliquas noſtras innoteſcere; ideoque multo magis eas Beatis innoteſcere, quos inter, & nos Chaos illud non eſt poſitum, quod damnatos inter, & ſinum Abrahæ poſitum erat: quippe & Deo revelante, & nunciantibus Angelis, aliiſque etiam modis multa ſcire poſſunt, quæ damnati prorſus ignorant.

CAP. XL.

Diſſolvuntur ea, quæ ad infirmandam perſuaſionem Catholicorum, arbitrantium, ſingillatim Sanctorum precibus, atque ope adjuvari nos poſſe, ab experientia, & a Theologica ratione deſumpſerunt.

I. Dilutis iis, in quibus potiſſimam vim collocant adverſarii, reliqua aggrediamur eſt opus: atque hic quidem breviter expendamus ea, quæ ab experientia, & a Theologica ratione deſumpſerunt. Sane experimenta, quæ in creberrimis habemus miraculis, Sanctorum pietatem, interceſſionemque maxime comprobant. Ea non eſse Dæmonis, aut improborum hominum fraudes, cum illa demonſtrant, quæ a Viris doctiſſimis, ſanctiſſimis, diligentiſſimiſque narrantur, tum vero illa, quæ omnem prorſus adimunt ſuſpicionem, quæque de miraculis a Deo per reliquias Stephani Martyris perpetratis narrant Auguſtinus, & ſcriptor ille, cujus hiſtoria ad rem hanc pertinens, & fide digniſſima inter Auguſtini libros extat. (a)

(a) in appendice tomi ſeptimi.

II. Poterunt vero eodem ipſo tempore mille miracula interceſſione unius Sancti fieri, vel per Angelos, ut omnino vult auctor quæſtionum ad Antiochum, cum libris Athanaſii editarum, quem jam alibi citavimus, vel per Deum, vel per Sanctos ipſos forte præſentes pluribus locis: quod Auguſtinus non videtur cenſere alienum a veriſimili. Repete hic, quæ tradit Auguſtinus cap. 16. libri *De cura pro mortuis gerenda:* quæ verba quoniam nuper retuli, hic afferre ſupervacaneum foret. Immo cum hoc

de

de argumento haud indiligenter diſputaverim numero primo capitis XI., ad eum locum lectorem allego: cur enim in eo argumento rurſus refellendo immorari neceſſe eſt, cum illud jam pridem repulerim?

III. Sic porro poſtremum a ratione deſumptum paucis expedio. Impediuntur Sancti a beatitudine, qua fruuntur, ne affligantur a viſione noſtrorum criminum: item fere, ut Angeli, quamvis noſtra crimina videant, minime tamen ab ea viſione affliguntur: tam & ſi omnem impendant operam, ne in ea incidamus, & ſi forte inciderimus, ut ab iis reſurgamus. Immo non deſunt tituli, ob quos noſtrorum criminum intuitus ſolamen aliquod, ut ita loquamur, iis afferat. Annon vident, divina pietate factum eſſe, ut in ea labi nequeant ipſi, & ab iis, in quæ forte inciderunt, criminibus ſe fuiſſe exſolutos? Hanc ne levem putas ſolatii, & honeſtiſſimæ cujuſdam voluptatis cauſam?

CAP. XLI.

Refertur, atque expenditur id, quod de Fructuoſo narrat Auguſtinus: oſtenditurque, Catholicorum ſententiæ minime adverſari ea, quæ referuntur ab eodem Auguſtino, Fructuoſi verba. Denique indicatur locus, ubi ea diluimus, quæ ex tertio capite repetunt.

I. Alterum, ut vidimus objectionum genus impoſſibilitatem, de qua hactenus differuimus, minime curans, certe adhibitum negat ſingillatim nobis hujus modi interventum. Porro hoc objectionum genus complectitur multa, veluti ea Patrum monita, in quibus tantum docemur, pro Eccleſia rogare Sanctos, vel etiam doceri videmur, pro Eccleſia tantum modo, non pro peculiaribus ſingulorum indigentiis rogare. Inter cetera poſtremi generis argumenta hoc præſtat. Ex Auguſtino, ſeu potius ex Fructuoſo antiquo, & ſanctiſſimo Martyre, cujus Auguſtinus mentionem facit, & laudes texit, novimus pro Eccleſia tantum modo deprecari, atque intercedere Sanctos. Nimirum edocet Auguſtinus, (a) *Fructuoſo cum diceret quidam, ut eum in mente haberet, & oraret pro illo*, reſpondiſſe ſanctiſſimum Martyrem: *Me orare neceſſe eſt pro Eccleſia Catholica ab oriente uſque ad occidentem diffuſa.* Quibus quidem Fructuoſi verbis recitatis, hæc ſubdit Auguſtinus: „ Quis enim „ orat pro ſingulis? ſed neminem ſingulorum præterit, qui „ orat pro univerſis. Ab eo nullum membrum prætermittitur, cujus oratio pro toto corpore funditur. Quid ergo „ vobis videtur admonuiſſe iſtum, a quo rogabatur, ut „ oraret pro eo? quid putatis? ſine dubio intelligitis. „ Commemoramini a nobis. Rogabat ille, ut oraret „ pro illo. *Et ego* (inquit) *oro pro Eccleſia Catholica* „ *ab oriente uſque ad occidentem diffuſa.* Tu ſi vis, ut „ pro te orem, noli recedere ab illa, pro qua oro.

(a) In Serm. olim 201. de diverſis, nunc 272. cap. ſeu n. 2.

II. En porro quæ exhibeat tertium caput. Indubitata res eſt, per hanc perſuaſionem, qua Sancti peculiaribus perſonis, aut indigentiis opem ferre creduntur, veterum ſuperſtitionem in Chriſtianos inductam eſſe. Verte nomina: Quid inter Ethnicos, & Chriſtianos intererit? Illi

nau-

nautis præeſſe volebant Pollucem, hi Nicolaum. Morbis præfecerunt illi Æſculapium, hi Antonium. Græcarum, Romanarumque ſuperſtitionum undique exempla.

III. Atque a primo facile expedimur. Qui enim pro Eccleſia orat, non prohibetur pro peculiaribus etiam ſingulorum indigentiis orare. At neque ſecundum magnam habet difficultatem. Etenim, ut in illo ſiſtamus teſtimonio, quod expreſſe tantum allegaverunt, neque conſtat, (quantumcumque Auguſtini verba pervolvas) Fructuoſum, ubi ſe pro Eccleſia precaturum dixit, reſpexiſſe ad eas preces, quas poſt mortem Deo fundere potuiſſet; neque, ſi id etiam conſtaret, colligi omnino poſſet, eum, qui pro Eccleſia univerſa precaturus eſt, non etiam pro ſingulis precari poſſe. Quod ad primum attinet, ſi diligenter inſpexeris, perpenderiſque Auguſtini verba, nullam omnino reperies voculam, immo nullum, ut ita loquar, reperies apicem, ex quo diſcas, preces non viventis, ſed vita mortali functi Fructuoſi indicari: immo contra a tempore præſenti, quo utitur Auguſtinus: *orat*: preces indicari videntur ab eo, quum adhuc viveret, fundendæ. En quæ dixi Auguſtini verba. *Cum ei diceret quidam, & peteret, ut eum in mente haberet, & oraret pro illo, reſpondit: me orare neceſſe eſt pro Eccleſia Catholica ab oriente uſque ad occidentem diffuſa. Quis enim orat pro ſingulis? &c.* Et re vera conſueviſſe Sanctos Martyres, ac præſertim Epiſcopos, martyrium paulo poſt ſubituros, pro Eccleſia univerſa orare, diſcimus ex numero octavo actorum Sancti Polycarpi: *in qua* (oratione) *mentionem fecerat omnium ...... totiuſque per orbem terrarum Catholicæ Eccleſiæ*.

IV. Quod ſi de precibus poſt mortem fundendis intelligi id vis, non propterea excluduntur peculiares perſonæ. An non diſcimus ex iiſdem actis Sancti Polycarpi, eum tam & ſi per univerſa Eccleſia fuderit preces, peculiarium tamen perſonarum adhuc meminiſse? *Ut vero precationem finiit, in qua mentionem fecerat omnium, qui aliquando cum ipſo congreſſi fuerant, parvulorum juxta, & magnorum, clarorum, & obſcurorum, totiuſque per Orbem terrarum Catholicæ Eccleſiæ &c.* Et ſane minime prohibetur is, qui pro cunctis univerſim rogat, ne pro aliquibus ſpeciatim roget.

V. At age: noluerit S. Fructuoſus polliceri, ſe ſe ſingillatim nominatimque oraturum pro cunctis, qui pre-

ces ſuas expoſcebant. Id vero indicat non obſcure Auguſtinus iis verbis. *Quis enim orat pro ſingulis?* Adhuc peculiaris interceſſio extare poteſt, ſi generatim pro iis orat, qui aut carnis cognatione, aut civitatis, & amicitiæ vinculis conjuncti ſunt, aut etiam preces ſuas popoſcerunt; aut affine aliud ob meritum (ſi appellare ita vis) digni effecti ſunt, ut Sanctus eorum ageret curam, advocationeque fungeretur. Tum ſane rejicitur peculiaris illa enumeratio, qua ſingillatim, & nominatim quiſque recenſetur, & ſimul talis interceſſio, & cura importatur, ut ad ſingulares perſonas deſcendat. Quid quod, niſi fallor, D. Fructuoſus illa repoſuit homini, ſuas preces expoſcenti, ut eum in Catholica Religione detineret, a qua forte recedere ille volebat? Id ſane innuunt & verba poſita in Sermone Auguſtini: *Rogabat ille, ut oraret pro illo:* & Fructuoſi ipſius: *Et ego oro pro Eccleſia Catholica ab oriente uſque ad occidentem diffuſa: Tu ſi vis, ut pro te orem, noli recedere ab illa, pro qua oro:* quæ verba utique puto Fructuoſi eſſe, non Auguſtini; aut ſi vis, Auguſtini referentis tantummodo Fructuoſi ſenſa, non de ſuo aliquid addentis.

VI. Quam facile ea, quæ ex ſuperſtitionis periculo repetunt, diluantur, tum videbimus, quum idem rurſus objicietur in Catholicos, qui Sanctos colere in more habent. Ad eum locum vos allego.

CAP.

CAP. XLII.

Attinguntur ſumma capita perſuaſionis illius, quæ apud Catholicos jam dudum invaluit: ideſt Sanctos a Deo etiam expoſcere, nobiſque impetrare temporalia quædam beneficia. Vindicatur quoque ab objectis eadem perſuaſio.

I. DE iis, qui impetrant; de iis quoque, pro quibus Cælites impetrant, ſatis multa diximus. Poſtrema pars ſequitur, in qua inquiritur, quidnam impetrent. Porro non modo cæleſtia beneficia, verum etiam terreſtria, & temporalia poſſe nobis impetrari a Sanctis, paucis oſtendam. Si qua vis ineſt in teſtimoniis Patrum, ſane ab his edocemur, non cæleſtia modo, ſed & terreſtria, & temporalia beneficia nobis Sanctorum interventu eſſe collata. Vide quæ tradunt Baſilius numero ſexto homiliæ in 40. martyres; Theodoretus oratione octava *De curandis Græcorum affectionibus*; Auguſtinus in Sermone olim 111. *De diverſis*, nunc 302; primo ex recitatis in ſolemnitate S. Laurentii num. 1.; Aſterius num. quinto Orationis in Sanctos Martyres. Quæcumque etiam temporalia poſcebantur a Theodoro, impetrari monuit Gregorius Niſſenus num. 6. orationis in eumdem Sanctum. D. Chryſoſtomus num. quinto homiliæ in Ignatium Martyrem: „ Ideo (inquit) reliquias Sanctorum nobis conceſſit Deus, ut nos eorum opera ad eumdem zelum perducat, & ſint nobis velut portus quidam, & idoneum ſolatium malorum, quæ aſſidue nos affligunt. Quam ob rem vos omnes cohortor, fratres, ſi quis veſtrum ægritudine animi, vel corporis morbo, vel quavis alia calamitate, aut peccatorum mole premitur, ut cum fide huc accedat: & ab aliis omnibus liberatus, magna cum lætitia revertetur, & aſpectu ſolo conſcientiam tranquilliorem reportabit.

II. Communia in neceſſitatibus noſtris præſidia Sancti, eorumque ſacra corpora ſæpe appellantur a Patribus. Quin & temporalia beneficia nobis per Sanctos impetrata novimus cum ex aliis quamplurimis, tum ex D. Paulino, qui alibi ſæpe id docet, ſed præſertim in natali XI. & XII. in S. Felicem, quos libellos legas opto, agniturus quanta ſit Sanctorum pietas, qui nobis vel in terrenis noſtris

egeſtatibus opitulentur, & faveant. Ad hæc: ſi a Deo nos ipſi poſcimus, & recte poſcimus non modo ſuperſubſtantialem, & cæleſtem, ſed & quotidianum, & terrenum panem, cur eumdem a Deo non poſcemus Sanctorum & ope, & interventu? præſertim quum his ipſis uti poſſimus in perpetuum animæ emolumentum, & ſæpe veluti ſolatio indigere videamur. In terrenorum quoque largitione beneficiorum divina providentia ſe prodit, & eorum deſiderium nonnullos etiam perduxit ad Catholicam Religionem. Unico, ſed aptiſſimo exemplo id comprobo. Charraricus Rex Arianus cupidiſſimus, ne mors ſibi eriperet eum, quem enixiſſime diligebat filium, propoſuit animo, ſe Catholicam fidem cum ſubditis ſibi populis amplexurum eſſe, ſi Martini interceſſione eundem filium relinqueret morbus: quod re ipſa evenit, deductuſque hoc modo eſt cum ſibi ſubdito populo ad Catholicam fidem impius antea Princeps. Id diſcimus ex Gregorio Turonico, (a) ad quem accurate id enarrantem te allego: *Si multa munera . . . . . obtineant mei infantuli medicinam* (dicebat Charraricus) *inquiſita fide catholica*, *quæ ille* (S. Martinus) *credidit*, *credam*.

(a) lib. 1. de Miracul. S. Martini cap. 11.

III. Sed quædam expendamus oportet, quæ adverſus hactenus dicta objiciunt. Porro eo fere ſpectant oppoſitiones, ut probent, minime conſentaneum eſſe Sanctorum præſtantiæ, ac ſapientiæ, ea nobis depoſcere, quæ cæleſtia non ſint, nec divina. Nempe noſcunt illi terrenarum rerum omnium vilitatem, ideoque eas contemptui habent: noſcunt quoque, nos, dum terrenis iſtis, & perituris implicamur, ad cæleſtia oculos non extollere. Quis ergo in animum ſibi inducat, hæc eos nobis a Deo poſcere? Ornatum audivi hujuſmodi argumentum ſimilitudinibus elegantibus: comprobatum teſtimoniis Scripturæ, iis præſertim, in quibus Deus nos edocet, viliſſimas eſſe res humanas, & fraudum plenas. Hinc Chriſtus redarguit diſcipulos, quod nullam hactenus rem petiiſſent ab eo; id eſt, ut explicat Auguſtinus, (b) nullam *cæleſtem rem*: terrena quippe hæc nihili ſunt æſtimanda. Monet quoque idem Chriſtus, cæleſtia tantum eſſe expoſcenda a Deo, qui terreſtria, & mundana adjunget. (*) *Quærite primum regnum Dei*, *&* *juſtitiam ejus*, *&* *hæc omnia adjicientur vobis*. Novimus denique, creaturas ſæpe dici in *muſcipulam* factas hominibus. Porro quis muſcipulas vel ſibi, vel aliis petet, quis retia, quis laqueos, quibus impediamur, ne

(b) Tract. 102. in Joan. n. 2.

(*) Matth. 6. 33.

ſe-

ſeramur ad Deum? Inſaniet ſane, ſi quis hæc petat.

IV. Hæc tamen, aliaque id genus, quæ aliquam veritatis ſpeciem habent, haud ægre diſſolves, ſi dixeris, ab Eccleſiæ conſuetudine, quam omnes, atque in primis Auguſtinus reveritus eſt maxime, & quam magiſtram noſtram & agnovit, & ſæpe propoſuit, edoceri nos, peti poſſe a Deo (ideoque & nobis, & aliis) non cæleſtia tantum, ſed & terrena. Vide (ut reliqua prætermittam) preces, quibus clauduntur Laudes, & Veſperæ in officio parvo Virginis Mariæ. Hæc adjungite iis, quæ in probatione aſſertionis noſtræ allata ſunt, & manifeſto conſpicies, ſine probro peti a nobis poſſe terrena, dummodo ita petantur, ut non præferantur cæleſtibus, aut ab iis nos non deducant. Id quippe ſi forte eveniat, tum illaudabiles erunt noſtræ preces ſive Deo, ſive Sanctis delatæ, & eas eventu irritas merito conſpiciemus. *Sic expectemus conſequi temporalia beneficia*, ait Auguſtinus, (c) *ut eum imitando* (Stephanum) *accipere mereamur æterna*.

(c) Serm. 317. alias 92. *de diverſis*. n. 1.

V. Porro Auguſtinus, & alii Patres cauſas afferunt, cur & nobis, & aliis expoſcere poſſumus terrena: quia ſcilicet quædam ſolatia ſunt. Sic ille appellat capite 16. ſæpius citato libri *De cura pro mortuis gerenda*. Alacriores vero efficimur in Dei obſequio, dum conſolationem vel in levibus iſtis recipimus. Quia quædam viæ ſunt, & veluti anſæ, ut majora infirmiores petant, dum nos minoribus iſtis, & leviuſculis conſolatur Deus, miſericors, & amantiſſimus Pater. Eundem Auguſtinum audite n. 1. Sermonis 302. in S. Laurentium 1. hæc elocutum: (d) „ Martyrum ergo veſtigia imitando ſectemur, ne ſolemnitates „ eorum inaniter celebremus. Cujus autem meriti ſit memoratus Martyr, quis ignorat? Quis ibi oravit, & „ non impetravit? Quam multis infirmis meritum ejus „ etiam temporalia beneficia præſtitit, quæ ille contempſit? Conceſſa ſunt enim non ut precantium permaneret infirmitas; ſed ut deterioribus conceſſis, amor fieret ad appetenda meliora. Quædam enim pleruinque „ parva, & ludicra concedit pater parvulis filiis, quæ „ maxime, niſi acceperint, plorant. Benigna, & paterna indulgentia hæc impertit, hæc donat, quæ non vult „ permanere in filiis ſuis jam grandiuſculis, jam proficientibus. Donat ergo pueris nuces, quibus ſervat hæreditatem. Ludentibus, & de quibuſdam ludicris ſe-

(d) alias 111. *de diverſis*.

„ ob-

„ obleɾtantibus, cedit paterna pietas; ne deficiat ætatis
„ infimitas. Blandientis eſt hoc, non ædificantis.

VI. Etiam quia Deus, dum modica, & leviſſima nobis tamen optantibus elargitur, ſe ſe oſtendit eximiam noſtri curam gerentem, & horum largitione, rerum omnium Dominum non modo in maximis, & ſupremis; verum etiam in minimis, & deſpectis. Pertractat hoc argumentum egregie, uti ſolet, Bernardus hæc elocutus: (e)
„ Duo quidem hujus temporis ſunt, id eſt bona corporis,
„ & animæ, tertium vero beatitudo æternæ vitæ. Nec
„ mireris quod bona corporis a Deo dixerim eſſe quæ-
„ renda: quoniam ejus ſunt corporalia omnia, ſicut &
„ ſpiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum, & ſpe-
„ randum nobis eſt, unde poſſimus in ejus ſervitio ſuſten-
„ tari. Verumtamen pro neceſſitatibus animæ orandum
„ nobis eſt & frequentius, & ferventius, id eſt pro ob-
„ tinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic & pro
„ vita æterna tota pietate, & toto nobis orandum eſt
„ deſiderio, ubi nimirum corporis, & animæ plena, &
„ perfecta ſit beatitudo.

(e) Serm. 5. in quadrageſima n. 8.

VII. Denique deſiderium eorundem terreſtrium beneficiorum obtinendorum, aut ipſa aſſecutio ad virtutes ſæpe duxit; ad Catholicam quoque Religionem amplectendam eos obices interdum tollit, quos eadem Catholica Religio habere videbatur inſuperabiles. Id comproba, ſi vis, exemplo Charrarici Regis, de quo nuper mentionem fecimus. Sane Catholica fides in Charrarici ſubditis ea occaſione ad Catholicam fidem converſis tam altas radices fixit, ut referente Gregorio Turonico, quem allegavimus, *prompti fuerint omnes martyrium libentiſſime ſuſcipere, ſi tempus perſecutionis adfuiſſet*.

VIII. Quod ſi ſpeciatim de precibus ad Sanctos propter terrena acquirenda prolatis loquamur, eæ caritatem, & pietatem Sanctorum commendant, oſtenduntque, perſuaſos eſſe Catholicos, tam ardenti caritate erga nos pollere Sanctos, ut nos vel in minimis, terreniſque recreent, juventque.

IX. His vero muniti ſolvere haud ægre poteſtis, quæ objecta ſunt. Levia fateor, & ſi vis, vilia etiam terrena iſta. At his indigemus ſaltem ut ſolatiis, utimur ut viis, & anſis ad majora petenda, & ad virtutes acquirendas. Dei providentiam ad minima uſque deſcendentem agnoſcimus, & veneramur. Bonitatem, caritatemque Sancto-

ctorum maximam conſpicimus. Ea vero caute & prudenter adhibita non muſcipulæ ſunt, ſed gradus ad cæleſtem patriam. *Levate oculos veſtros, & videte, quis fecit hæc.* (f) *Ex creatura poterit borum Creator videri.* (g) Et reliqua id genus haud difficilia repertu in Scripturis. Abuſu itaque creaturæ, non uſu prohibemur. Et ſane ab hac, uti nuper diximus, ad Deum duci poſſumus, & merito redarguit Apoſtolus Paulus philoſophos veteres, qui Deum ex creaturis agnoſcentes, *non ſicut Deum glorificaverunt*.

(f) Iſa. 40. 26.
(g) Rom. 1. 20.

DIS-

DISSERTATIO IV.

POſt enumeratos hoſtes, poſt jacta, ut ita appellemus, cultus Sanctis adhibiti fundamenta, cultum ipſum aggrediamur oportet, ideoque id, quod præcipua meta eſt, ſcopuſque noſtrarum lucubrationum. Sicut vero eum cultum propterea improbant Eterodoxi, quod eorum quidem ſententia veteribus ignotus, poſtremis temporibus per fraudem quandam in eamdem Eccleſiam irrepſerit, & quod etiam a pietate, & ab utilitate alieniſſimus ſit; ita nos eorum accuſationibus vehementer obſiſtemus, docebimuſque, antiquiſſimum, jugiter in Eccleſia retentum, pium, utilem denique eum eſſe. En præcipua capita ſuſceptæ diſputationis.

De antiquitate Cultus Sanctis adhibiti.

CAPUT PRIMUM.

Poſt brevem præfationem indicantur loca, quibus alibi uberrime oſtendetur, ſanctis viris vita functis ab Hebræis venerationem fuiſſe adhibitam. Hic autem paucis oſtenditur, Angelos ab iiſdem Hebræis fuiſſe cultos.

I. ANtequam progrediar, monitos vos eſſe volo, cum Sanctos hic nomino, hoc vocabulo non eos a me indicari, qui mortalem adhuc vitam agunt. Sancti hi quidem dicuntur crebro in Scripturis, & ſunt, at non eos Sanctorum vocabulo deſignare hic volo: ſed tum eos, quorum pretioſa in conſpectu Domini extitit mors: tum Angelos, qui licet nobis adſint, & curam agant noſtri, ſemper tamen faciem Patris, qui in Cælis eſt, vident. Ac primo quidem cultum iis adhibitum antiquiſſimum eſſe

pro-

pronuncio. Id ut oſtendam, non cuncta hic ſtatim aggero, quæ ad id comprobandum videntur apta, ſed in varia diſtribuam capita, illud ex ea diviſione commodum perquirens, ut dilucidius, ac certius ejuſdem cultus antiquitas innoteſcat. Porro ab Hebræis ipſis exordior, ajoque, extare laudatiſſima monumenta, ex quibus innoteſcat, tum Sanctis vita functis, tum etiam Angelis adhibitum fuiſſe ab Hebræis cultum aliquem, qui urbanum, civilemque ſuperaret, ideoque qui foret ſacer.

II. Non hic expectetis tamen peculiaria argumenta, quæ comprobent, ab Hebræis Sanctos vita functos fuiſſe cultos. Id peragam, quum de peregrinationum, invocationis, & cultus reliquiis Sanctorum adhibiti antiquitate diſſeram. Ea hic poſtulo, & tantum monitos vos eſſe volo, ſub his titulis comprehendi valde probabiles probationes, quibus perſuadeamur, fuiſſe proſequutos Hebræos veneratione aliqua Sanctos vita functos. Peculiariter itaque hic tantum oſtendam, interdum Angelos ab Hebræis etiam probis fuiſſe cultos cultu aliquo, qui urbanum, civilemque ſuperaret, ideoque, ut dixi, cultu ſacro. Nimirum verſiculo 13. & ſubſequentibus capitis v. libri Joſue edocemur, Joſue viſo viro ſtante ex adverſo, qui evaginatum ſtringebat gladium, illi obviam occurriſſe, atque his vocibus compellaſſe: *Noſter es, an adverſariorum?* reſpondiſſe vero Angelum: *Nequaquam, ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Tum vero Joſue *pronus in terram cecidit, & adorans ait*: *Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum?* repoſuit vero Angelus interroganti: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt*. Fecitque Joſue, ut ſibi fuerat impoſitum. Quis porro neget, ex hoc teſtimonio innoteſcere, cultum Angelo fuiſſe adhibitum? *Pronus in terram cecidit, & adorans ait &c.* Quod vero cultus iſte ſacer fuerit, haud obſcure indicat præceptum Angeli jubentis Joſue, ut calceamentum de pedibus ſuis ſolveret, quia locus, in quo ſtabat, ſanctus erat (ex Angeli nempe præſentia locum illum ſanctificante.) Sacrum porro non ſolum oſtendit vox illa *Sanctus*, quæ ſacrum aliquid per ſe ſignificat, verum etiam ritus ipſe de ſe (ut ita loquamur) ſacer ſolvendi calceamenta: quod ex iis conſtat, quæ edocemur in libro Exodi. (*a*) Neque vero ſacrum fuiſſe negant ii Proteſtantes, (quos tamen mox repellemus) qui Chriſtum eum Angelum fuiſſe dicunt,

(*a*) Cap. 3. n. 5.

cui merito adhibita ſit adoratio. Numquam vero novimus reprehenſum fuiſſe hanc ob rem Joſue. Et cur reprehendi is poterat, qui Angelum Domini ſibi hæc præcipientem audierat?

III. Quod ſi interceſſio fundamentum eſt cultus, cum palam noſſent Hebræi, Angelos intercedere, ut jam pridem oſtendimus, cur colere non potuere, eo ſcilicet cultus genere, quod divino longe eſt inferius? Divinum ſcilicet tantummodo Angelis tribui vetitum eſt, quod deinceps oſtendemus.

IV. Si porro Eccleſiaſticum aliquem auctorem allegari a me vis, continuo allego Euſebium Cæſarienſem: quippe capite tertio libri tertii *Evangelicæ præparationis* inter ſancta, piaque documenta priſcorum Hebræorum *tum virorum*, *tum prophetarum* collocat adhibitam probis, demptam vero improbis Angelis venerationem. Euſebii verba hic recenſerem, niſi capite tertio ſubſequenti illa deſcriberem. Illuc itaque lectorem amando.

CAP. II.

Ab objectionibus vindicatur noſtra perſuaſio.

I. AD ea, quæ ſuperiori Capite propoſuimus, multa reponunt adverſarii, quæ tamen ad duo capita revocari facile poterunt: quorum primum affirmans ſeu poſitivum appella, ſi vis; negativum alterum. Complectitur primum ea Scripturarum loca, quibus aut generaliter Hebræis præcipitur, ut Deum tantummodo adorent, aut peculiariter ii jubentur, ne Angelos colant. Quibus ſane non paucis recitatis, ſic diſputant. Si quis ad hæc advertet, minime in animum inducet ſuum, Angelos ab Hebræis fuiſſe cultos, cum eos colere prohiberentur. Negativum vero hæc continet. Deficit in probationibus hæc perſuaſio. Nempe Chriſtus dici poteſt ille Princeps, quem allocutus eſt Joſue. Si enim *Angelus* alibi dicitur, cur Angelorum Princeps appellari ille non poterit? At age, fuerit verus Angelus; divinos honores excipere potuit, quod legatione Dei fungeretur; item ut divinos honores accepit Angelus, qui legem in monte Sinai indixit, quod Dei legatione fungeretur. Ceterum in dubio eſt adhuc, num ſacer fuerit honor, quem Joſue Angelo illi, ſi Angelum fuiſſe vis, detulit: cum enim ſæpe dicatur a Pon-

tificiis, exterioris honoris argumenta communia interdum eſſe & Deo, & creaturis, & ab interiori animi directione diſcriminari; cum qualis animus Joſue fuerit, neſciamus, genus etiam cultus a Joſue Angelo illi delati neſciemus. Unde enim novimus, interiori animi directione ſacrum effectum fuiſſe a Joſue? At ſi vis, fuerit ſacer. Non continuo id, quod cupiunt, iidem Pontificii obtinent: tum quia rem Scriptura narrat, non approbat: tum etiam quia ab uno exemplo generalis conſecutio erui non poteſt: quæ enim exemplo allato adjungi conſueverunt a Pontificiis, veluti Abrahami adorantis tres Angelos, & alia notiſſima, inopportuna illa ſunt. Vel enim non agnoverunt ii ipſi, qui eos coluerunt, eſſe Angelos, ſed homines eſſe putavere, & certe homines eos credidit Abraham, dum opiparas dapes illis inſtruxit; vel honor Angelis illis delatus civilis dici potuit, non ſacer.

II. At hæc, & ſi qua ſunt alia his affinia, haud difficile tolluntur, & iis interea omiſſis, quæ primo argumentorum capite continentur, (nam ea deinceps copioſiſſime diſſolventur) ad ea convertimur, quæ ſecundo capite poſita ſunt, id eſt ad negativa. Et ſic illis occurrimus.

III. Chriſtus omnino dici non poteſt Angelus ille, quem allocutus eſt Joſue: ſcilicet ſe Angelum eſſe manifeſto prodidit, cum Principem exercitus Domini ſe eſſe dixit. Chriſtus autem dici nequit Princeps, ideſt imperator exercitus, cum Dominus exercitus ſit. Tam & ſi vero Angelus interdum dicatur, propterea dicitur, quia nuncius paternorum juſſuum fuit, aut Angelus, ſeu nuncius pacis. Itaque quum Chriſtus *Angelus* appellatur, vox *Angelus* pro nuncio accipitur, & ad Verbum contrahitur humana jam carne indutum. Id agnovere tum alii multi, tum apertiſſime etiam Interpres Pontificiorum partibus minime addictus, Hugo Grotius; dum in Commentariis in locum hunc Michaelem fuiſſe tradit Angelum illum, qui apparuit Joſue, & lectorem amandat ad annotationes ſuas ad v. 1. capitis XII. libri Danielis.

IV. Cui vero perſuadebunt, Dei legatione functum fuiſſe Angelum illum, quem ex libro Joſue commemoravimus, cum neque Deum, neque Dominum ſe ſe appellaverit, uti ſe appellavit Angelus, qui in monte Sinai legem indixit? Sacrum vero fuiſſe honorem illi delatum, eruere etiam mihi videor ex ipſo munere, dignita-

te, & merito Angeli, ex ipſis quoque Angeli verbis, quæ ſi attendantur, cultum civili elatiorem videntur ſignificare; denique ex ritu ipſo: ſacrum enim indicari arbitror eo præcepto, quod indixit Joſue Angelus, ut ſcilicet calceos deponeret, qui mos venerationem ſacram haud obſcure declarat: quod nuper innui ex Exodo. Sed cur prætereo, quod in aliis auctoribus de eodem more reperi? Quid Ovidius? (*a*)

Huc pede matronam nudo deſcendere vidi.

Quid Tertullianus? (*b*) *Denique cum ab imbribus* (inquit) *æſtiva hyberna ſuſpendunt, & annus in cura eſt .... nudipedalia populo denunciatis* .... Et alibi (*c*) *Cum ſtupet Cælum, & aret annus, nudipedalia denunciantur*. Quæ teſtimonia ſacrum cultum procul dubio denotant. Quod ſi ſacrum eſſe dederis, id ſatis mihi eſt: tam & ſi enim Scriptura tantummodo rem narret, tamen tum ex eo, quod non reprehendat, tum etiam ex eo, quod vir ſanctiſſimus, & in Domini præceptis exercitatiſſimus eum adhibuerit, facile intelliges, talem fuiſſe eumdem cultum, ut Angelis adhibere alii etiam Hebræi poſſent. Reliqua exempla, quæ ego non attuli, ſed tamen diſplicet adverſariis, quod ab aliquibus afferantur, neque inopportuna eſſe reor, neque forte tam manifeſta, ut plurimum in iis inniti debeamus. Si quis ergo afferet, probabile argumentum afferet, laudatiſſimum vero, ſi illud alleget, quod præbent verſiculus 31. & ſubſequentes capitis 22. Numerorum. Nempe ex eo intelligimus, Balaam ariolum quidem, ſed tamen prophetam Domini, ubi Angelum eum eſſe agnovit, qui ſibi obſiſtebat, protinus coluiſſe pronum in terram, ſinente Angelo hujuſmodi cultum ſibi adhiberi; vetuiſſet porro, ſi improbus, Deoque injurioſus fuiſſet hic cultus.

(*a*) Lib. 6. faſtorum. v. 397.

(*b*) Cap. 40. Apologetici.

(*c*) de Jejuniis cap. 16.

CAP.

CAP. III.

Veterum teſtimoniis valde probabilibus evincitur, laudatiſſimam eorum eſſe perſuaſionem, qui putant, Angelis cultum aliquem ſacrum, ſed quem longe divinus cultus præſtaret, a primis uſque Chriſtianis fuiſſe adhibitum.

I. QUod primis ipſis Eccleſiæ temporibus cultum ſacrum Angelis adhibuerint Chriſtiani, indubitata res eſſet, ſi indubitatum foret, in illa Juſtini Apologia, quæ ſecunda fere appellatur, ſed re vera prima eſt, (1) quædam verba debere ſic verti, jungique, ut Catholici interpretes vertere, jungereque olim conſueverunt, aut non fuiſſe poſterioribus temporibus addita quædam, quæ Angelos a Juſtino omiſſos adjungerent. En vero ipſa verba, prout vetuſtus interpres expoſuit. „ Sed „ & illum, (Deum Patrem) & ejus Filium, qui ve„ nit, noſque docuit, & aliorum ſequentium, ſimi„ liumque bonorum Angelorum exercitum, & ſpiritum „ propheticum colimus, atque adoramus, verboque, & „ re, ſeu veritate veneramur, idque omnibus, qui di„ ſcere volunt, ut docti, inſtitutique ſumus, copioſe „ tradimus. Nempe ſic colligantes connectenteſque Pontificii eadem verba: *Sed & illum*, (Deum Patrem) *& ejus Filium, & exercitum Angelorum, & ſpiritum propheticum colimus, & adoramus*, inde conjiciunt, Chriſtianos veteres Angelis non levem cultum detuliſſe.

II. At quoniam hoc teſtimonium pro viribus nobis eripere ſtudent Proteſtantes, eorum argumenta mox expendemus, & interim ad alia convertimur, ſuntque ea ipſa, quæ tota fere hac noſtra elucubratione diſperſa ſunt. Invocatio quippe, preces ad eos fuſæ, aut certe iis commendatæ, Baſilicæ erectæ in eorum honorem, paucis cuncta, de quibus egi, vel agam, aut fundamentum, ut ita loquar, ſunt hujuſce cultus, cujus modi interceſſio eſt; aut quædam illius argumenta, & indices, cujus generis ſunt invocatio, & reliqua, de quibus poſt invocatio-

(1) Primo loco collocat is, qui ſe Styanum Thirlbium appellat, ediditque Londini anno 1722. Juſtini Apologias, & Dialogum cum Thryphone.

tionem pertractatam differemus. Ad aliqua tamen capita digitum veluti intendam, ex quibus non contemnendorum argumentorum caput conſtruetur, quod & antiquitatem, & univerſalitatem hujuſce cultus comprobabit. En illa. Noverant ſane Chriſtiani, Dei amicos, &, uti ita loquar, familiares; ſuos quoque adjutores, cuſtodeſque eſſe Angelos, iis que proinde reverentiam, & ſacrum honorem eſſe adhibendum. Moveri quoque poterant ab iiſdem, aut certe affinibus argumentis, quibus ad colendos Sanctos moti ſunt, veluti a certa interceſſionis, atque adjumenti fiducia, a grato animo, & reliquis id genus, quæ aut attigimus de interceſſione agentes, aut tum exponemus, quum peculiares cauſas afferemus, quibus ad hujus modi cultum inducimur.

III. Quod ſi expreſſiſſima afferri vis teſtimonia, expreſſiſſima afferam. Nonne id apertiſſime edocuit Euſebius Cæſarienſis Chriſtianorum rituum peritiſſimus, dum cap. 3. libri 3. Demonſtrationis Evangelicæ hæc ait? (a) „ Porro autem ex illius decretis accepimus, eſſe quaſdam „ poſt ſupremum Deum poteſtates natura incorporeas, „ intelligentes, rationales, omnique virtute præditas, „ quæ circum Regem Univerſi choros exerceant: quarum „ plures etiam uſque ad homines ipſius Patris nutu qua„ dam ſalutari diſpoſitione mittantur, quaſque & cogno„ ſcere, & venerari pro ratione, graduque dignitatis e„ docti ſumus, ut ſoli Deo, qui Rex eſt Univerſi, ado„ rationis honorem tribuamus. Ab eodem præterea di„ dicimus, hoſtiles quaſdam, inimicaſque humani generis „ per hunc, qui circum terram verſatur, aerem, vola„ re poteſtates dæmonum ſpirituumque malorum, eo„ rumque, qui in illis principatum tenent, quæ cum „ malis hominibus verſentur, quas ut omni conatu fu„ giamus, in præceptis habemus . . . . Sane hujuſce mo„ di ſunt, quæ in præceptis, atque inſtitutis Salvatoris „ noſtri feruntur, vere priſcorum Hebræorum, qui Deo „ grati fuere, tum virorum, tum prophetarum pia ſan„ ctaque documenta.

(a) pag. 106. edit. Coloni. 1688.

His adjunge, ſi vis, ea, quæ idem Euſebius de Martyribus ab Eccleſia cultis alibi refert, approbatque. (b) Conſentaneum enim videtur, ut qui Martyres colit, Angelos etiam veneratione dignetur.

(b) lib. 13. Præparationis Evangelicæ cap. XI. alias 7. pag. 663. edit. Colon. 1688.

Nec ea prætereas velim, quæ circa cultum a Chriſtianis adhibitum Angelis tradit Theodoretus oratione III. ex

ex iis, quas *De curandis Græcorum affectionibus*, inſcripſit, in qua inter cetera hæc extant. (*) „ Has autem (Poteſtates) Angelos, & Archangelos, Principatus præterea, „ Poteſtates, Dominationes, ac Thronos vocatis, aliaſque inſuper hebraicis nominibus Cherubim, ac Seraphim appellare didiciſtis. Cur itaque adverſum nos tantopere indignamini, ſi poſt Deum illum, qui ſemper eſt, quique eodem modo ſemper ſe habet, ſecundarios quoſdam Deos, ſed eo tamen multo inferiores, & opinamur eſſe, & veneratione proſequimur?

(*) to. 2. Colo. 1573. pag. 505.

IV. Neque vero Theodoreti, & reliquorum ea ætate viventium auctoritatem contemnas volo. Scilicet adverſariis hoc onus incumbit ut oſtendant, a præcedentium Doctorum ſententia receſſiſſe Theodoretum, & alios probatiſſimos viros quinti, aut ſexti ſæculi. Cum enim adverſus Novatores pro munere ſuo conſtanter inſurgat Eccleſia, ſi Theodoreti, aliorumque dogmata hac in re non improbavit, facile intelligimus, propterea non improbaſſe, quod non recenter invecta, ſed vetuſtiſſima ea noſſet, ideoque ab iis etiam propoſita Patribus, qui Theodoretum, & Theodoreti ætatem præceſſere. Vide quæ de hujus modi argumento alibi copioſiſſime diſſeruimus.

CAP. IV.

Juſtini, & Theodoreti loca ab adverſariorum cavillationibus defenduntur.

I. VErum quoniam non deſunt, qui aſſertionem noſtram labefactare ſtudent, diligenter & accurate eorum argumentationes ſunt nobis inſpiciendæ: & quoniam ingenioſæ illæ, interdum captioſæ etiam ſunt, iis vehementer obſiſtendum, ne ſcilicet earum ornatu, & ſpecie, quod fieri facile poſſet, decipiantur incauti. Ac multis quidem argumentis ſententiam noſtram coarguunt. Eos primum audiamus, quibus cordi eſt, probationes noſtras enervare, ac diſſolvere: tum ad eos deſcendemus, qui ex ſacra auctoritate in nos pugnant. Sic ergo diſputant primi. Teſtimonium ex D. Juſtino allegatum ineptum eſt ad conficiendam probationem. Nimirum vel aſſutum eſt Apologiæ S. Patris, vel certe illud aliter interpretari nos poſſumus. Primum ut oſtendant, argumenta hæc afferunt, Abeſt hoc teſtimonium a nonnullis co-

codicibus, quorum auctoritas tanto eſt major, quanto rarior eſt numerus codicum, qui Juſtini libros contineant. Idem teſtimonium abeſt ab altera Apologia, quæ prima inſcribi ſolet, ſed revera ſecunda eſt: tam & ſi verba reliqua, quæ Chriſtianorum cultum exhibeant, abſint in utraque Apologia.

II. At fac aſſuta, ſuppoſitaque non eſſe verba hæc. Secus accipi poſſunt illa, aliterque explicari, atque explicare Pontificii conſueverint. Sane is, qui ſe Styanum Thirlbium appellavit, ediditque Londini, uti diximus, Juſtini Opera, ſic vertit. (*) *Hunc ipſum*, (Patrem) *& qui ab eo venit, atque hæc nos, & aliorum ſequentium, & aſſimilatorum bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus, cum ratione, & veritate venerantes, atque unicuique diſcere volenti, ut edocti ſumus, candide tradentes*. Huic vero interpretationi non modo favet junctura ipſa, & continuatio ſermonis, verum etiam clariſſimorum interpretum auctoritas, atque exemplum: Crabii ſcilicet, & Lang', quos citat Thirlbius, eorumque omnium, qui ſe Proteſtantes appellant. At non ii ſoli ſunt. Petavius, magnus ille Petavius, cui pares pauciſſimos Pontificii habent, ſuperiorem fortaſſe neminem, (*a*) hoc de teſtimonio loquens hæc ipſiſſima effatur. „ Non tamen diſſimulare poſſumus Græca paulo aliter interpretari licere; nempe hoc modo. „ Hunc ipſum vero, & ab eo profectum Filium, qui & „ nos, & bonorum Angelorum ipſum ſequentium, & ad „ ejus ſimilitudinem confirmatorum exercitum iſta perdocuit. Hoc modo non erit conſequens, adorari a nobis Angelos, ut & Deum, ejuſque Filium, ſed doceri „ ab Filio tam homines, quàm Angelos. Quam loci illius interpretationem ea ratio confirmat, quod minus „ conſentaneum videtur inter Patrem, ac Filium, & Spiritum Sanctum inculcari, inſerique Angelos Sanctos. Sed ſane vel aſſuta fuiſſe ea verba, vel aliter expoſita, quàm debuerant, ex his etiam manifeſto colligimus. Enimvero ſi eam, quam Juſtini verbis interpretationem adhibent Pontificii, tu ſequeris, fateri etiam cogeris, Juſtini quidem opinione ac ſententia Spiritum Sanctum aut deteriorem, aut certe æqualem Angelis eſſe: nempe poſtremo loco, & poſt Angelos Spiritum Sanctum nominat, ſervans ceteroqui in enumeratione dignitatem eorum, quos nominat: primo enim Patrem nominat, tum Filium.

Quod

(*) pag. 11.

(*a*) tom. 2. de Incarnat. lib. xv. cap. & n. 5.

Quod ſi ordinem dignitatis minime attendiſſe vis, compelleris ſaltem, ut dicas, parem cultum, atque adorationem tribuiſſe Deo, & Angelis, ideoque tot veluti Deos effeciſſe Angelos, ac propterea æmulatum fuiſſe improbam Platonicorum opinionem, immo deteriorem propoſuisse: Angelos enim Deos minores ajebant eſse Platonici, excellentiam longe minorem divina excellentia illis tribuentes: contra æquare videtur ſcriptor iſte, & parilem excellentiam, atque adorationem utriſque impertiri. Ad hæc, cavebant Chriſtiani veteres, ne reprehenderentur ab Ethnicis, quod eam Deorum multitudinem exciperent, quam in Græcorum, & Romanorum religione redarguebant; hinc ſtudia omnia intendebant, ut notiſſimam perinde, ac moleſtam acccuſationem repellerent; ſubſtituiſse ſcilicet Diis gentium Deos alios, mutantes, non adimentes numina. Reſpondebant porro Chriſtiani, ſe unicum Deum agnoſcere, ſe unicum numen adorare. Contra hic auctor Pontificiorum quidem ſententia exercitum Angelorum a Chriſtianis adorari dicit. Cavebant quoque ab adhibendo *adorationis* vocabulo, niſi quum de Deo loquerentur. Hinc ſæpe monent, ſe ullum non adorare, niſi Deum: honorem, & amorem Angelis quidem, & Sanctis hominibus tum viventibus, tum mortuis adhibere, at adorationem reſervare Deo. Adhiberet tamen Juſtinus, ſi Pontificiorum opinioni adhærens, adorationis vocabulum ad eum cultum ſignificandum adhiberet, qui Angelis defertur.

Cur vero Theodoretus allegatur, quinto Eccleſiæ ſæculo vivens, nec probabilis omnino Scriptor? Ex vetuſtioribus, & probatioribus eſt deſumenda Eccleſiæ ſententia, non ex Theodoreto, & Theodoreti æqualibus, ſi qui ſunt, qui Angelorum cultui faveant. Hæc adverſarii.

III. Sed mihi eorum argumenta diligentius conſideranti non propterea ſententia noſtra ab iis infirmari viſa eſt. Etenim ſi hæc ipſa invicta eſſe fateremur, duo dumtaxat, aut potius unum ex iis teſtimoniis nobis eriperent, quibus haud immerito fortaſſe innitimur, ideoque cauſa minime caderemus, aut probationibus deſtitueremur, cum præter auctoritatem Euſebii Chriſtianorum omnium nomine loquentis, illud conſiſtat adhuc, quod ab Eccleſiæ auctoritate deſumitur, & quod hic non repeto, quoniam de eo, quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, alibi diligenter diſſerui. Ceterum veriſimilitudinem in hujuſmodi argumentis agnoſco, inſuperabiles vires minime agnoſco. Sane non probas, aſ-

ſuta fuiſſe ea, de quibus agimus, verba ex eo, quod ab aliquibus codicibus illa abſint. Quem porro indicas, in quo deſint? Profecto nullum in Anglia, duos tantummodo in Gallia univerſa fuiſſe Juſtini codices, teſtatur Thirlbius: e quibus unus is ipſe eſt, quo uſus fuerat Robertus Stephanus, (2) qui typis Juſtinum edidit: nec ſibi perquirenti notum fuiſſe ait alium Juſtini codicem, quem ille conſuleret. Quod ſi in altera apologia deſiderantur, vel propterea deſiderantur, quia in priore, & copioſiore apologia id ipſum dixerat, vel quia ſcriptoris errore, aut temporis injuria abſunt.

IV. Fateor equidem, poſſe aliter verti ea Juſtini verba, quæ adduximus, ſed verti etiam commode poſſunt, uti Pontificii, & vetuſtæ editiones proponunt. Quoniam vero Petavii auctoritate nos refellere contendunt, nos quoque Petavii auctoritate protegamus, explicationemque, quam ille indicavit, non excepit, ipſius Petavii verbis refellamus. En illa, nulla prorſus voce immutata. „ Verum & ſi ab contentioſo aliquo poſterior iſta Græcorum verborum expoſitio defendi poſſit; mihi tamen contextus, ac ſeries ipſa ſermonis priorem magis approbare videtur. Non enim ſatis cauſæ videtur, cur inter illos, qui ab Filio ſunt edocti, Angelos recenſeat: præſertim cum Gentiles, ad quos Apologiam iſtam Juſtinus elucubravit, non ſatis capere poſſent, qua ratione, & quid tandem λόγος homo factus Angelos docuerit. Accedit quod cum paulo ante queſtus ſit, Chriſtianos Atheos nominari, propterea quod Deos, quos Gentiles adorabant, minime colerent; ac cum reſpondiſſet non ſe Deos illos venerari, quod non Dii, ſed improbi eſſent Angeli, ac Dæmones: poſtulare res ita videbatur, ut quoniam Chriſtiana religio non omnino Angelos abjicit; ſed eos dumtaxat, qui pii ſunt, & ſancti, & in fide perſtiterunt, cultu, & honore dignatur: hujus rei mentionem aliquam faceret. Denique ſi quis nonnullum helleniſmi guſtum habet, is omnino fatebitur, priorem, quam expreſſimus, ſen-

---

(2) „ Codices MSſ. horum ſcriptorum Juſtini in Anglia nulli „ ſunt, neque alibi gentium uſquam, quod quidem ſciam, „ præter quam in Gallia, ubi duo ſunt . . . . . . In quo „ ipſo hoc inſuper acceſſit infortunii, ut is unus . . . . . „ ille eſſet, unde Roberti Stephani editio expreſſa eſt. (In præfatione ad Lectorem.

,, ſententiam magis ſtructuræ verborum, proprietatique
,, convenire, quam poſteriore a me loco poſitam. Quo
,, circa Juſtinus adorationem ibi latius ſumpſit, pro quo-
,, vis religioſo cultu, tam qui proprie, ac directe ten-
,, dit ad ſupremum numen, quàm σχετικῶς, & creaturis
,, principalis gratia tributo. Quod & alii Patres interdum
,, faciunt. Gregorius certe Nazianzenus Oratione 38. in
,, Chriſti Nativitatem, hortatur, ut *adoremus præſepe*
,, *Domini, propter quod cum rationis eſſemus expertes, a*
,, *Verbo nutriti ſumus*. Hieronymus item in Apologia ſe-
,, cunda adverſus Rufinum: *Protinus* (inquit) *concito*
,, *gradu Bethlehem meam reverſus ſum, ubi adoravi præſe-*
,, *pe, & incunabula Salvatoris*. Et Auguſtinus: *Bea-*
,, *tiſſimum* (ait) *Petrum piſcatorem modo genibus provolu-*
,, *tis adorat gentium multitudo credentium*. Hactenus Peta-
vius, cujus verba, quid ad poſtremam ſolutionem Juſtini loco ab adverſariis adhibitam reſpondendum ſit, apprime ſuppeditant. Sed jam reliqua perſequamur.

V. Utrum ſpiritus prophetici nomine Spiritum Sanctum intellexerit Juſtinus, an non, dubitant nonnulli. Nimirum ſpiritus prophetici nomine animas Prophetarum indicare potuit: ſingularem vero numerum forte illis tribuit, conſuetudinem ſcriptorum ſervans, qui numerum ſingularem non raro uſurpant numeri multitudinis loco. Ideo vero fortaſſe præterivit Spiritum Sanctum, non quo revera Deum non agnoſceret, (apage improbandam ſuſpicionem) ſed item fere, ut Chriſtus, Apoſtoli, & eccleſiaſtici ſcriptores de Deo loquentes, Patris tantum non raro meminere. Filium vero addidit propter peculiarem incarnationis titulum, ob quem peculiariter commemorari æquum erat. At age, ſpiritus prophetici nomine Spiritum Sanctum intelligat. Non quo poſtremo loco nominarit, Angelis parem, aut deteriorem effecit; alias Mariam matrem Jeſu Apoſtolis, & mulieribus in cœnaculo orantibus poſtponemus, quod in Actis Apoſtolorum (*b*) poſt Apoſtolos nominetur. *Cum Maria Matre Jeſu*: & jumenta præferemus hominibus, quod in libro Geneſis (*c*) priori loco nominentur.

(*b*) cap. 1. verſ. 14.

(*c*) cap. 32. v. 5.

VI. Adhibet vero commune vocabulum adorationis, adorationem ſumens (ut arbitrari merito poſſumus) vel pro exterioribus argumentis teſtificandi honoris; vel pro cultu ſacro ſignificando: adhibemus vero cultum ſacrum Angelis, tam & ſi longe diverſum a genere, & gradu

cultus adhibiti Deo, quem ut ſupremum Dominum agnoſcimus: Angelos vero veluti miniſtros.

VII. Caviſſe veteres Chriſtianos ais, ne ab Ethnicis quaſi multorum Deorum cultores reprehenderentur. Id ultro fateor; at memineris, optaſſe etiam, (atque inprimis id optavit Juſtinus) ne viderentur nova omnino dogmata inducere. Hinc vires, ſtudiaque intendebant, ut congruentem cum Platonica philoſophia Chriſtianorum religionem oſtenderent: cui rei oſtendendæ opportunum erat, ut faterentur, exiſtere Angelos, & a nobis coli, quod alii etiam e noſtris dixerunt, ac præſertim Euſebius Cæſarienſis. Si petiiſſent ab Juſtino Ethnici, quonam cultus genere Angelos venerarentur Chriſtiani; ſi petiiſſent, quanam ratione non multos Deos colerent, qui præter unicum Deum ſummum, Angelos colebant; tum mentem ſuam clarius aperuiſset, & quod Chriſtiani reliqui ad repellendas accuſationes docuere, ipſe quoque edocuiſſet. Dum hæc ab eo non exquirebant, eo, quo ſua ſenſa protulit modo, recte protulit.

VIII. Quod vero ad ea pertinet, quæ ad Theodoreti, aliorumque Theodoreti æqualium auctoritatem enervandam protulere; paucis dixerim, ea me præveniſſe, quum de Sanctorum interceſſione diſſerui. (d) Ad ea adverſarios allego. At præter Theodoretum, citavi etiam (quod dixi,) Euſebium noſtrarum conſuetudinum peritiſſimum. Ut in Theodoreto conſiſtam, fateor porro, in multorum offenſionem incidiſſe Theodoretum, dum Neſtorio paulo amiciorem ſe præbuit. At quod ad adhibitum Angelis, & Sanctis hominibus cultum attinet, neminem habuit reprehenſorem. Ex qua re apertiſſime conjicimus, id temporis hanc Epiſcoporum omnium fuiſſe perſuaſionem; ideoque ſi iiſdem Epiſcopis Theodoreti, quum Neſtorio faviſſe viſus eſt, opinio diſplicuit, non diſplicuit vero, quum Sanctorum cultum is approbavit; merito eruimus, propterea diſplicuiſſe illam, non diſplicuiſſe iſtam, quia nova dogmata Neſtoriana opinio in Eccleſiam nitebatur inducere: (neque omnino ferri poterat is, qui vel leviſſime illius auctori favebat) at veteris, communiſque traditionis retinens erat, & approbator Theodoretus, quum Angelos, & Sanctos vita functos cum laude a Chriſtianis coli ajebat.

(d) Cap. 21. 22. & 23.

CAP. V.

Poſitiva argumenta contra propoſitam aſſertionem recenſentur, atque hic quidem ea proponuntur Scripturarum, & Patrum teſtimonia, quibus Deo tantum cultum, obſequium, honoremque deferre jubemur.

I. HActenus in primo argumentorum genere, ideſt in defenſione noſtrarum probationum adverſus acutulas quaſdam adverſariorum ſolutiones conſtitimus. Nunc convertamur ad eos, qui ſacra auctoritate in nos pugnant. Sic ergo diſputant. Si a Deo vetitum eſſe oſtenderimus, cultum Angelis, & creaturis quibuslibet adhiberi, quis in animum inducat ſuum, olim Hebræos, deinceps vero Chriſtianos, præſertim veteres, ideoque in Chriſti doctrina, & religione nobis ipſis doctiores, ſanctioreſque, Angelis, aut creaturæ cuipiam cultum adhibuiſſe? Porro facile oſtenditur, juſſiſſe Deum ſe tantum coli. Enim vero id juſſit, cum (*a*) hæc protulit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Neque vero in hoc teſtimonio (a) Deut. 10. 20. & Matthæi 4. 10.
ſupremus tantum cultus, qui Deo reſervatur, a creatura arcetur: verum etiam alius quilibet: neque enim ſolum dicitur: *Deum tuum adorabis*; ſed adjungitur: *illi ſoli ſervies*. Porro ſervitutis nomine quilibet cultus etiam divino inferior indicatur, ideoque ille idem, quem Angelis Pontificiorum quidem ſententia Hebræi adhibuerunt. Alia ad id ipſum comprobandum adduci ſi vis ſcripturarum loca, facile obſequimur, & alia afferimus affinia nuper laudato, & ad quæ certe reſpexit ipſemet Chriſtus, dum nuper recitatis verbis Dæmonem repulit: (*b*) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. & v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, & per nomen ſuum jurabis*. (b) Verſ. 5. cap. 6. Deuter.
Profecto dum dilectio, dum ſervitus, dum juramentum ſoli reſervatur Deo, jubemurque, ne creaturæ aut dilectionem, aut ſervitutem præſtemus, aut in illius juremus nomine; vel cultus quilibet creaturæ demitur, vel certe argumentum, quod a fortiori appellare poſſumus, ſuppeditatur, ne omnino illi deferamus.

II. Hic etiam ea ſunt afferenda teſtimonia, in quibus non modo cultus, verum etiam honor adimitur creaturæ, &

ſo-

(c) 1. v. 17.
(d) v. 27.

ſoli reſervatur Deo. Prima ad Timoth. (c) *Soli Deo honor, & gloria*. Rom. 16. (d) *Soli ſapienti Deo per Jeſum Chriſtum, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum*. A quibus non procul abſunt v. 12. capitis 7. Apocalypſis. *Dicentes: Benedictio, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro*. & v. 7. capitis 14. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*. & v. 8. capitis 42. Iſaiæ. *Ego Dominus: hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus*. Denique in hanc ſententiam deduci poteſt v. 25. capitis primi Epiſtolæ ad Romanos: reprehendit quippe in eo Apoſtolus Paulus deferentes creaturis honorem. Quin etiam honor Chriſto delatus non leve argumentum extitit Divinitatis illius. Id ſcilicet forte edocemur a v. 27. cap. 16. Epiſtolæ ad Romanos nuper citato, ſed certe edocemur cap. 5. v. 12. & 13. Apocalypſis verbis illis. *Dignus eſt agnus accipere virtutem, & divinitatem .... & honorem, & gloriam ..... Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria*. Et ſecunda Petri: (e) *Accipiens a Deo Patre honorem, & gloriam*. Non ergo ſimile veri eſt, Angelis aut olim ab Hebræis, aut deinceps a primis uſque Eccleſiæ ſæculis cultum aliquem ſacrum fuiſſe adhibitum a Chriſtianis: quippe tam manifeſto, tam vehementer a Scriptura nobis præcipitur, ut unice colamus, unice honoremus Deum, ut clarioribus, & expreſſioribus verbis id exprimi non potuerit.

(e) 1. v. 17.

III. Quod ſi id ipſum Patrum auctoritate comprobari vis, facile id exequar. Huc etenim ſpectant Origenes, aliique, quorum loca mox allegabimus. Sed nunc unum proferamus Arnobium, qui libro primo adverſus gentes in eumdem ſenſum hæc eloquitur. (f) „ Quid o participes rationis audetis homines proloqui? quid effutire? „ quid promere temerariæ vocis deſperatione tentatis? „ Deum principem, rerum cunctarum, quæcumque ſunt, „ dominum, ſummitatem omnium ſummorum obtinentem adorare, obſequio venerabili invocare, in rebus „ feſſis, totis, ut ita dixerim, ſenſibus amplexari, amare, ſuſpicere, execrabilis religio eſt, & infauſta, impietatis, & ſacrilegii plena, cæremonias antiquitus inſtitutas novitatis ſuæ ſuperſtitione contaminans? Hoccine eſt quæſo audax illud facinus, & immane, propter „ quod maximi cælites aculeos in nos intendunt irarum, „ atque indignationum ſuarum? propter quod vos ipſi,

(f) Tom. 15. Bib. Patr. Pariſ. pag. 1. & ſequentibus.

„ cum

„ cum libido inceſſerit ſæva, exuitis nos bonis, exterminatis patriis ſedibus, irrogatis ſupplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris, & belluarum laniatibus objectatis? . . . . Hæc totius ſumma eſt actionis. . . . hic finis, huic omnes ex more proſternimur, hunc collatis precibus adoramus, ab hoc juſta, & honeſta, & auditu ejus condigna depoſcimus: non quo ipſe deſideret ſupplices nos eſſe, aut amet ſubſterni, & tot millium venerationem videre: utilitas hæc noſtra eſt, & commodi noſtri rationem ſpectans..... Sed non (inquiunt) iccirco Dii vobis infeſti ſunt, quod omnipotentem colatis Deum: ſed quod hominem natum, & (quod perſonis infame eſt vilibus) crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contenditis, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis ſupplicationibus adoratis. Si vobis jucundum eſt amici, edisſertate, quinam ſint hi Dii, qui a nobis Chriſtum coli, ſuam credant ad injuriam pertinere? Janus Janiculi conditor? & civitatis Saturniæ Saturnus auctor?

IV. Porro in his verbis Arnobius (inquiunt Proteſtantes) adorationem, & cultum uni Deo adhiberi monens, a Chriſtianis ſuorum temporum cultum Angelis, & Cælitibus reliquis adhibitum, & veluti cum Deo diviſum (quod faciunt Papiſtæ) rejicit. Id ex eo etiam confirmari poteſt, quod invocari, obſecrarique vult tantummodo Deum, ideoque ſupplicationes vetat deferri Angelis, & Cælitibus reliquis, quos propterea argumento, quod a fortiori Scholaſticus appellabit, expertes effecit cultus. Hic vero referri poſſent pleraque ex iis ipſis teſtimoniis, quæ mox recenſebimus, ſed hic in uno conſiſtamus Arnobio. Hæc porro ille ait. „ Qui aut ſummum Imperatorem neſcit, aut ignorat a nobis quotidianis ei precibus ſupplicari: qui ſi pectorum ſecreta neſciret, nec quid in intimis ſenſibus contineamus, agnoſceret: ſummum tamen invocare nos Deum, & ab eo, quod poſtulamus, orare, vel auribus potuit ſcire, vel ipſius vocis ſono, qua utimur in precibus, noſcitare.

CAP.

CAP. VI.

Eadem argumenta refelluntur, ac primo quidem explicantur, illuſtranturque ea teſtimonia, quæ Deum tantummodo coli poſſe aſſeverant.

I. Audiſtis ea teſtimonia, in quibus adverſariorum quidem opinione vis maxima adverſus nos ineſt. Quoniam ad ſingula eſt reſpondendum, ordinem objectionum ſequar, & quo propoſitæ illæ ſunt, eo ipſas diluam.

II. Primum deſumptum ex Deuteron. 10. 20. ſeu potius ex Matthæi 4. v. 10. diſſolvit Auguſtinus quæſtione 61. in Geneſim: explicans quippe verba illa: *Exſurgens autem Abraham adoravit populum terræ*: ſic loquitur. „ Quæritur quomodo ſcriptum ſit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, cum Abraham ſic honoraverit populum quemdam gentium, ut etiam adoraret. „ Sed animadvertendum eſt, in eodem præcepto non dictum Dominum Deum ſolum adorabis, ſicut dictum eſt, *& illi ſoli ſervies*, quod eſt Græce λατρεύσεις. Talis enim ſervitus non niſi Deo debetur: unde damnantur Idololatræ, ideſt, eam ſervitutem exhibentes Idolis, quæ debetur Deo. His vero Auguſtini monitis reliqua duo teſtimonia diſſolvuntur: illam nempe dilectionem, ſervitutem illam, & timorem uni Deo adhibere jubemur, quibus Divinitatem illius, ſummumque dominium agnoſcimus, & teſtatum facimus. Id ſane etiam comprobare videtur juramentum, quod in illius nomine jubemur facere: *& per nomen meum jurabis*. Jam reliqua perſequor.

III. Verſiculus 17. capitis primi Epiſtolæ primæ ad Timotheum: *Soli Deo honor, & gloria &c.* variis modis accipitur. Ad duo præcipua capita revoco reſponſiones. Quidam monent, particulam *Soli* non eſſe referendam ad honorem, & gloriam dandam, adeo ut ſignificet Deo ſoli eſſe tribuendum honorem, & gloriam; ſed eſſe referendam ad Deum, qui ſolus ſit. Sic ergo conſtruunt: Regi ſæculorum, qui immortalis, inviſibilis, & ſolus Deus eſt, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum tribuatur. Porro ex eo, quod Deo, qui ſolus eſt verus Deus, ho-

honor, & gloria detur, non prohibemur, ne aliis, ſi forte ea mereantur, conveniens honor adhibeatur, & gloria; item fere, ut ex eo, quod Deo, qui ſolus eſt verus Deus, jubeamur gratiarum actiones referre, & laudes tribuere, non prohibemur, ne aliis, ſi forte eas mereantur, gratiarum actiones referamus, & laudes tribuamus. Monent alii, vocem *Soli* intelligendam eſſe de ſublimi illo honore, & gloria, quæ Deo tantum tribuenda eſt, aut ſi vis, de gloria, quam aut falſis Diis tantum tribuebant, aut ſibi arrogabant homines, aut certe cum Deo partiebantur, nec uni, nec totam dabant. Jubet itaque, & recte ac merito jubet Paulus Apoſtolus, ne falſis Diis demus hujus modi gloriam, (loquitur vero, niſi fallor, de gloria Deo proveniente tum ex Mundi, tum maxime ex ſui ipſius converſione ad fidem veram.) neque illam nobis arrogemus, ſed tantum Deo eam tribuamus. Et re vera exemplo ſuo comprobat Paulus, Deo tantum tribuendam eſſe hujus generis gloriam, nec partem ullam ſibi adſciſcere quemquam poſſe in hujuſmodi re; quippe cum (*) *prius blaſphemus fuiſſet, & contumelioſus, miſericordiam conſecutus erat a Domino:* ideo vero (*) *miſericordiam erat conſecutus, ut in eo primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri erant illi, in vitam æternam.* Utcumque ſit, indubitatum reor, eum minime habere ſenſum objecta Pauli verba, quem habere putant, qui hæc objiciunt, cujus quidem rei vadem eſſe volo D. Bernardum (*a*) hæc elocutum:
„ Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi?
„ *Siquidem ſoli ei honor, & gloria.* Quare ei ſoli? quia
„ ipſe mandavit, & omne datum optimum non niſi ab
„ illo eſt. Verumtamen & ſi ille mandavit, ipſis quoque,
„ qui & ei ex tanta charitate obediunt, & nobis ſubve-
„ niunt in tanta neceſſitate, ingratos eſſe non licet. Si-
„ mus ergo devoti, ſimus grati tantis cuſtodibus, reda-
„ memus eos, honoremus eos, quantum poſſumus, quan-
„ tum debemus. Totus tamen ei reddatur & amor, &
„ honor noſter, a quo tam ipſis, quam nobis eſt totum,
„ unde honorare poſſumus, vel amare, unde amari, ho-
„ norarive meremur. Neque enim Apoſtolus, ubi ait:
„ *Soli Deo honor, & gloria*, prophetico credendus eſt ob-
„ viare ſermoni, qui ſibi etiam amicos Dei nimis hono-
„ rificatos eſſe teſtatur. Puto autem ſimile eſſe illud ver-
„ bum Apoſtoli ei, quod item ait: *Nemini quicquam*

(*) 1 Tim. 1. 13.

(*) ibid. v. 16.

(*a*) n. 6. & 7. Sermonis 11. in Pſalm. *Qui habitat.*

„ *debeatis*, *niſi ut invicem diligatis*. Siquidem hoc non
„ voluit, ut alia quælibet debita negarentur, præſertim
„ cum idem ipſe dicat. *Cui honorem*, *honorem*, & cete-
„ ra in hunc modum. Ut ergo plenius intelligas, quid
„ in utroque ſenſerit, quidve monuerit, vide, quem-
„ ad modum inter radios Solis minora quælibet luminaria
„ non videntur. Numquid amota modo ſidera arbitra-
„ mur? numquid extincta? Minime quidem; ſed amplio-
„ ri claritate quodammodo tecta, interim apparere non
„ poſſe. Sic ergo dilectio illa quævis debita ſuperans,
„ quaſi ſola regnare debet in nobis, ſcilicet ut quicquid
„ debetur ceteris, ſibi vindicet, & ex dilectione omnia
„ faciamus. Sic divinus prævalere debet honor, & quo-
„ dam modo præjudicare univerſis, ut ſolus ipſe non mo-
„ do præ omnibus, ſed in omnibus honoretur &c. In
eumdem ferme ſenſum eloquitur Petrus ille Cluniacenſis
Abbas, Bernardi æqualis, qui *Venerabilis* eſt appellatus:
in Petrobuſianos diſputans. (*b*) (3).

(*b*) Epiſt. 2. lib. 1. in eo capite, quod ſic inſcribitur: *Contra id, quod dicunt, Crucem Domini nec adorandam, nec venerandam, ſed magis confringendam, & conculcandam eſſe*. fol. 19. colum. 3.

IV. Haud difficile enodas deſumptum ex verſiculo vi-
ge-

(3) „ Eſt honor, qui creaturæ impenditur, & eſt honor, qui
„ tantum Creatori debetur. De honore, quem ſibi invicem
„ rationalis creatura exhibere debet, ſcriptum eſt: Ho-
„ nora patrem tuum, & matrem tuam. Et honora invicem
„ prævenientes. Et regem honorificate. Et presbyteri ma-
„ xime, qui in verbo laborant, duplici honore digni ſunt:
„ & honorabile connubium in omnibus: & mille talia,
„ quæ ſecundum perſonarum, graduum, officiorum diverſi-
„ tatem, vel magis, vel minus obſervari jubentur. De
„ honore, qui Deo tantum exhibendus eſt, ait Scriptura:
„ *Dominum Deum tuum adorabis*, *& illi ſoli ſervies*: Et
„ *non erunt tibi Dii alieni præter me*, *& non facietis vo-*
„ *bis ſculptile*, *atque conflatile*: *neque ponetis in ignem*, *ut*
„ *adoretis ea*. Et *honora Dominum de tua ſubſtantia*. Et *glo-*
„ *riam meam alteri non dabo*, *neque laudem meam ſculptili-*
„ *bus*, & alia ſexcenta, in quibus, juxta quod dicitur in
„ libro Sapientiæ, *incommunicabile nomen*, & ſolitariæ
„ Deitati ſingulariter ſervitus exhibenda aperte monſtra-
„ tur. Quæ ſecundum beatum Patrem Auguſtinum, ut ſi-
„ gnificantius exprimatur, græce latria dicitur, & latine
„ Dei cultus vocatur. Ad hanc divinam ſervitutem, ad
„ hunc Dei cultum pertinent & Sacrificia, quæ ante le-
„ gem a Patriarchis facta ſunt, quæ in lege a Moyſe in-
„ ſtituta ſunt, quæ in tempore gratiæ a Chriſto præcepta,
„ & a Chriſtianis uſque ad finem ſeculi obſervari, ab
ipſo

geſimo ſeptimo capitis decimi ſexti Epiſtolæ ad Romanos: quippe tum loquitur Apoſtolus Paulus de ea laude, quæ ex converſione Mundi Deo provenit. En verba proxime præcedentia. ,, Ei autem, qui potens eſt vos confirmare
,, juxta Evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chri-
,, ſti, ſecundum revelationem myſterii temporibus æter-
,, nis taciti (quod nunc patefactum eſt per Scripturas
,, Prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei, ad o-
,, beditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, ſoli Sa-
,, pienti Deo &c.

V. Quem porro illudent tanto illo apparatu verborum, quæ ex Scripturis, & Patribus allegant? An non (nam ſingillatim cuique reſpondere operæ pretium reor.) verba Apocalypſis capitis 7. v. 12. & adorationem, & eximiam laudem, qualem certe Sanctis non damus, exprimunt, illiuſque ſimilem, qua Eccleſia hymnos ſuos concludere conſuevit? At dic amabo, ubinam, dum ſic extollunt, honorant, & laudant Deum, ubinam inquam jubent, ne creaturam pro merito, ideoque longe minus Deo honoremus, commendemuſque?

VI. Cur vero urgent verſiculum ſeptimum capitis 14. ejuſdem Apocalypſis? quando quidem apertiſſime timorem illum exprimit, qui imminet a Dei ultione, quique expoſcit, ut ad Deum per pœnitentiam convertamur; hunc enim honorem a peccatore Deus exquirit, ut ad eum revertatur obedientia, timore, & obſequio. *Date Domino Deo veſtro gloriam*, (inquiebat Jeremias ad pœniten-

,, ipſo juſſa ſunt. Ad hunc Dei cultum pertinet & verbum
,, hoc adorationis, de quo agitur. Sed tunc proprie, quan-
,, do adorans Deum tantum auctorem, & rectorem ſuum
,, eſſe intelligit, quando eum ut Deum agnoſcens, ſicut
,, Deum glorificat, & gratias agit, quando totam ſpem
,, ſuam in eo conſtituens, neceſſaria univerſa ſe ab ipſo
,, ſolo accipere credit, quando auxilium ſuum non a quo-
,, libet montium, hoc eſt Sanctorum, vel quorumlibet alio-
,, rum, ſed a Domino, qui fecit cælum, & terram, eſſe,
,, omni remota ambiguitate, confidit. Hanc ſervitutem, hunc
,, cultum ſibi debitum, hoc, ut dixi, incommunicabile nomen,
,, nec cæleſtibus ſpiritibus, nec terrenis hominibus, nec a-
,, licui creaturæ, nec ipſi omnium creaturarum beatiſſimæ
,, Matri ſuæ, ac Virgini Creator largitus eſt: quia ſicut
,, ordine ipſo creationis, Creator creaturæ, quam creavit,
,, merito juſteque præfertur, ſic decebat, ut prælatio ipſa
,, aliquo ſigno congruo ſignaretur.

(c) cap. 13. v. 16. tiam invitans populos) (c) *antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos: expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.*

VII. Quis porro dubitet, num Iſaias cap. 42. verſ. 8. de ea gloria loquatur, quæ peculiaris, & propria Dei eſt? Lege ipſa Iſaiæ verba; & difficultatem, ſi qua tenebaris, ea ſtatim tollent. Hanc enim vero ſculptilibus, ſeu falſis Diis tribui non patitur Deus in verbis illis, quæ objecerunt.

VIII. Quod porro ex verſiculo 25. cap. 1. Epiſtolæ ad Romanos oppoſuerunt, ſic diluo. Paulus de iis loquitur, qui contempto veri numinis cultu falſis numinibus ſervierunt: quorum inſanum conſilium procul dubio ii quoque deteſtantur, qui honorem Sanctis adhibent quidem, ſed non veluti Diis, ſed tantum veluti amicis, familiaribus, & ſervis unius, & veri Dei.

IX. Non hic multum immoror in ea refellenda argumentatione, quam in verſiculo 27. capitis 16. Epiſtolæ ad Romanos conſtruunt. Quem nempe ſenſum verba illa habeant, nuper ſane explicavimus. Hic tantum addam, gloriam eam, quæ Deo obvenit ex converſione Mundi, obveniſſe per Chriſtum: quam rem egregie deſcribit idem Apoſtolus Paulus, dum v. 26. & 27. laudati capitis ſic loquitur. *Quod* (Myſterium) *nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti, ſoli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

X. Extollant porro quantum libet difficultatem, quæ adverſariorum quidem judicio maxima ineſt in verſiculis 12. & 13. capitis 5. Apocalypſis. Quod ad rem præſentem attinet, ego ſane aut nullam, aut certe leviſſimam in iis extare arbitror. Quippe ea virtus, is honor, eaque gloria, de qua ibi fit mentio, Divinitatis Chriſti propterea ſunt argumentum, quod in eo Apocalypſis loco eximia illa gloria, virtus, & honor Chriſto tribuitur, quam Deo tantum tribuere poſſumus. An forte hujus generis ea eſt gloria, & is honor, quo Sanctos dignamur?

XI. Affinis vero ſolutio adhibenda eſt objectis Petri verbis; quæ ſi legas, manifeſto comperies, loqui eum non de quacumque gloria, ſed de ea *magnifica*, quantum recepit Chriſtus, quum apertis cœlis illi dixit Pa-

ter. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et quod ad Scripturam pertinet, hactenus.

XII. Patres aggrediamur, & quoniam Arnobium tantum modo allegaverunt, hunc tantummodo explicandum ſuſcipiamus. Allata ex eo teſtimonia, & ſi qua ſunt hujus generis alia, haud ægre explicantur de cultu, ſupplicationibus, precibus, invocatione, & affinibus reliquis uni Deo adhibitis *per excluſionem*, ut cum Scholaſticis loquar, alterius Dei. Id nempe conſtat, tum ex ſcopo Arnobii eo ſpectantis, ut refelleret multitudinem falſorum Deorum, tum ex verbis ipſis, quæ allata ſunt, tum ex affinibus aliis, veluti cum ita loquitur. (*d*) „ Qui ab ſignis (*d*) pag. 7. col. 1.
„ inertibus, atque ex viliſſimo formatis luto ad ſydera
„ ſublevavit & Cælum: & cum Domino rerum Deo ſup-
„ plicationum fecit verba, atque orationum colloquia
„ miſcere. Venerabar (o cæcitas) nuper ſimulacra mo-
„ do ex fornacibus prompta, in incudibus Deus, & ex
„ malleis fabricatos, Elephantorum oſſa, picturas, ve-
„ ternoſis in arboribus tænias. Si quando conſpexeram
„ lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum,
„ tamquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, &
„ beneficia poſcebam nihil ſentiente de trunco: & eos i-
„ pſos Divos, quos eſſe mihi perſuaſeram, afficiebam con-
„ tumeliis gravibus, cum eos eſſe credebam ligna, lapi-
„ des, atque oſſa, aut in hujuſmodi rerum habitare mate-
„ ria. At nos quoque id fatemur, & nullum vel ſimulacrum, vel falſum Deum coli, aut orari, aut invocari poſſe dicimus, ſed tantum verum Deum, in cujus honorem vertitur honor Sanctis delatus, quem obſecramus, invocamuſque, dum preces noſtras Sanctis commendamus, & eam ob rem eoſdem Sanctos invocamus, obſecramuſque quaſi delatores, ſuffragatoreſque noſtrarum precum ad Chriſtum, & Deum.

CAP.

CAP. VII.

Recenſemus ea Scripturarum, & Patrum loca, in quibus adverſariorum quidem ſententia expreſſe Angelis cultus demitur.

I. AT in his, quæ diluimus, multo minorem fiduciam collocant adverſarii, quàm in iis, quæ deinceps referemus. His ſcilicet, eorumdem adverſariorum judicio, noſtra cauſa ita premitur, ut difficillimum iis videatur, idoneam aliquam invenire reſponſionem. Age dum, ſtatim illa afferamus. Expreſſiſſima, inquiunt, Scripturarum, & Patrum loca extant, in quibus prohibemur Angelos colere. Scilicet huc pertinent loca, in quibus jubentur Hebræi, ne *militiam Cæli adorent*, ideoque huc pertinent verſiculus 3. Capitis 17. Deuteronomii: nomine quippe *Militiæ Cæli* Angelos ſignificari, duo comprobant: auctoritas Chriſtianorum ipſorum Doctorum, qui ſic intelligunt ea verba, atque in primis Hieronymi, (*a*) deinde ipſa quoque ratio: Siquidem hoc præcepto jubentur Hebræi, ne omnino cæleſtia colant, ideoque tum Solem, & Lunam cælorum ornamenta, tum Angelos cælorum incolas, qui militia cæli appellantur, & hic, & Lucæ 2. v. 13. & fortaſſe etiam alibi, dum *Virtutes Cælorum* dicuntur. Quod ſi alia non minus perſpicua teſtimonia afferri adhuc vis, ea ſtatim affero. Nonne Paulus (*b*) Angelos coli vetuit? *Nemo vos ſeducat* (inquit ille) *in religione Angelorum*. Nonne Angelus qui Joanni apparuerat, ſe adorari vetuit hæc ſubjungens? (*) *Vide ne feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora*. Nonne id quoque vetat Synodus Laodicena Canone 35. his verbis? *Nonne oportet Chriſtianos relicta Dei Eccleſia abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere? Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ Idololatriæ vacare, ſit anathema, quia reliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & acceſſit ad Idololatriam*. Theodoretus etiam in Commetariis in nuper laudatum Apoſtoli Pauli locum, Angelorum cultores damnat, hæc ſubjungens. „ Et in hodiernam uſque diem licet videre apud illos, & eorum finitimos Oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc conſulebant, atque humilitate utentes, dicentes univerſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe per-

(*a*) in Epiſt. olim 151. in recenti Veronenſi edit. 121. quæſt. 10.

(*b*) Coloſſ. 2. v. 18.

(*) Apocalyp. 19. 10. & rurſus 22. 9.

„ ve-

„ veniri: & oportere per Angelos divinam ſibi benevo„ lentiam conciliare. " Damnat denique Origenes in libris contra Celſum ſæpiſſime: ſed apertiſſime numero 4. libri 5. contra Celſum, his verbis. „ Hos (Angelos) „ ab operibus, quæ faciunt, nominare aſſueti, didicimus „ eos, quòd divini ſint, Deos etiam nonnunquam in „ Scriptura vocari: non autem imperari nobis, ut eos, „ qui miniſtrant Deo, & ad nos Dei beneficia perfe„ runt, pro Deo colamus, atque adoremus: Omnia „ enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & „ gratiarum actiones deſtinandæ ſunt ad Deum, rerum „ omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis ſum„ mum Pontificem, vivum Verbum, & Deum.

Alterum eſt in lib. VIII ejuſdem tituli (in quo alia plurima huic ſimillima habentur). Nimirum non modo adimit Angelis adorationem, verum etiam cultum ſacrum, immo honorem quemlibet, monens, uni Deo, qui unicum interceſſorem elegit Chriſtum, hæc eſſe tribuenda. „ Non eſt „ igitur ſeditioſa vox ſic ſentientium (inquit ille n.5. & 6.) „ nolentium ſervire Dominis pluribus, contentorum uno „ Domino Jeſu Chriſto, cui ſervientes erudiuntur ab eo, „ ut eruditi digni reddantur regno Dei, & Patris . . . . „ Nec ideo cavemus, ne cui præter Deum ſerviamus, „ ne lædatur Deus, ſicut homo læditur, ſi ſervus ejus „ ſerviat alteri: ſed ideo illi ſervimus in præceptis ipſius, „ & veritate, ne nos ipſi lædamur ſeparantes nos a por„ tione Dei, qui juxta ſuam beatitudinem viventes fami„ liares ſibi per ſpiritum adoptionis reddidit, ut ſimus „ Patris cæleſtis filii, non verbis, ſed re ipſa in occulto „ clamantes Abba Pater. Olim Lacedæmoniorum legati „ Perſarum Regem, licet vehementer urgentibus ſatelli„ tibus, adorare noluerunt, timentes unicum ſuum Domi„ num, Lycurgi legem videlicet. Qui vero multo majo„ re ac diviniore legatione funguntur pro Chriſto, nec „ Perſarum Principem, nec Græcorum, nec Ægyptio„ rum, nec cujuſcumque gentis adorabunt, etiamſi ſatel„ lites horum Principum Dæmones, & Angeli diaboli co„ nentur eos vi huc adigere, ſuadeantque his vale dicere „ legi præſtantiori omnibus, quæ ſunt in terra, legibus. „ Chriſti enim Legatorum ipſe Chriſtus eſt Dominus, „ pro quo legatione funguntur, Verbum, quod erat in „ principio, & apud Deum erat, & Deus erat.

CAP.

CAP. VIII.

Expenduntur priora loca ſuperiori capite objecta, ideoque verſic. 2. *capitis* XVII. *Deuteronom.* & *verſic.* 18. *Coloſſ.*

I. UT ratione, ac via diſputatio noſtra progrediatur, ea, quæ objecta ſunt, illo ipſo quo propoſita ſunt ordine, diſſolvamus. Ajo vero, valde probabilem eorum eſſe ſententiam, qui putant, in objectionibus illis, quæ primo allatæ ſunt, *militiæ cælorum* nomine ſtellas ſignificari. Neſcis ne, ſtellas a non paucis veteribus fuiſſe cultas? quippe qui numen in iis collocabant, a quo ſe adjuvandos arbitrabantur? Indubitatum hujuſce rei teſtem adhibeo auctorem libri Sapientiæ, qui (*a*) hæc enunciat. *Sed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt*. Vide etiam opto, quæ Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Julianum (*b*) tradit. Fateor equidem, cæleſtis militiæ nomine interdum ſignificari Angelos, at in objectis locis minime ſignificatos puto. At age, ſi vis, ſignificati ii ſint: tum facile dicam, iis quidem locis vetitos fuiſſe Judæos, ne divinum cultum Angelis deferrent: ſed nos quoque divinum Angelis cultum adhibere prohibemur. At non continuo prohibemur, ne convenienti honore cultuque Angelos proſequamur.

(*a*) cap. 13. v. 2.

(*b*) pag. 606. edit. Pariſ. 1573.

II. Porro Paulus Apoſtolus verbis illis: (*c*) *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum*, eam proponit ſententiam, quæ propter ſuam obſcuritatem diu torſit, & nunc etiam torquet interpretum, & Theologorum ingenia. Eas referam interpretationes, quæ ceteris celebratiores putantur eſſe. Vult prima, *Religionem Angelorum* Judaicam eſſe religionem, quæ propterea religio Angelorum dicitur, quod Angelorum opera in monte Sinai indicta eſt. Quidam ex Judæis ſive *humilitatem* affectantes, ſive legem novam humili, vilique loco habentes, ſive imperite, & ſtulte, (4) veterem legem Chri-

(*c*) cap. 2. verſ. 18. Epiſt. ad Coloſſen.

(4) Hos omnes ſenſus admittit vox illa *in humilitate*; & primos quidem duos proponunt non pauci interpretes; poſtremum vero D. Hieronymus in Epiſtola ad Algaſiam quæſt.

Chriſtianæ religioni præferebant, tum ob alios titulos, tum etiam quia ab Angelis promulgata vetuſta lex fuerat: contra illa lex, quæ a Paulo nunciabatur, nuper, eorum quidem judicio, inventa erat ab homine (qualem eſſe dicebant Chriſtum). Porro verba illa proxime ſequentia: *quæ non vidit ambulans*, ſic explicant interpretes iſti: Deſpiciens ea, quæ non vidit, ſeu ut verterunt alii, *in iis, quæ non vidit*, *faſtuoſus incedens*, *fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*: quippe ſuperbia tumens deſpicit Chriſtum, illiuſque miracula, & reliqua argumenta haud obſcura divinitatis; *quia ipſe non vidit*. Potuit autem Judaica lex a Paulo appellari religio θρησκεία per tropum aliquem: quippe ſæpe tropis utitur Paulus.

III. Vires, roburque non leve interpretationi huic ſuæ adjungunt ex eo, quod de Judaicis ritibus proxime ante locutus fuerat Apoſtolus Paulus. (*) *Nemo vos judicet in cibo*, *aut in potu*, *aut in parte diei feſti*, *aut neomeniæ*, *aut ſabbatorum*, *quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti*. Et paulo poſt (*) ad eoſdem ritus revertitur, hæc locutus. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?* (ſeu ut vertunt alii proprius græcæ voci, *dogmatizatis?*) *Ne tetigeritis* (ſupple *hoc cadaver*, inquit Cornelius a Lapide, *hanc menſtruatam*) ne polluamini juxta legem Moyſis: *Neque guſtaveritis*, cibos ſcilicet a lege Judaica vetitos. Sane, quum lex illa jam deſierit, cur ceremonias, & ritus illos obſervandos eſſe creditis, & decernitis? Quod ſi adverſus interpretationem hanc reponas, vix credi poſſe, his vocibus *religione Angelorum* ſignificatam fuiſſe a D. Paulo Judaicam religionem, cum his vocabulis neque D. Paulus, neque alius quiſpiam Judaicam religionem appellarit; neque ſimile veri ſit, eum, qui paulo ante perſpicue de judaica religione, ejuſque ritibus locutus fuerat: *Nemo ergo in cibo*, *aut in potu &c.* mox iterum obſcuriſſime de iis loqui: Si hæc, inquam, reponas, in primis monent, id ipſum, quod nunquam a D. Paulo traditum dicitur, indicatum fuiſſe ab eodem Apo-

(*) Coloſſ. 2. 16.

(*) ib. v. 20. & 21.

quæſt. x. ſic locutus. „ *Pro humilitate* in Græco ταπεινοφρο-
„ σύνη legitur, ideſt humilitas mentis, ſive ſenſus. Vere
„ enim humilis ſenſus, & miſeranda ſuperſtitio, Deum
„ credere hircorum, atque taurorum ſanguine delecta-
„ ri, & nidore thymiamatis, quem ſæpe homines decli-
„ namus.

ſtolo in verſiculo 18. capitis ſecundi Epiſtolæ ad Coloſſenſes, perſpicue vero id edocuiſſe cap. 3. v. 19. Epiſtolæ ad Galatas, quum ait, legem Judaicam *ordinatam per Angelos in manu mediatoris*. Comprobant vero explicationem hanc auctoritate Theodoreti in hunc locum: ſic quippe eloquitur, interprete Gentiano Herveto: *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, fuiſſe legem per eos datam.* Rurſus etiam monent, non ex ſua ſententia ſic appellari a Paulo, ſed ex ſententia eorum, qui ut Chriſtianam religionem deprimerent, & Judaicam extollerent, hanc *Angelorum*, illam *hominis* religionem eſſe dicebant. Quid quod nulla adigimur neceſſitate, ut crebro eodem prorſus vocabulo rem eamdem appellemus? Quod vero objicitur, minus conſentaneum videri poſſe, ut is, qui paulo ante perſpicue de Judaica religione, ejuſque ritibus locutus fuerat, mox iterum obſcuriſſime de iis loquatur, ſic diſſolvunt. Revertitur ſæpe Paulus Apoſtolus ad priorem ſermonem, & quod clarioribus verbis dixerat, iterum, ſed interdum obſcurius dicit, illuſtrari volens atque innoteſcere ſubſequentia dicta ex iis, quæ ante clarius expoſuerat. Id vero palam, ac ſæpe conſpicimus in Epiſtola ad Romanos. Ceterum non admodum obſcura ſunt iſta, quæ mox ſubjicit. *Neque tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu*: (d) neque admodum perſpicuum eſt illud, quod ante dixerat: *Quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti*. Sed ad hanc interpretationem, mea quidam ſententia non improbandam, ego quidem te minime adigo.

(d) verſ. 21.

IV. Præſto ſcilicet adeſt altera, qua monemur, vocabulis his, *Religio Angelorum*, ſignificari cultum, venerationemque adhibitam Angelis. Enim vero græca vox, quam noſter interpres vertit *Religio: in Religione Angelorum:* non legem, ſed religionem indicat, aut certe venerationem, aut aliud affine. At inter eos ipſos, qui interpretationem hanc proponunt, nonnulli bonos Angelos, plerique tamen Angelos malos, iis Apoſtoli verbis ſignificatos ajunt. Poſtremi ſic diſputant: *humilitas illa*, cujus meminit hic Apoſtolus, denotat fucatam illam, fictamque pietatem, quam Dæmonum ſacrificuli jactabant, atque præ ſe ferebant. Quid quod a veriſimilitudine alieniſſimum eſt, Apoſtolum Paulum adeo reprehendiſſe adhibitum bonis Angelis cultum, tam & ſi ſuperſtitione

ali-

aliqua infectum? An non noverat, eoſdem probos Angelos jam dudum cultos fuiſſe a viris optimis, & ſanctiſſimis? Forte ne edocendus erat ille, æquius eſſe expurgare a ſuperſtitione illapſa laudabilem ritum, quàm eum prorſus tollere? Itaque de cultu diſſerit pravis Angelis adhibito; quippe ut cultum Deo adhibitum ſuperbi Dæmones imitarentur, eo fere modo coli expoſcebant, quo colebatur ab Judæis Deus: nempe *in cibo*, *aut in potu*, *aut in parte diei feſti*, *aut neomeniæ*, *aut ſabbatorum*. Conſentaneum denique eſt Patrum interpretationibus, & hiſtoriæ, ut ea Pauli verba de pravis Angelis intelligamus. De pravis ſane Angelis multorum judicio videtur loqui Hieronymus in Epiſtola ad Algaſiam quæſtione X. (5) Ex hiſtoriis vero id ipſum diſcimus. Norunt profecto omnes, Simonem Magum, cujus doctrina hic forte indicatur, Angelis malis cultum adhibuiſſe: novimus quoque, in iis provinciis, quas Paulus ad Coloſſenſes ſcribens inſtruit, cultum pravorum Angelorum fuiſſe in more: etenim diu poſt mortuum Paulum Laodicena Synodus, uti liquido conſtat ex Canone 35, *idololatricum cultum Angelis delatum* damnavit. Enim vero ſi eum cultum Angelis probis ſuperſtitioſe adhibitum indicaſſent Laodiceni Patres, ſuperſtitioſum quidem, ſed non idololatricum appellaſſent.

V. At audite, quid ii proferant, qui de bonis Angelis loqui arbitrantur Paulum. Unde noſcimus, loqui illum de malis Angelis? Id profecto non exprimit Paulus: neque id ſignificant verba, quæ ille adhibet. Quid quod multo ſimilius veri eſt, Platonicorum perſuaſionem longe lateque in Græcia, atque in Aſia diffuſam repre-

 hen-

(5) En quæ innui Hieronymi verba: „ Et ut ſciamus, ſemper „ eos, qui colebant idola, licet in templo hoſtias vide„ rentur offerre, non Deo eas obtuliſſe, ſed Angelis, „ per Ezechiel plenius diſcimus: Dedi eis juſtificationes „ non bonas, & præcepta non bona. Non enim ſangui„ nem hircorum, aut taurorum quærit Deus, ſed ſa„ crificium Deo eſt ſpiritus contribulatus: cor contritum, „ & humiliatum Deus non deſpicit. Et propterea qui „ vitulum fecerant in Horeb, & coluerant ſidus Dei „ Rempham, de quo in Propheta Amos plenius diſſerui„ mus, adoraverunt figuras, quas ipſi fecerunt, & tra„ didit eos Deus, ut ſervirent militiæ cæli, quæ nunc „ ab Apoſtolo dicitur Religio Angelorum. Expreſſius tamen id vellem ſignificatum fuiſſe a Hieronymo.

henſam fuiſſe ab Apoſtolo, quàm aliam quamlibet, atque illam præſertim, quam Simon Magus evulgavit? Porro Platonici perſuaſi erant, cultum Angelis probis, minime vero malis Angelis eſſe adhibendum. Id certe tradit Theodoretus ad hunc Pauli locum hæc locutus. „ Et in
„ hodiernum uſque diem licet videre apud illos, & eo-
„ rum finitimos Oratoria Sancti Michaelis. Illi ergo hoc
„ conſulebant utique humilitate utentes, dicentes, uni-
„ verſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad
„ eum poſſe perveniri: & oportere per Angelos divinam
„ ſibi benevolentiam conciliare. Itaque tam & ſi improba ratione colerent: (ſcilicet ſacrificia veluti Diis, minoribus tamen, & ſupremo Deo longe inferioribus deferebant, quum ſacrificium uni vero Deo offerendum ſit) quod tamen attinet ad Angelos a ſe cultos, bonos tantum, non malos venerabantur. Hunc vero cultum jure, meritoque reprehendit Apoſtolus Paulus, tum quia falſa perſuaſione innititur; acceſſum ſcilicet ad Deum per Angelos tantum haberi: tum etiam quia creaturis tribuit ſacrificium, quod uni Deo, uti ſæpe diximus, fieri debet. Et de objecto Pauli teſtimonio hactenus.

CAP.

CAP. IX.

Illuſtratur Canon quintus & triceſimus Synodi Laodicenæ. Explicantur quoque objecta ex Theodoreto, & Origene loca.

I. REjectis iis, quæ a Scripturis repetunt, argumentis, ea ſunt expendenda, quæ a Conciliis, & Patribus deſumunt. Ea hic non repetimus, quoniam paulo ante valde diligenter retulimus. Sic porro primum diſſolvo. Quo Laodicenæ Synodi damnatio ſpectet, non omnino liquet. Repelli cultum, ſed æquo majorem, divinum nempe, quibuslibet etiam bonis Angelis adhibitum, propterea putant multi, quod Synodus pravos Angelos eos non appellet, quorum cultum damnat: quorumlibet ergo Angelorum cultum damnat. Dicitur vero a Patribus Laodicenis *idololatricus*, ſeu *idololatria* cultus ille, quem damnant, quia qui illum adhibet, defert cultum creaturæ, quem ſoli Deo adhibere debemus. Enim vero Deum ſibi, ideoque Idolum efficit, qui templa erigit creaturæ: quæ tamen templa Angelis erigebant cultores Angelorum, qui ab Laodicena Synodo damnantur. Sic certe non pauci explicant objectum Canonem xxxv. Concilii Laodiceni.

II. Quid quod Theodoretus nuper objectum Pauli locum interpretans, quorumlibet, ideoque bonorum etiam Angelorum veluti ſuperſtitioſum, atque improbum cultum in iis regionibus fuiſſe damnatum, haud obſcure tradit? quippe (quod nuper diximus) templorum meminit, quę Michaeli proborum Angelorum principi erecta fuere. Id vetitum eſſe quis neget? Vide Auguſtini Sermonem olim 101. de diverſis, nunc 273. cap. & num. 7. Vide etiam caput 27. lib. VIII. de Civitate, & caput 21. lib. XX. contra Fauſtum.

III. Huic tamen explicationi alii obſiſtunt, ajuntque, de cultu pravis Angelis adhibito tantummodo locutam fuiſſe Laodicenam Synodum. Et revera vox *Idolum* apud Eccleſiaſticos auctores, præſertim ſi ſola ſumatur, uſurpari conſuevit ad Dæmones, ſeu eorum ſimulacra, & ſculptilia ſignificanda. At quomodocumque ſumas, certa res eſt, Laodicenam Synodum neque verorum Martyrum, ideoque neque Angelorum proborum haud intemperantem cultum reprobaſſe. En vadem Canonem 34. proxime

me præcedentem. *Quod non oportet omnem Chriſtianum Chriſti Martyres relinquere, & ad falſos, hoc eſt hæreticos abire, vel ad eos, qui prius hæretici fuere. Hi enim ſunt a Deo alieni: ſint ergo anathema, qui ad eos abeunt*. Quem Canonem ſi obſerves, palam videbis, verorum Martyrum cultum perinde approbari, ac reprobatur pravorum Martyrum, & Angelorum, aut certe prave adhibitus bonis Angelis cultus. Minime vero alienam a cultu Cælitum fuiſſe hujuſmodi Synodum, ex Canone 51. apertiſſime intelligis; Natales quippe Sanctorum Martyrum celebrari approbat; tamen in Quadrageſima mœſtitiæ, & luctus tempore præter dies Sabbati, & Dominicam ceteris ſolemniores jubet, ut ab eorum celebratione Fideles abſtineant. Ex quibus quidem verbis colligo, magna cum ſolemnitate, ac pompa hujuſmodi Natales celebrari conſueviſſe. En ea, quæ dixi, verba laudati Canonis. „ Quod non oportet in Quadrageſima Martyrum „ Natales peragere, ſed ſanctorum Martyrum facere „ Commemorationes in Sabbatis, & Dominicis.

IV. At ad Theodoretum orationem convertamus. Quid præclarus hic ſcriptor ſenſerit, ex his, quæ nuper diximus, facile conjicis. Non repulerim tamen monita eorum, qui dicunt, Templa illa, ſeu Oratoria Michaeli erecta, quorum meminit Theodoretus, fuiſſe fortaſſe Oratoria, quæ deinceps in Michaelis honorem Deo dicavit Fidelium pietas. Quippe ſubſequentibus temporibus Catholici templa pravis Angelis veluti numinibus olim ædificata, in honorem, & memoriam proborum, atque in primis Michaelis converterunt. Utcumque ſit, cultum proborum Angelorum minime improbatum eſſe a Theodoreto, ex eo perſuadeor, quod cultum ſanctis Angelis adhibitum approbat in Oratione III. *De curandis Græcorum affectionibus*, ex qua aliqua jam verba retulimus. Martyrum quoque cultum approbat tum alibi, tum certe Oratione VIII. contra Gentes. Ad hæc: fundamentum, ut ita loquar, hujuſmodi cultus & agnoſcit, & palam tradit, dum eoſdem Angelos æternæ ſalutis adminiſtros fuiſſe nobis conceſſos a Deo, noſtroſque interceſſores, ac patronos eſſe edocet. Vide quæ docet ille Oratione nuper laudata: etiam quæ in libro Divin. Decret titulo *de Angelis*: in commentariis quoque in verſic. 13. capitis X. Danielis, aliiſque præterea in locis, quæ diſſertationibus ſubſequentibus afferemus.

V. Ve-

V. Venio ad Origenem, cujus quidem patrocinio tam crebro, quam temere gloriantur adverſarii. An non ille ipſe, quo ſenſu verba objecta ex numero 4. libri quinti ſint accipienda, palam facit, dum hæc ait: *Non imperari nobis, ut eos pro Deo colamus, atque adoremus?* Dum etiam tradit, invocari eos non poſſe veluti delatores precum noſtrarum ad Deum, ignaro atque inſcio, ac veluti negligente, ut ita loquamur, Chriſto: ſed eas deferri debere ad Deum per Chriſtum? Nonne his verbis expreſſiſſime indicat, coli eos non poſſe, neque invocari eo cultus, & eo invocationis genere, quo colebant, invocabantque Platonici, ut ſcilicet veluti Dii, tam & ſi minores colerentur, invocarenturque, & veluti ſoli, aut præcipui curatores rerum noſtrarum, delatoreſque noſtrarum precum, atque obſequiorum ad Deum; perinde quaſi aut Deus neſciret, aut noſtras preces, atque obſequia ſibi adhiberi nollet, aut nollet per Chriſtum ſibi deferri? Utrumque merito condemnat, & reprobat Origenes, & nos ipſi fuſe oſtendimus, omnia per Chriſtum deferri ad Deum, & a Deo per Chriſtum nobis provenire.

VI. Eadem reſponſione diſſolvo reliqua teſtimonia, quæ allegantur ex libro 8. adverſus Celſum. Enim vero eumdem errorem redarguit, & jure quidem, meritoque redarguit. (*) „ Si enim perſuaſum haberemus, (inquit ille) (*) n. 13.
„ eos eſſe ſummi Dei miniſtros, nunquam appellaremus eos
„ Dæmonia; ſed unum Deum, & unum ejus Filium, ac Ver-
„ bum, imaginemque, quantum poſſumus, ſupplicatio-
„ nibus, & honoribus veneramur, offerentes Deo uni-
„ verſorum Domino preces per ſuum Unigenitum, cui
„ prius eas adhibemus, rogantes, ut ipſe, qui eſt pro-
„ pitiator pro peccatis noſtris, dignetur tamquam Pon-
„ tifex preces noſtras, & ſacrificia, & interceſſiones of-
„ ferre Deo Optimo Maximo. Itaque in Deo fides no-
„ ſtra conſiſtit per confirmantem eam in nobis ipſius Fi-
„ lium: nec eſt quod Celſus nobis ſeditionem objiciat
„ propter Filium.. . Quid quod palam loqui videtur de pravis Angelis (6): *Et Angeli Diaboli conentur eos &c.?*

Por-

(6) Certe Angelos Diaboli appellat vetuſta interpretatio: ea vero, quam adornaverunt Patres S. Mauri, vocat Dæmones Principum Satellites, & græca ipſa lectio habet ἀρχόντων δαίμονες &c. *etiamſi Dæmones Principum Satellites, & miniſtri id facere cogant* (ideſt *colere principes &c.*)

Porro pravi Angeli omnino coli non poſſunt; quippe qui hoſtes Dei, & noſtri ſunt. Sed de quibuſcumque loquatur ille, indubitatum reor, Origenem noſtræ perſuaſioni minime adverſari, quippe qui recte adhibitum probis Angelis cultum omnino non damnat. Id ut clare conſtet, profero ipſa Origenis verba deſumpta ex numero 13. ejuſdem libri 8. adverſus Celſum. En illa. „ Deinde putat ex „ eo, quod cum Deo Filium ejus colamus, conſequens „ eſſe, ut non Deum ſolum, ſed etiam ejus miniſtros co„ lendos eſſe ſentiamus. Si intellexiſſet, quinam ſint poſt „ Dei Unigenitum vere miniſtri Dei, ut Gabriel, Mi„ chael, & alii Angeli, atque Archangeli, & eos colen„ dos eſſe dixiſset; fortaſſe, repurgatis cum ſignificatio„ ne illius vocis *colere*, tum ejus, qui colit, officiis, hoc „ loco pro rei momento attuliſſem ea, quæ de hoc ar„ gumento aſſequi intellectu potui. Cum autem miniſtros „ exiſtimet Dæmones illos, qui adorantur a gentibus, „ non rerum conſequentia nos cogit eorum admittere „ cultum, quos Scriptura docet eſſe miniſtros mali illius, „ & Principis hujus ſæculi, qui a Deo avertit quoſcum„ que poteſt. Detrectamus igitur omnino illos, quos re„ liqui homines venerantur, colere, & illis ſervire, quia „ miniſtri non ſunt. Nam ſi didiciſſemus, illos eſse ſum„ mi Dei miniſtros, non eos Dæmonia eſſe diceremus. „ Itaque unum Deum, & unum Filium ejus Verbum, „ & imaginem, quantum poſſumus, precibus, ſuppli„ cationibuſque veneramur, offerentes Deo univerſorum „ per Unigenitum ejus noſtras preces. Huic primum ſup„ plicamus, rogantes, ut cum ſit *propitiatio pro peccatis* „ *noſtris*, & *Pontifex magnus*, vota, victimas, preceſ„ que noſtras ſummo Deo offerat. (a) Et de his hactenus.

(a) Vide 2. Origen. quæſt. 5. n. 36.

CAP. X.

Solvitur argumentum, quod ex Apocalypſi in nos intorſerunt.

I. CUr Angelus Joannis officium repulerit, perquirunt Patres, & interpretes Scripturarum: quorum varias explicationes, ſi volumus, ad duo ſuprema capita poſſumus revocare. Tradit prima explicatio, tali ſpecie, & ſplendore Angelum apparuiſſe Joanni, ut merito putarit,

tarit, Chriſtum eſſe illum, & eam ob rem veluti Deum adorare voluerit. Id vero non permiſit Angelus, ſeque Deum non eſſe dixit, quem adoraret. Hæc explicatio tum ratione, tum auctoritate innititur. Ratione quidem, quia credibile admodum eſt, Angelum, quem adorare Joannes voluit, illum ipſum eſſe, de quo hæc enunciarat verſiculo primo capitis decimi octavi. *Et poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt a gloria ejus*, ideoque illum, qui Deus putari facile poſſet. Neque vero hujus modi interpretationem ex eo improbes, quod Angelum eum appellet Joannes. *Vidi alium Angelum*. An neſcis, Angelum propterea eum fuiſſe appellatum, quia poſtea eſſe Angelum eum comperit, non quia ſtatim agnovit? Ad hæc, dum vetuit Angelus ſe adorari, non aliam ob cauſam vetuit, niſi quia Deum adorari oportet: *Deum adora*, ſeu ut legit Cyprianus in libro *De Patientia: Dominum Jeſum adora*. Talem ergo adorationem ei adhibuerat, aut ſaltem adhibere paratus erat Joannes, ut Deo tantum adhiberi ea poſſet: deceptus, uti diximus, ſpecie & ſplendore Angeli illius. Quod vero ad auctoritatem attinet, eam explicationem propoſuit Auguſtinus, (*a*) Caſſiodorus quoque, (*b*) ſeu ſi appellare ita eum vis, Caſſiodorius hanc explicationem approbare videtur, dum de eo Angelo hæc tradit. *Per multas, diverſaſque ſententias Dominum ſe Chriſtum eſſe confirmans &c.* Nec ea ſolutio diſplicet D. Thomæ (*c*).

II. Altera explicatio nos monet, propriam & rigoroſe acceptam adorationem Angelo non fuiſſe delatam a Joanne, ſed tantum officioſam quandam, atque obſequioſam, & humillimam corporis demiſſionem, ut nempe gratias ageret ob manifeſtata ab eodem Angelo myſteria, aut affinem aliam ob cauſam. Quis enim ſibi in animum inducat, Joannem Angelicis viſionibus jam pridem aſſuetum minime diſcreviſſe Angelum a Chriſto, aut Deo? Agnovit itaque, Angelum eum eſſe. Neque vero ex eo, quod adorationem appellaverit hujus modi demiſſionem: *Deum adora*: cogimur, ut dicamus, illud adorationis genus, quod Deo tantum debemus, Angelo fuiſſe adhibitum a Joanne. Nonne ex veteri, uſitatoque loquendi more adorationem vocare potuit officium illud, & obſequium ſane non leve, quod corporis demiſſione ſibi Joannes adhibuerat? Hujus modi officium, atque obſe-

(*a*) cap. 21. lib. 20. contra Fauſtum, & rurſus quæſt. 61. in Geneſim: etiam cap. 55. alias n. 110. libri *De vera religione*.

(*b*) in *Complexionibus in Apocalypſim* pag. 230. c. 32. alias 22. verſ. 8.

(*c*) 2. 2. quæſt. 84. art. 1. ad 1.

quium ſibi deferri Angelus renuit, quod putaret, ſibi majorem honorem tribui, quàm aut ipſe mereretur, aut Joannis, illiuſque fratrum Chriſto ſervientium dignitas atque excellentia pateretur. Ab hac explicatione non abhorret Hugo Grotius ad locum hunc, ſic interpretans verba Angeli: „ Honor ille exhiberi ſolet multo majori-
„ bus. Nos inter nos pares ſumus ejuſdem Regis legati.
„ Per *fratres habentes* (ſive ſervantes) *teſtimonium*, hic
„ intellige Apoſtolos, & alios donis apoſtolicis prædi-
„ tos. Manifeſtum id fit ex loco ſimili infra, XXII. 9.
„ Philo Abrahamum vocat Angelorum *conſervum*. (*d*)
„ *Deum adora*. Non dicit προσκύνησιν (*adorationem*) ſoli
„ Deo licite exhiberi: repugnat enim tota vetus hiſto-
„ ria, & ea, quæ diximus ad Matthæum, VIII. 2. ſed
„ benigne agit, ut ſi quis collega collegæ dicat: Serva
„ hunc honorem Regi. Quam quidem explicationem quis contempſerit, poſt quam noverit, maximo Auguſtino eam minime diſplicuiſſe? Eam ſane, ſi non manifeſto tradit, innuit certe in ſermone ſexto de S. Stephano: (*e*) quippe in humilitatem Angeli refert, quod a Joanne adorari noluerit. (7) An non etiam eamdem explicationem ea verba comprobant, quæ mox repoſuit idem Angelus? *Conſervus tuus ſuum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu . . . . . teſtimonium enim Jeſu eſt ſpiritus prophetiæ*. Et cap. 22. v. 9. addit, *ſe conſervum eorum etiam eſſe, qui ſervant verba prophetiæ*. Nimirum novimus, non elatiorem, ſed ſe parem declaraſſe eum Angelum tum prophetis, tum iis, qui ſervant Prophetarum verba, id eſt Chriſtianis ſervantibus ſibi impoſitam legem. Porro non ſe illis parem, ſed elatiorem dixiſſet Chriſtus, ſi ſub ea ſpecie apparuiſſet. Si quis hoc ſuper argumento uberiora legere cupit, adeat Cornelium a Lapide in Commentariis in verſiculum decimum capitis decimi noni Apocalypſis.

(*d*) in lib. de Abrahamo.

(*e*) in ſerie 319. olim 51. *de diverſis* n. 7.

CAP.

---

(7) „ Angelus oſtendebat multa miracula Sancto Joanni Evan-
„ geliſtæ, turbatus miraculis adoravit eum. Adoravit
„ homo Angelum, & Angelus homini: *Surge, quid facis? conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum*. Si
„ tanta humilitas apparuit in Angelo, quantam putatis
„ eſſe debere in martyre? ſicuti eſt.

CAP. XI.

Valde probabilibus argumentis oſtenditur, a primis uſque Eccleſiæ temporibus conſueviſſe Chriſtianos Sanctis vita functis cultum adhibere.

I. AB Angelis ad Sanctos homines mortali vita functos, & regnantes in Cælis convertimur, quibus ſane a primis uſque Eccleſiæ ſæculis conſueviſſe Fideles cultum adhibere, primo quidem evincimus ex crebris accuſationibus infidelium Chriſtianos redarguentium, quod rejectis numinibus ſuos Martyres ſubſtituiſſent. Vide quę docent Auguſtinus libro VIII. de Civitate Capite XXVI. & Epiſtola olim 44. nunc 17. & reliqui Patres, quos allegavi, quum de hoſtibus cultus Sanctorum diſserui. Hinc compulſi ſunt noſtri diſcrimen exhibere, quod ſummum intereſt inter cultum falſis Diis delatum ab Ethnicis, & cultum, quem nos Sanctis deferimus.

II. Porro ex his validum argumentum conficitur, unde Sanctorum cultum & antiquiſſimum, & per totam Eccleſiam diffuſum noſcas. Nimirum ſi Auguſtini tempore, immo diu ante Auguſtinum talis adhibebatur a Chriſtianis cultus Martyribus, ut cum eo comparari poſſet, quem ſuis Numinibus Ethnici adhibebant, notiſſimum, ſummumque fuiſſe oportet hujuſmodi cultum, quippe qui divinus plane judicabatur, & ut a divino ſecerneretur, compellebantur Doctores noſtri & diſcrimina afferre, & certa argumenta diſcriminis. Facile porro Auguſtinus, & alii defenſores rituum Chriſtianorum ſe ſe ab accuſationibus Ethnicorum eripere potuiſſent, monentes, eum cultum a ſapientibus, & Eccleſiæ Magiſtris non eſſe approbatum. Alia tamen defenſione hanc conſuetudinem tutati ſunt, remque faſſi, eam ab invidia, & infidelium criminationibus defenderunt.

III. Quis hic omiſerit metum illum, quo angebantur iidem infideles, religionis noſtræ hoſtes, ne Sanctorum cadavera in Chriſtianorum manu relinquerentur? Verebantur ſcilicet, ne ea *relicto Chriſto adorarent* Chriſtiani. Propterea eadem cadavera comburebant, & eorum cineres diſpergebant; ne ſcilicet Chriſtiani ea colerent. Contra hi diligentiam impendebant maximam, ut eadem cadavera vel cum vitæ diſcrimine ab Ethnicorum poteſtate eri-

Mm 2 pe-

perent, & apud ſe retinerent, & ſummo honore, veluti *pretioſiſſimas gemmas*, immo *gemmis pretioſiores reliquias cuſtodirent*.

IV. Quod ſi metuere Ethnici, ne *Chriſtum* etiam *relinquerent*, ut Martyres adorarent Chriſtiani, egregium ſane honoris erga Martyres argumentum præbuiſſe illos neceſſe eſt: quippe vera adoratio credebatur, & tale cultus genus, ut Chriſti cultum relicturi putarentur. Si adeo caras reliquias Martyrum habuere, ut gemmis pretioſiſſimis præferrent: ſi eas tanti æſtimavere, ut vel cum ipſo vitæ diſcrimine Ethnicis eripere pertentarint, profecto ſummum pretium in iis noſcebant. Cur autem tanti æſtimabant, ſi ſacrum aliquid, cui proinde eximius honor deferri deberet, in iis non agnoſcebant? Hinc ortum putamus, ut cuſtodias ſuas, præſidium ſuum, arces ſuas Martyrum cadavera, & reliquias appellarent: qua de re cum fuſe alibi dicturi ſimus, hic de ea differere omittimus.

V. Quis vero de hoc argumento differens præterierit Paſtorum, Doctorumque ſolertiam, ac ſummum ſtudium, ne in Sanctorum cultum ſuperſtitio aliqua, aut vitium irreperet: quod ſi irrepſiſſet, ut auferretur? Cujus rei teſtes habemus tum alios multos, tum certe Auguſtinum monentem, (a) *a præclaro prædicatore, atque antiſtite pietatis* (Ambroſio) *præceptum eſſe iſta* (dapes ſuper Martyrum ſepulcra poſitas indicat) *non fieri nec ab eis, qui ſobrie facerent, ne ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis, & quia illa quaſi parentalia ſuperſtitioni gentilium eſſent ſimillima*. At ſi Paſtores, Epiſcopi, Eccleſiæque Doctores ſanctiſſimi, doctiſſimique ſuperſtitionem tantum, ſi qua in cultum Sanctorum irrrepſiſset, tollere, non cultum ipſum delere curarunt, cultum hunc majorem in modum approbaſse dicendi ſunt; alias ſimul cum ſuperſtitione cultum ipſum abolevisſent: quod non raro eſt factum in iis ipſis, quæ ceteroqui per ſe mala non erant, ſed mala effecerat quorumdam abuſus. Jure itaque meritoque dices, hujus modi cultum maxime cordi fuiſse toti Eccleſiæ, cujus Antiſtites zizania quidem evellere pro viribus ſtudebant, at cultum ipſum veluti electum granum ſervabant.

(a) In lib. 6. Confeſſionum cap. & n. 2.

VI. Quod ſi ad ejuſdem cultus antiquitatem comprobandam hic quoque afferas, quæ de interceſſione, & patrocinio; quæ de invocatione Sanctorum; quæ de fe-

ſtis

ſtis in eorumdem Sanctorum honorem inſtitutis; quæ de adhibita Sanctorum imaginibus, & reliquiis veneratione a nobis afferuntur, ea ſane afferes, quæ ad illud, de quo agimus, argumentum commode ſpectare poſſunt: de his vero hic differere, eaque ab objectionibus vindicare ſuperſedeo, quòd ſub ſuis quæque titulis uberrime ſint pertractanda.

CAP. XII.

Recenſentur ea argumenta, quibus antiquitatem cultus Sanctis adhibiti oppugnant.

I. POſtulat inſtitutæ diſputationis ſeries, ut ea ſtatim recenſeamus, refellamuſque argumenta, quibus propoſitam ſuperiori capite ſententiam impetunt Heterodoxi. Id ſi obtinuerimus, (obtinebimus porro) nihil jam erit, quod trepidos quoſdam, ancipiteſque prohibeat, ne antiquiſſimum eſſe fateantur morem eum, quem nunc procul dubio ſervamus. Age itaque, ea producamus, quæ adverſarii noſtri producere conſueverunt. Non eſt, inquiunt, cur de antiquitare hujuſce moris glorientur Pontificii; quando quidem ex veterum teſtimoniis compertum ſit, veteres Patres vetuiſſe, ne Sancti colerentur. Ea de re ſi dubitas, accuratius lege, quæ a primis uſque Eccleſiæ temporibus ſanctiſſimi Patres hoc de argumento tradidere, & apertiſſime intelliges, Sanctorum cultum plane eos fuiſſe averſatos. Nimirum monuere, diligi quidem, & honorari ab Eccleſia Sanctos, at minime eos coli. Hos omnes præivit Petrus, dum (a) cultum ſibi a Centurione adhibitum recuſavit: *Surge*, (inquiens) *& ego ipſe homo ſum*. Præiverunt Paulus, & Barnabas, (b) ſe coli omnino non permittentes. Præivit denique Angelus, cujus capite decimo meminimus, quippe qui (c) noluit coli a Joanne, quem etiam hortatus eſt, ut uni deferret Deo hujuſmodi obſequia, quæ uni debentur Deo. *Vide, ne feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora.*

Horum exemplo moniti Eccleſiæ Smyrnenſis Fideles irriſere Judeos ſuſpicatos, ne relicto Jeſu ad Martyres adorandos ſe converterent, teſtatique ſunt, Chriſtum tantum modo adorari, & coli a ſe, Martyres vero diligi. En verba ipſa Eccleſiæ Smyrnenſis. (d) ,, Atque hæc aje- ,, bant ſuggerentibus, & inſtantibus Judæis, qui etiam

,, nos

(a) Act. 10. v. 26. & 27.

(b) Cap. 14. Act. v. 13. & 14.

(c) Apoc. 19. v. 10. & rurſus cap. 22. v. 9.

(d) interprete Cotelerio num. 17.

„ nos obſervaverant eum (*Polycarpum*) ex igne extracturos.
„ Ignari quod nec Chriſtum unquam derelinquere poteri-
„ mus, qui pro ſalute omnium, qui in toto mundo ſal vi fient,
„ paſſus eſt, inculpatus pro peccatoribus; nec alium quem-
„ quam *colere*. Illum ſiquidem, utpote Filium Dei, *ado-
„ ramus*. Martyres vero tanquam Domini diſcipulos, &
„ imitatores merito *diligimus* propter illorum erga ſuum
„ Regem, & Magiſtrum benevolentiam eximiam, quo-
„ rum utinam & nos fiamus conſortes, ac condiſcipuli.

II. Eumdem quoque Sanctorum cultum averſatus eſt Hieronymus tum in epiſtola ad Riparium alibi allegata, tum numero quinto libri adverſus Vigilantium ſcripti his eumdem Vigilantium verbis diſtringens. *Quis enim, o inſanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Averſatus eſt Epiphanius de Collyridianis agens; & generatim nullam creaturam adorari ſinit Auguſtinus num. 7. ſermonis ſexti in Sanctum Stephanum: in libro xx. contra Fauſtum Manichæum cap. 21. denique in libro *De vera religione* cap. 55. alias num. 108. & 110.: Etiam Fulgentius cap. quarto libri ad Donatum. Et ne multos afferam, Leo Magnus, cap. ſexto ſermonis ſecundi de Nativitate in eamdem ſententiam præclariſſima & perſpicua tradens.

III. Quod ſi ad hæc tam præclara teſtimonia ſubjicias, adorationem ab iis ſumi in rigoroſa ſignificatione; ita ſcilicet, ut denotet *latriæ cultum*: tum facile refelleris ab iis Patrum locis, in quibus non modo adorationem, verum etiam cultum creaturæ cuivis adhiberi non patiuntur. Id porro facit Hieronymus in ea ad Riparium (e) epiſtola, quam nuper citavimus, ſed hic repetere eſt opus. „ Nos autem (inquit ille) non dico Martyrum re-
„ liquias, ſed ne ſolem quidem, & lunam, non Ange-
„ los, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim,
„ & omne nomen, quod nominatur & in præſenti ſæcu-
„ lo, & in futuro, *colimus*, & *adoramus*. Similiter Auguſtinus numero nono ſermonis recitati in natali Sanctorum Martyrum Fructuoſi, Auguris, & Eulogii: (f) *Cariſſimi*, (inquit) *veneramini Martyres, laudate, amate, prædicate, honorate, Deum martyrum colite*. Cultum quoque creaturis quibus libet adimit in libro de vera Religione, (g) cujus verba, tam & ſi nuper indicata, hic iterum afferamus neceſſe eſt: adeo manifeſte Pontificiorum perſuaſioni, & ritibus adverſantur. En illa. (h) „ Non ſit no-
„ bis

(e) 109. aliàs 53. n. 1.

(f) olim 101. *de diverſis*, in nova editione 273.

(g) cap. 55. alias n. 108. & 110.

(h) n. 108.

„ bis religio cultus hominum mortuorum: quia ſi pie vi-
„ xerunt, non ſic habentur, ut tales quærant honores;
„ ſed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætan-
„ tur, meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergo ſunt
„ propter imitationem, non adorandi propter religio-
„ nem.

IV. Hæc vero palam oſtendunt, haud recte allegari a Pontificiis hac in quæſtione Eccleſiæ Patres. Hi enim apertiſſime ſignificant, a ſe minime coli Sanctos, ſed tantum amari, & honorari eo honoris genere, quod in imitatione poſitum ſit: *Honorandi propter imitationem*: At in Sanctorum imitatione nunc non collocant Pontificii honorem, quem deferunt Sanctis, ſed in Miſſarum celebratione, in templorum, atque altarium erectione, aliiſque tum multis, tum vetuſtæ ætati prorſus ignotis ritibus.

V. Dilectionem vero, & honorem, quo Sanctos proſequebantur, ad illud ipſum dilectionis, & honoris genus pertinere ajebant, quo viventes probitate ſpectatos amamus, honoramuſque, ideoque, ut iidem Doctores expreſſiſſime ſignificaverunt, ad illum honorem, & dilectionem, quæ communio, & ſocietas ſub uno capite Chriſto Jeſu aut expoſcit, aut efficit, non ad alium quempiam elatiorem, ac ſublimiorem. Nonne id Auguſtinus candide fatetur, dum cap. XXI. libri viceſimi contra Fauſtum hæc ait? „ Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis,
„ & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti ho-
„ mines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica ve-
„ ritate paſſionem paratum eſſe ſentimus: ſed illos tanto
„ devotius, quanto ſecurius poſt incerta omnia ſuperata,
„ quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vi-
„ ta feliciore victores, quàm in iſta adhuc uſque pugnan-
„ tes. Nonne id quoque edocet Cyrillus Alexandrinus (*i*) hæc inquiens? „ Sanctos porro Martyres neque
„ Deos eſse dicimus, neque divino cultu eos adorare ſo-
„ lemus, ſed affectus, & honoris.

VI. Neque vero elatiori aliquo honoris, & dilectionis genere proſequi Sanctos poterant iidem Patres: etenim Sanctos etiam degentes in cælis, non dominos, quibus cultus, & elatior honor deferretur, ſed ſervos unius *Domini Dei*, ideoque conſervos noſtros agnovere, & faſſi ſunt. Nonne ſervos Theodoretus Sanctos appellat his verbis? (*k*) *Honoramus Martyres tanquam Dei teſtes, ſervoſque amantiſſimos.* Angelos etiam conſervos eſſe ait

(*i*) libro *6.* contra Julianum.

(*k*) ſermo. 8. inter eos, quos *De curandis Græcorum affectionibus* inſcribi mos eſt.

ſer-

ſermone tertio : *Conſervos tamen* (inquiens) *opinamur*. Id imitantur Nicænæ ſecundæ Synodi Patres, dum actione ſecunda (*l*) hæc tradunt. *Venerantes eos ut famulos, & amicos, & filios Dei: bonor enim, qui circa conſervorum devotos agitur &c.* Porro ſervos, conſervoſque, quicunque ii ſint, omnino coli non poſſe non dubitabis, ſi animadverteris, propterea Angelum vetuiſſe, ne ſe adoraret Joannes, quod conſervus illius eſset, & reliquorum Chriſtianorum. *Vide, ne feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum babentium teſtimonium Jeſu. Deum adora.*

(*l*) pag. 831. & 1371.

VII. Quod ſi quis interdum viſus ſit aut ipſe colere Sanctos, aut cultum iis adhibitum approbare; ſi tamen verba, quibus iidem Patres utuntur, ſi ſcopum metamque, quam deſignarunt, attendas, apertiſſime intelliges, propterea tantummodo aut coluiſſe Sanctos, aut cultum iis adhibitum approbaſſe, quod ad eos revera non ferretur, aut ſaltem non in iis ſiſteret ille cultus, quem minus accurati homines ad Sanctos deferri putabant, ſed ad Deum deferretur, ideoque Dei cultus eſset, non Sanctorum, in quibus ſive veluti miniſtris, ſive veluti inſtrumentis divinæ gloriæ Deus honorabatur: item fere, ut, ipſorum quidem Pontificiorum ſententia, in candelabris, & in altari, quæ tamen incenſo thure honorantur, honoratur & colitur Deus. Atque rem hanc liquido oſtendunt verba illa notiſſima Concilii Nicæni II. actione III. (*m*) *Honor enim, qui circa conſervorum devotos agitur, probationem habet bonæ voluntatis erga communem exhibitæ Dominum:* & affinia alia hujus generis ſexcenta, quæ utpote notiſſima referre non vacat.

(*m*) tom. 8. pag. 831.

VIII. Id denique comprobatur ex iis Patrum locis, in quibus edocemur, templa nulla, aras nullas, delubra nulla, nullaſque imagines in uſu fuiſse apud Chriſtianos veteres; ideoque edocemur, nihil eorum apud illos fuiſse in uſu, quibus Pontificii Sanctos colunt. Porro hæc loca tam nota, quàm crebra ſunt. His ſane monitis, ut nemo ignorat, refertiſſimi ſunt Minucii Felicis, Arnobii, aliorumque veterum libri.

Diluere incipimus argumenta capite ſuperiori propoſita, & nunc quidem explicantur loca objecta ex Scriptura, ideoque duo illa, quæ ex Actibus Apoſtolorum deſumuntur.

I. HActenus argumenta retulimus, quæ in propugnatam a nobis cultus Sanctis adhibiti antiquitatem objecerunt. Nunc præſto ſimus, & pro virili curemus, ut propoſitis difficultatibus ſatisfaciamus. De dilectione, & honore, quo veteres Patres ſe Sanctos proſequi ajebant, diſſeremus mox. Hic ſtatim objecta ex Scripturis loca illuſtranda ſuſcipio. Cur Petrus ſe adorari vetuerit, Theologi, & divinarum Scripturarum interpretes diſſident. Monent aliqui, Centurionem nondum inſtructum in lege veri Dei, & forte imbutum Ethnicorum Theologia, aut certe non omnino ignorantem illius dogmata, putaſſe Petrum heroem, aut ſemideum aliquem, ad id etiam inductum a viſione Angeli, qui eundem Centurionem monuerat, ut Petrum magiſtrum, interpretemque divini eloquii accerſeret. *Nunc mitte viros in Joppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus ...... hic dicet tibi, quid te oporteat facere* (a) Id ubi ſeu comperit, ſeu ſuſpicatus eſt Petrus, honorem æquo majorem ſibi deferri paſsus non eſt, ſeque hominem eſse dixit, non aliquid homine elatius. *Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum.* (*) Sic interpretantur Catholici multi, & inter Proteſtantes Hugo Grotius in locum hunc.

(a) Act. x. v. 5. & 6.

(*) ibid. v. 26.

II. Volunt alii comitatis, aut humilitatis cujuſdam cauſa repuliſse Petrum illud reverentiæ, atque obſequii argumentum, quod adhibebat Cornelius. Optabat ſcilicet ille familiariter cum eo agere, eaque humanitate ſibi amiciorem, & ad diſcenda fidei noſtræ myſteria paratiorem reddere.

III. Cur vero urgent exemplum Pauli, & Barnabæ non ſinentium ſecoli? quando quidem in eo exemplo nulla ineſt difficultas. An non Paulo, & Barnabæ veluti numinibus ſub humana facie luſtrantibus terras ſacrificare volebat ſacerdos Jovis? Profanum, ſacrilegumque ſacrificium recuſavere ſanctiſſimi Apoſtoli, hæc addentes: *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit Cælum, & Terram.* (*) Vide quæ tradit Auguſtinus n. 12. enarrationis in Pſalmum 96. & cap. 21. libri 20. con-

(*) Act. 14.

tra Fauſtum. Sed quid hæc cum eo cultu, quem dum præſtamus Sanctis, eum longe divino minorem eſſe teſtamur?

IV. Quod ex Apocalypſi objecerunt, cum capite decimo copioſe ſolutum ſit, hic prorſus omittimus.

CAP. XIV.

Ea diſſolvuntur, quæ ex Actis S. Polycarpi, ex Hieronymo, Epiphanio, Auguſtino, Fulgentio, & Leone Magno attulerunt.

I. VEnio jam ad teſtimonia Eccleſiaſticorum auctorum, e quibus petitas oppoſitiones ſic diluo. Chriſtiani Smyrnenſis Eccleſiæ merito teſtati ſunt, ſe alium colere, aut adorare non poſſe, niſi unicum filium Dei Jeſum Chriſtum. Accipiunt ſcilicet *adorationis*, & *cultus* vocabula in ea ſeveriori ſignificatione, quam tum ſubeunt, quum ad obſequium maximum Deo tantum modo deferendum coarctantur. Verebantur nempe, ſeu potius ſe vereri fingebant Judæi, ne *relicto Crucifixo* ad Polycarpum colendum ſe ſe converterent Chriſtiani. Id hi perperam a Judæis metui affirmant: quippe a Chriſti cultu avelli Chriſtiani non poterant, neque metus, aut ſuſpicio probabilis aderat, ne alium illius loco ſubſtituerent, colerentque. Ajunt vero, coli, atque adorari a ſe Chriſtum, & diligi Sanctos, quòd cultum, & adorationem (quod nuper dixi) in ea ſignificatione accipiunt, quæ ſupremum, Deoque uni adhibendum obſequium denotet: dilectionis vero vocabulo aut caritatem exprimunt, aut illud venerationis genus, (ſi tamen a caritate diſtinguitur) quod Sanctis deferimus: de quo argumento mox diſſeremus.

II. Quod de Smyrnenſis Eccleſiæ Chriſtianis dixi, hoc idem dicendum reor de Hieronymo, cujus duo illa celebratiſſima teſtimonia objecerunt. Ut id plenius aſſequaris, te ad diſſertationem ſubſequentem allego.

III. Sed graviora ejuſdem ſolutionis argumenta præbet hæreſis Collyridianorum. Etenim hi aliis quidem adhæſere erroribus, ſed huic etiam ſane non levi, quòd Mariam Deam quandam facerent, illique propterea Sacerdotes fœminas ſtatuerent, quæ panes ſeu placentas quaſdam ſtatis temporibus eidem offerrent. Conſulas volo quæ tradit Epiphanius hæreſi LIX., ſive LXXIX. At quis inter

ter Pontificios ſimile quidpiam effutiit?

IV. Malam porro, perditamque cauſam ſuam produnt adverſarii, quando reliquorum Patrum, ac præſertim Auguſtini teſtimonia producunt. An non dum Auguſtinus numero ſeptimo Sermonis ſexti in S. Stephanum, & rurſus ſive in libro xx contra Fauſtum Manichæum, ſive in libro *De vera religione*, vetat creaturam quamlibet adorari, de eo adorationis genere palam loquitur, quo ſupremum dominium agnoſcimus, ideoque Deo tantum deferri poteſt? Conſule loca ipſa objecta, & plane conſpicies, me vera loqui. Quis porro e noſtris illud genus cultus Sanctis adhibet, quod Deo adhibemus, ideſt genus illud, quo ſupremam cauſam, & bonorum omnium originem id, quod colimus, eſſe noſcimus, & teſtamur? Tamen Auguſtinus apertiſſime vocem hanc *colite*: *Deum Martyrum colite*: ad denotandum divinum cultum adhibet tum in ſermone recitato in Natali Sanctorum Martyrum Fructuoſi, Auguris, & Eulogii, tum in libro *De vera religione*, in quorum poſtremo etiam vocem *religio* in eadem ſignificatione ſumit. Quamquam ſi qua ineſſet dificultas in voce hac *religio*, ea commodius alibi diſſolvetur.

V. Atque ex his quidem, quæ procul dubio haud temere proponuntur, facile noſcis, quid ad Fulgentii, & Leonis Magni objecta teſtimonia ſit reponendum. Ea ſi diligentius expenderis, nihil intelliges aliud, niſi Deo tantum tribuendum eſſe ſummum illud obſequium, quo illum primarium rerum omnium & fontem, & dominum, & agnoſcimus, & teſtatum facimus. Forte ne id ii negant, qui ad cælites ſubſidii, & interceſſionis apud Deum, & Chriſtum obtinendæ cauſa confugiunt?

CAP. XV.

Illuſtrantur, explicanturque eæ Patrum ſententiæ, in quibus docemur, Sanctorum cultum in eorum imitatione, poſitum eſſe.

I. UT de reliquis, quæ in objectionibus poſita ſunt, diſputemus, illud nobis conſentaneo ordine quærendum eſt, num Patres, dum monent, colendos eſſe a nobis Sanctos *propter imitationem*, *ſeu imitatione*, cultumque iis adhibendum in *dilectione quadam* poſitum eſſe illius fere generis, quo homines adhuc viventes proſequi conſuevimus, aliud genus cultus, quod nunc approbent Pontificii, deferri vetuerint Sanctis, an non. Quod ad cultum attinet in imitatione ſitum, Auguſtinus, quem potiſſimum adverſus nos urgent, dum n. 108. libri, quem *De vera religione* inſcripſit, Chriſtianos prohibet, ne eorum religio cultus mortuorum ſit: *Non ſit vobis religio cultus hominum mortuorum:* dum monet, honorandos eſſe Sanctos propter imitationem, non adorandos propter religionem, voces has *religio*, & *adoro* ea ſumit ſignificatione, quæ ceteris preſſior eſt, denotatque cultum ſupremum Deo a nobis adhibendum propter illius ſummam erga nos bonitatem, & merita. Quem autem deſignare poteris inter Pontificios, qui hoc cultus genere Sanctos colat?

II. Dum vero generatim Patres docent, (crebra porro hujus modi monita occurrunt) vere tum coli a nobis Sanctos, quum eorum geſta imitamur, veriſſima tradunt, idemque ipſum Pontificii omnes edocent. Quis enim ignorat, nihil acceptius Sanctis eſſe, quam ſanctificationem noſtram, ideoque imitationem geſtorum illorum, quæ ad ſanctitatem illos evexerunt? Quum etiam tradunt, Sanctos tum tantum modo coli a nobis, quum eorum geſta imitamur, vera pariter tradunt: neque enim ex animo putantur ii Sanctos colere, qui id negligunt, quod potiſſimum amant, & a nobis efflagitant & Deus, & Sancti. Quis etenim aut fictam, aut ſaltem valde ſuſpectam eorum pietatem non arbitretur, qui dum inimicitias cum Deo fovent, Sanctis tamen Dei amicis, & famulis obſequium aliquod præſtant? Commodius alibi oſtendam, adeò id expoſcere Sanctos, ut

eorum preces ſæpe contemnant, qui dum eos deprecantur, criminibus adhuc ſe polluunt. Proderit autem ad hæc, aliaque affinia Patrum dicta illuſtranda, noſſe, Sacrarum Scripturarum, quarum ſtylum ſæpiſſime imitantur, conſectanturque iidem Patres, hanc eſſe conſuetudinem, ut ea deprimant, & veluti deſpiciant, & negent, quæ vel minori in pretio habenda; vel non ſola conſectanda eſſe indicant, ſed adjungendam eſse illis pœnitentiam, & enixiorem pietatem in Deum. Sic explicant Patres verba illa Chriſti: (a) *Quin immo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Quamquam enim his verbis beatitudinem ventri, & uberibus Virginis Mariæ adimere videtur Chriſtus, non tamen adimit; neque enim, ſi adimeret, potuiſſent eandem Virginem Mariam ex eo etiam commendare Patres, quod Chriſtum genuerit, ſinu foverit, & aluerit. Beatitudinem ergo minorem ex ventre, & uberibus proveniſſe Virgini docet Chriſtus, majoremque ex eo fuiſſe conſecutam, quod divinum Verbum audierit, & in corde ſuo cuſtodierit, quàm quod pepererit. En quæ proferat Venerabilis Beda ad nuper allegata Chriſti verba. *Pulchre Salvator atteſtationi mulieris annuit, non eam tantummodo, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes, qui idem Verbum ſpiritaliter auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia vel in ſuo, vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſeverans eſſe beatos. Quia & eadem Dei genitrix & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis, ſed inde multo beatior, quia ejuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna.* Sic pariter explicari videbis verſiculum trigeſimum capitis ſexti Proverbiorum. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit:* neque enim eo edocemur, levem culpam eſſe furtum, ſed tantum edocemur, minorem noxam ineſſe furto, quàm adulterio, de quo proxime antea locutus fuerat Salomon mox iterum de eo locuturus. Neque alius eſt ſenſus verſiculi decimi quarti capitis XIX. Proverbiorum. *Domus, & divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens:* id eſt, cum aliunde noverimus, cuncta a Deo nobis tribui, (idque apertiſſime etiam comprobent monita illa: (b) *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat*; Illa quoque, quæ referente Aggæo, (c) protulit Dominus: *meum eſt argentum, & meum eſt aurum &c.*) ex iis verbis comperies, majorem Dei providentiam in eo eſſe poſitam, quod mulie-

(a) Lucæ XI. 28.

(b) 1 Reg. 2. 7.

(c) 2. 9.

lierem prudentem tibi ſociam jungat, quàm quod fortunæ bonis te locupletem reddat: quippe in his multum ſinit habere locum naturales cauſas, nullum fere, ut prudentem uxorem invenias: hæc quippe peculiari quodam, ſingularique beneficio *a Domino præparatur*. Vide etiam, ſi vis, quæ ait Auguſtinus num. ſecundo tractatus 102. in Joannem (d) ad illa verba: *Uſque modo non poteſtis quidquam:* ſuo enim ſuffragio nuper tradita comprobat.

(d) n. 2.

III. Ut autem conſtet, me non temere dixiſſe, hanc etiam eſſe Scripturarum conſuetudinem, ut ea interdum deprimant, & veluti deſpiciant, negentque, quæ non ſola conſectari, ſed alia illis adjungi volunt, veluti pœnitentiam, & enixiorem amorem Dei, ſtatim affero quædam Scripturarum loca, quæ aliter explicare non poteris. Verſiculo decimo octavo pſalmi quinquageſimi ſic Dominum affatur David. *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*: id eſt non ſolis delectaberis holocauſtis, ſed tum delectaberis, quum iis adjungetur ſpiritus contribulatus, & cor humiliatum. Similiter verſiculo tertio capitis ſecundi Malachiæ hæc Dominum dixiſſe novimus. *Ecce ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum &c.* id eſt quoniam legi meæ non obtemperatis, ſeu, niſi legi meæ obtemperaveritis, *Ecce ego projiciam &c.* id enim apertiſſime conſtat ex verſiculo ſecundo proxime præcedente, qui in vulgata noſtra ſic exprimitur. *Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: quoniam non poſuiſtis ſuper cor.* His ea adjunge, quæ adnotant Patres, & interpretes, atque inter hos præſertim viri egregii Cornelius a Lapide, & Auguſtinus Calmet in verſiculum undecimum, & ſubſequentes capitis primi Iſaiæ. Quoniam ergo, ut ad rem noſtram deducam quæ tradidimus, multo potior cultus Sanctis adhibiti portio in imitandis eorum geſtis, virtutibuſque ſita eſt, quàm in præſtando iis exteriori aliquo honoris, atque obſequii argumento, illam extollunt maxime, commendantque, hanc deprimere videntur, & deſpicere. Quia etiam nec Deus, nec Sancti ipſi gratas admodum habent preces noſtras, niſi nos Chriſti, & Sanctorum exempla imitari ſtudeamus:

mus: rectiſſime a veteribus Patribus dictum eſt, parum juvari nos poſſe ab iis precibus, quas hujus modi imitatio, & certa pietas non comitetur.

IV. Libet autem ad pleniorem hujuſce difficultatis ſolutionem, ea hic deſcribere, quæ vir ſumma laude dignus Petrus Caniſius hoc de argumento protulit: quæ quidem verba, tam & ſi multa, recenſere tamen volo, ut pote non minus elegantia, quàm robuſta, & ad retundendos adverſariorum impetus aptiſſima. (*e*) „ Nos vero in depellendis „ adverſariorum argumentis finem faciemus, ſi vanum „ & illud commentum rejecerimus, quod nobis objectare „ ſolent, Mariam imitatione morum, & exemplo vitæ „ honorari oportere, ac idcirco factam ab Angelo ſalutationem, „ quæ ad laudationem, non ad imitationem „ faciat, fruſtra nobis repeti, & uſurpari. Hinc dictus „ ille Stephanus (de Maleſcot) (*f*) audet dicere, Mariam „ imitatione morum & vitæ duntaxat honorandam eſſe. „ Equidem non negamus, quin & libenter fatemur, „ Mariam una cum Sanctis aliis in exemplum nobis proponi: „ ut quorum triumphos, & æternam gloriam ſuſpicimus, „ præclara etiam facinora imitando exprimamus, „ eoſque duces ad felicitatem præeuntes eadem „ velut via ſequamur. Ex his ducibus erat, qui cæteros „ Chriſti milites fidenter exhortans, ac velut ſignum erigens, „ dicebat: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego „ Chriſti. Quem ſanctæ imitationis cultum, ut Maria „ rite a mortalibus honoretur, non modo ſemper laudabilem, „ ſed & inprimis neceſſarium eſſe pronunciamus, „ ne quis fortaſſe ſola Virginis veneratione, vel invocatione „ contentus, corrigendæ vitæ curam abjiciat, & „ contra Mariæ morem & exemplum a præſcripta divinæ „ legis norma, quæ Chriſti, & Sanctorum imitatores „ exigit, pudendo ſtudio ſe ſe ſubducat. Præpoſterum „ enim & fruſtraneum prorſus in colendis Sanctis „ eſt ſtudium, ubi de ſectandis illorum veſtigiis & exemplis „ nulla, vel exigua cura ſuſcipitur, quemadmodum „ (*g*) Auguſtinus, & (*h*) Chryſoſtomus prudenter „ admonuerunt.

V. „ Viciſſim autem & illud teſtamur, qui cultus & „ honos Mariæ, Sanctiſque debetur, non ſola imitatione „ conſtare ac perfici, ſicut ſuo quidem exemplo Eccleſia „ tot ſeculis in Sanctis, eorumque feriis celebrandis „ luculenter oſtendit. Sanctorum enim memoriam celebrat

(*e*) de Corruptelis Verbi Dei to. 2. li. 3. cap. 11. pag. 406.

(*f*) In ſua Catecheſi.

(*g*) Serm. 1. & 22. de Martyribus.

(*h*) homil. 42. in c. 4. 2 epiſt. ad Cor.

„ brat, & inde ab initio celebravit, non ſolum ad excitandam in nobis imitationem, verum etiam ut meritis ipſorum conſociemur, atque orationibus adjuvemur, quemadmodum (*i*) Auguſtinus, (k) Iſidorus, (*l*) Rabanus perſpicue docent, ac poſt (*m*) Origenem (*n*) Bernardus quoque confirmat. Hinc illæ ſolemnes, antiquæ, probatæ, quæ adhuc durant in Eccleſia, loquendi formulæ Deum ita precari docent: Ut quorum natalitia colimus, per eorum ad te exempla gradiamur: Ut quos veneramur obſequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium: Ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Præſta nobis ex eorum imitatione proficere, & oratione fulciri, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. A quo Latinorum uſu non diſſident Græci, quemadmodum eorum non modo preces quotidianæ ſacris e Patribus collectæ, ſed etiam Liturgiæ tot ſæculis recitatæ commoſtrant.

(*i*) lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. & lib. 8. *De Civit. Dei* cap. 27.

(*k*) lib. 1. de offic. Eccleſ. cap. 34.

(*l*) lib. 2. de inſtit. cleric. cap. 43.

(*m*) Hom. 3. in diverſos.

(*n*) Sermo in Vigilia Petri, & Pauli Apoſtolorum.

CAP. XVI.

Ea quoque Patrum loca illuſtrantur, in quibus traditur, adhibendum Sanctis cultum in dilectione quadam ſitum eſſe.

I. SEd tempus eſt, difficultatem alteram aggredi ex eo deſumptam, quod Sanctos mortuos ſe colere teſtentur Auguſtinus, & reliqui antiqui Patres *eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti homines Dei*. At nos quoque id teſtamur. Quis enim in dubium vertet, num a nobis quoque colantur Sancti mortui eodem cultus genere, quo viventes colimus, *ſed mortuos tanto devotius, quanto ſecurius poſt incerta omnia ſuperata?* Nonne eos diligimus tum amore, quem appellare conſuevimus *concupiſcentiæ*, & quo illos ob noſtrum emolumentum amamus, ut nos ſcilicet juvent, & tueantur: tum eo amore, quem vocamus *puræ caritatis*, quo eos diligimus ob merita egregia, ob ſanctitatem, ob pietatem, & excellentiam eorum? *Societatis* vero dilectione eos etiam amamus, quia eos ad eandem Eccleſiam ſpectare dicimus, cum eodem Capite unum Corpus efficere, atque in noſtra ipſa communione eſſe: qua de re vide, quæ alibi diſſeruimus. (*) Tanto vero devotius illos amamus, & honoramus, quanto certius novimus, a noſtris laudibus

(*) diſſert. 3. cap. 20.

bus eos ambitioſe, & inaniter non extolli, & tutior eſt dilectio noſtra: tutior, inquam, tum quia tutiores, potentioreſque defenſores in iis habemus, tum etiam quia, dum eos amamus, nihil terrenum, & pollutum in iis amamus; Sanctitatem enim, & excellentiam ſupernaturalem tantum in iis amamus. Hoc ipſo modo (ſed multo cautius propter pericula, quæ merito formidamus) viventes Sanctos amamus. Eos ſcilicet honoramus, commendamuſque propter dona divina in iis exſtantia; iis nos, noſtraque commendamus; eorum merita, & excellentiam ſupernaturalem diligimus, & celebramus. Si aliud addideris, quod ad hæc revocari non poſſit, videbis ſane, id ab Eccleſia non recipi.

II. Nolo vero putes, Auguſtinum, dum dilectionem tantummodo, & honorem Sanctis adhibitum memorat, cultum amovere. Etenim cultum a Deo procul dubio non arcet, & tamen hunc ipſum cultum in dilectione tantum aut collocat, aut certe collocare videtur. En verba ipſa Auguſtini. (e) *Quid autem eſt pietas, niſi Dei cultus? & unde ille colitur, niſi caritate?* Etiam in libro 12. de Trinitate: (f) *Et quis cultus ejus, niſi amor ejus, quo nunc deſideramus eum videre? &c.* Et rurſus alibi: (g) *Qui timetis Dominum, laudate eum. Quis autem veraciter laudat, niſi qui ſinceriter amat? tantumdem ergo eſt, ac ſi diceret: qui timetis Dominum, amate eum.... Porro pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille, niſi amando.*

(e) in epiſt. olim 29. nunc 167. cap. 3. alias n. 11.

(f) cap. 14, alias n. 22.

(g) in epiſt. olim 120. nunc 140. cap. 18. alias n. 45.

III. Novi enim vero, Proteſtantes nos reprehendere, quod cereos accendimus coram mortuis, id vero coram viventibus minime facimus: quod ante aras, in quibus condita ſunt Sanctorum cadavera, provolvimur; id vero viventibus non præſtamus: aliaque plura mortuis honoris, venerationiſque argumenta adhibemus; quæ viventibus omnino non deferimus. At his ſic occurrite. Poſſemus hæc, aliaque affinia honoris argumenta viventibus deferre, immo interdum delata conſpicies: vidi enim ego, & vos, ut arbitror, interdum vidiſtis provolutos ante proborum hominum pedes ſupplices quoſdam. Diſcimus quoque ex Theodoreto, (h) Chryſoſtomo ab exilio revocato occurriſſe *univerſos cereas faces præferentes*. At fere cavemus (& recte cavemus) ab hujus modi eximiis honoris argumentis, tum quia, ſi vere ſunt probi ii, quos honoramus, humiles etiam erunt: non patitur vero humilitas ſe multum honorari, eo præſertim honoris ge-

(h) lib. 5. hiſtoriæ cap. 34. editionis Valeſii, & Chriſtophorſoni.

nere, quod eximiam ſanctitatem indicat; tum etiam quia non leve erroris periculum eſſe poſſet in Sanctorum viventium cultu: quod ut evitet, in mortuis ipſis diligentiam plurimam adhibere conſuevit Eccleſia, ab illius (ſi de recentioribus Sanctis ſaltem loquimur) cultu abſtinens, cujus Sanctitatem vel per miracula teſtatam non faciat Deus. Ceterum aliam etiam ob cauſam cereos coram viventibus non accendimus, quia ſcilicet alia quidem multa, ſed certe etiam ardentiſſimam, & inextinguibilem caritatem eorum cereorum accenſione ſignificamus. At unde nam noſcimus, ardentiſſimam eſſe, & inextinguibilem viventis alicujus caritatem? *Neſcit homo, utrum odio, an amore dignus ſit*, (*) ideoque, num certo in ſe habeat caritatem. Unde nam ergo alii noſcent? At neque in his, neque in affinibus aliis argumentis ſita eſt præſtantior portio honoris, quem Sanctis adhibemus, ſed ſita multo magis eſt in ſpe, ac firma perſuaſione, qua arbitramur, nos eorum precibus, & interventu recepturos a Deo beneficia. Porro hæc non a mortuis tantum nos conſecuturos ſperamus, verum etiam a viventibus, quorum propterea preces, & ſuffragationem apud Deum expoſcimus. Sed multo enixius a mortuis, a quibus tanto devotius, ac ſecurius id expoſcimus, quanto ſecuriores ii ſunt poſt incerta omnia, & in vita feliciore victores, quàm ſint in iſta adhuc pugnantes.

(*) Eccle. 9. 1.

CAP.

CAP. XVII.

Expenduntur ea Patrum loca, in quibus ſervi, & conſervi noſtri dicuntur Sancti: eorumque confutatur opinio, qui ex iiſdem locis eruunt, Sanctos a nobis coli non poſſe.

I. NUnc quoniam reſpondimus prioribus adverſariorum objectionibus, reliquas non prætereamus: atque in primis diſſolvendum eſt illud, quod ex *ſervorum, conſervorumque* appellatione tributa Sanctis eruunt: putant quippe, petitum ex eadem appellatione argumentum magnam omnino vim habere. At ſi hoc ipſum diligenter expendes, liquido apparebit, eam, quam tu arbitrabaris, vim revera non habere. Etenim non ea tantum, quæ obiecerunt adverſarii, Scripturarum, & Patrum loca ſolerti Theologo occurrunt, verum occurrent etiam alia apertiſſima, quæ ſi relegamus, talia profecto agnoſces, ut non expreſſiora ad refellendos eoſdem adverſarios, Sanctorumque dignitatem, atque excellentiam aſſeverandam afferri poſſint. Age itaque, ex iis aliqua producamus, & quoniam Apocalypſim objecerunt, ex Apocalypſi nos quoque ſummam Sanctorum præſtantiam ac dignitatem adſtruamus. Verſiculo primo & vigeſimo capitis tertii hæc lego. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Porro quis celſiorem thronum optare eo poterit, qui his verbis deſcribitur, & in quo cum Chriſto ſeſſuros Sanctos intelligimus? Verſiculo etiam quarto capitis quarti ejuſdem libri Apocalypſis mentio ſit ſedilium, ſeu thronorum viginti quatuor, in quibus viginti quatuor ſeniores *circum amicti veſtimentis albis ſedeant*, aureo diademate coronati. Quis etiam deſpiciet thronos duodecim, in quibus ſcimus judicaturos Apoſtolos, immo ſi Bedæ credimus, (*a*) eos omnes, qui Apoſtolos in mundanis rebus derelinquendis fuerint imitati? Quis non plurimi æſtimet Chriſti menſam, in qua bibent, comedentque Apoſtoli, ideoque quicunque Apoſtolorum exempla ſecuti *in tentationibus fortes, & Chriſto fideles fuerint*, aliaſque hujus generis ſimilitudines, & parabolas, quibus certi efficimur, ſummo in honore, ac gloria futuros Sanctos? Sane tanti eorum dignitatem veteres magiſtri noſtri fecerunt, ut eos

(*a*) homilia in natali S. Benedicti.

dominos, ſeque *mancipia*, & *ſervos* veriti non ſint appellare. Felicem ſuum *Dominædium*, id eſt dominum, ſeu patronum ædium Paulinus non raro nuncupat, veluti n. 15. epiſtolæ v. aliiſque in locis, quæ recenſet doctiſſimus Roſveydus ad locum hunc. (*b*) Rurſus Domini titulo eundem Felicem apertiſſime invocat, ſeque, & cives ſuos *ſervos* appellat verſiculo undecimo Natalis primi hæc effatus:

(*b*) adnotat. 17. in Paulini Nolani Opera.

O pater, o Domine, indignis licet, annue ſervis &c.

Vide etiam opto, quæ ex eodem Paulino allegavi, quum de interceſſione diſſerui. Sed non prætereas, quæ idem Paulinus numero 13. illius ad Severum epiſtolæ, quæ olim XII. in Veronenſi editione ſecunda & trigeſima eſt, his verbis ait: *Proſpectus vero Baſilicæ non, ut uſitatior mos eſt, orientem ſpectat, ſed ad domini mei beati Felicis Baſilicam pertinet.*

II. Sed quis prætereat auctoritatem Evodii, (ſi appellare Evodium vis eum, cui debemus duos illos libros, qui de miraculis S. Stephani inſcribuntur) (*c*) quando quidem is manifeſto *Dominum* appellat S. Stephanum? *Atque ut ad domini amici ſui Stephani ſuffragium accurreret, inſpiravit.* (*d*) Et mox hæc de Vitula proba muliere tradit: (*e*) *Inclamabat ergo Vitula mater auribus amici Dei, domine Stephane &c.*

(*c*) Extant in appendice tom. 7. S. Auguſtini.

(*d*) lib. 2. cap. 2. n. 2.

(*e*) ibid. n. 5.

III. Gregorius vero Turonicus, ſeu potius eo referente (*f*) Beatus Salvius hæc in eundem ſenſum eloquitur. *Ibi etiam me peccatorem humiliter ſalutabant viri in veſte ſacerdotali, ac ſeculari, quos mihi, qui præcedebant, enarraverunt eſſe Martyres, ac Confeſſores, quos hic ſummo excolimus famulatu.* Similia tradit capite primo, & quarto libri ſecundi *Miraculorum S. Martini.*

(*f*) lib. 7. hiſtoriæ Francorum ca. 1.

IV. At hæc omnia, quæ multorum quidem ſententiam præivit Auguſtinus, dum obſequium Sanctis Martyribus in eorum feſtivitatibus adhibitum *ſervitutem* appellare videtur, enarrationem in Pſalmum LXIII. ſic exorſus: *Paſſionis Sanctorum Martyrum diem hodie feſtum habentes, in eorum recordatione gaudeamus .... Hunc itaque Pſalmum pro ipſa ſolemnitate curramus. Heſterno enim die multa audivit caritas veſtra, nec hodie tamen huic feſtivitati negare potuimus noſtram ſervitutem:* hæc, inquam omnia non eo dixerim, quo negare velim Dei ſervos, noſtroſque conſervos Sanctos eſſe. Dei ſervos eſſe fateor, noſtroſque conſervos, neminemque inter Catholicos reperies, qui in dubium

id

id vertat. Nonne Deo, & Chriſto *ſoli dominatori* ſervimus omnes ? Sed propterea hæc dixi, ut noveris, eam ſervitutem, quam Deo Sancti adhibent, illius eſſe generis, quod Regi ſummo præſtant ſervi illi, quos in ſuam amicitiam, contubernium, & familiaritatem idem Rex adſcivit: quippe amicos, & familiares ſuos Apoſtolos, & niſi fallimur, Apoſtolorum etiam imitatores dicere non puduit Chriſtum, (8) qui, ut verbis D. Leonis utar, quæ *ſunt poteſtate propria*, *Sanctis fecit participatione communia* (9). Finge itaque animo aulicum Principis ſervum, ſubditumque, illi tamen acceptiſſimum, ideoque muneribus multis, & honorum gradibus ornatum. Eum ſane tu, qui ejuſdem Principis ſervus, ac ſubditus es, ſed multo minus acceptus, forte etiam ob crimina exoſus, coles, honorabiſque, neque te illi exæquabis, tam & ſi ſubditum, ſervumque ejuſdem Principis agnoſcas. Honorum ſcilicet, quos obtinet gradus, munera, & merita apud Principem, aulicum illum, tam & ſi conſervum, te tamen valde elatiorem reddunt, ideoque obſequiis tuis, ac demiſſione dignum. Prætereo teſtimonium Apocalypſis poſtremo objectum illi enim capite x. conveniens ſolutio adhibita eſt.

CAP.

(8) Jam non dicam vos ſervos . . . . . Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Joan. xv. 14. & 15.

(9) Sermone 2. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli cap. 2. Evodius etiam mox citandus, aliique Patres amicos Dei apertiſſime appellant Sanctos.

CAP. XVIII.

Oſtenditur, haud opportunam eorum eſſe evaſionem, qui faſſi, in Patrum libris reperiri certa argumenta cultus adhibiti Sanctis, relativum tantummodo eundem eſſe ajunt, Deo ſcilicet delatum in Sanctis, veluti in inſtrumentis, & miniſtris. Indicantur etiam loca, in quibus poſtremo loco objectis difficultatibus fiat ſatis.

I. NIhil in ſcriptis minus procacium adverſariorum ſæpius repetitum videas, quàm iſtud: reperiri fortaſſe in veterum libris non levia argumenta cultus Sanctis adhibiti: at hæc ipſa, quæcunque ea ſint, ad Deum dirigi, quem honoramus in Sanctis: hinc iſtis non deferri honorem, quem minus cauti illis deferri putant, ſed Deo adhiberi, ad quem revera fertur: ideoque illaudabiliter prædicari a Catholicis, cultos fuiſſe a veteribus Sanctos, quando quidem veteres non Sanctos ipſos, ſed in Sanctis Deum colebant, adorabantque.

II. Hoc tamen, ut libere loquar, tam frequens, quàm ineptum effugium eorum eſt, qui auctoritatis illius, quam antiqui Patres merito habent, nondum prorſus excuſſerunt jugum, Patreſque veteres ſe venerari profeſſi, Pontificiorum tamen dogmata averſantur. Ecquis eſt in Eccleſiaſticorum ſcriptorum lectione aliquantum verſatus, qui neſciat, ſæpe invocatos fuiſſe Sanctos ipſos a Patribus? Quis ignorat, ſæpe tradi a vetuſtis magiſtris noſtris, Sanctos in eorum imaginibus, & reliquiis coli, ideoque cultum ad eoſdem Sanctos referri? Quem latet, edoceri nos ſæpe, venerationem adhibendam eſſe Sanctis, ut ipſi nos adjuvent, aliaque hujus generis ſexcenta in priſcorum Patrum ſcriptis contineri, ex quibus liquido appareat, Sanctos ipſos re vera coli? Quamquam vero ſæpe tradiderunt iidem Patres, ad Deum denique referri delatum Sanctis cultum, non propterea negant, ipſis quoque immediate deferri. Immo non raro indicant, ejuſdem fere modi eſſe cultum delatum Sanctis, atque eum, qui defertur amico, & ſervo Regi acceptiſſimo: quippe tam & ſi Rex gratum habeat obſequium, quod ſervo, & amico ejus defers, ſeque honorari putet, dum ille honoratur; non propterea putat,

ſe tantum honorari; immo vult, cenſetque, ipſum illum amicum ſuum, ſervumque honorari, dum illi obſequia, aliaque honorificentiæ argumenta præſtantur.

II. Multum porro errant ii, qui arbitrantur, perinde coli in Sanctis Deum, ac colatur in inſtrumentis quibuſdam inanimis, veluti in templi vaſis, in candelabris, aliiſque hujus generis. Hæc quidem, ut pote animi, ac ſenſus expertia, coli ipſa non poſſunt. Contra Sancti non modo ſenſus compotes, verum etiam meritorum pleniſſimi ſunt, Deoque accepti, ideoque cultum merentur, immo, ut ita loquar, efflagitant, exquiruntque a nobis? Sed de hoc argumento accuratius alibi diſſeremus. Interim quaſi in anteceſſum hoc diximus, ne imparatos vos adinveniat, ſi forte in diſputando occurrat paritas illa, quam objecerunt, & in qua vires ſummas ineſſe putant.

III. Poſtrema difficultas, quæ deſumitur ex iis Patrum locis, in quibus edocemur, nulla templa, aut delubra, nullaſque aras, & imagines in uſu fuiſſe apud veteres Chriſtianos, ideoque nihil eorum, quibus peragitur cultus ille, quem Pontificii Sanctis adhibent, quoniam plurimam operam expoſcit, commodiorem in locum differtur, id eſt ad poſtremas hujus tractatus diſſertationes, in quibus copioſe admodum de his diſputabitur.

CAP. XIX.

Ea proferuntur argumenta, quibus pium, Deoque acceptum probatur eſſe cultum Sanctis adhibitum.

I. SI quod haſtenus dictum eſt, firmis concluſimus argumentis, ab antiquis ſcilicet Patribus probatum eſſe cultum Sanctis adhibitum, nemo prudens in dubium vertere poterit, num pius, Deoque acceptus ſit hujus modi cultus, quando quidem doctiſſimi illi, ſanctiſſimique viri, quos allegavimus, & quos adverſarii ipſi noſtri jure, meritoque ſæpe collaudant, minime probaſſent, niſi pium, Deoque acceptum agnoviſſent. Non itaque recte agunt, qui faſſi antiquiſſimum eſſe, & jam dudum ab Eccleſia, & a Patribus approbatum, improbum tamen eſſe ajunt ritum hunc, & a nobis omnino exquirunt, ut peculiaribus probationibus probum eſſe oſtendamus. Agite tamen, & quoniam cum adverſariis noſtris humaniſſime in ſuperioribus diſputationibus egimus, humaniſſime hic etiam agamus, & ea ſtatim producamus argumenta, quibus pium eſſe, Deoque acceptum cultum, qui Sanctis adhibeatur, agnoſcas.

II. Porro ad duo capita probationes omnes revoco; id eſt ad voluntatem Dei, & ad Sanctorum ipſorum excellentiam, ac merita. At voluntatem Dei dum nomino, eam nomino, quam Theologi voluntatem *ſigni* appellant, id eſt eam, qua ſibi aliquid acceptum, gratumque eſſe manifeſtis argumentis Deus ipſe declarat. Porro non obſcure oſtendit ille, cupere ſe Sanctis honorem, cultumque deferri, dum beneficia tam copioſe, tam prompte elargitur colentibus Sanctos.

Quod quiſque ſupplex poſtulat,
Fert impetratum proſpere.
Poſcunt licenter, (*a*) indicant,
Et triſtis haud ullus redit,

inquit Prudentius. (*b*) Eventu ſcilicet, ubertate beneficiorum, & facilitate ad ea obtinenda, quæ per Sanctorum interventum poſcimus, comprobavit Deus, quantum apud ſe virium habeat eorum advocatio, ideoque acceptiſſimam illi eſſe Sanctis adhibitam venerationem, quæ, ut alibi fuſe videbimus, hujus modi advocationem obtinet.

(*a*) legunt alii *litantur*, alii *locantur*.

(*b*) Hymno ſecundo *de coronis* v. 565.

III. Adeo

III. Adeo vero eundem cultum approbavit Deus, ut eam ob rem miracula ſæpe ediderit. Multa ad id comprobandum deinceps adducam, præſertim quum de Reliquiarum cultu differam. Nunc quaſi in anteceſſum Chryſoſtomum proferam, qui ſcilicet numero ipſo primo *laudationis Martyrum Ægyptiorum*, Frontone Ducæo interprete, hoc de argumento ita loquitur. (*) „ Nonne eam (occaſionem) quæ largitur viros, qui urbibus, quæ illis obvenerint, poſt obitum etiam præſtant ſecuritatem, præ omnibus æquum eſt hac honoris prerogativa donari? Sanctorum enim horum corpora quovis adamantino, & inexpugnabili muro tutius nobis urbem muniunt, & tanquam excelſi quidam ſcopuli undique prominentes, non horum, qui ſub ſenſus cadunt, & oculis cernuntur, hoſtium impetus propulſant tantum, ſed etiam inviſibilium Dæmonum inſidias, omneſque diaboli fraudes ſubvertunt, ac diſſipant, non minus facile, quàm ſi fortis vir aliquis ludrica puerorum ſubverteret, ac proſterneret. Huc etiam ſpectant, quæ ex Evodio mox afferemus.

(*) To. 2. pag. 699.

IV. Quis vero dubitet, num merito Deo acceptus is ritus ſit, quando quidem in iis honoribus atque obſequiis, quæ Sanctis deferimus, Dei, & Chriſti poteſtas, atque excellentia ſe prodit? Eos enim propterea honoramus, quia Dei amici, & ſervi, & Chriſti diſcipuli ſunt. Id porro Dei, ac Chriſti honori procul dubio vertitur. Id innuit idem Chryſoſtomus (c) hæc elocutus. „ *Locus autem, qui corpus illud* (Chriſti) *occiſum recepit, licet admodum parvus, & anguſtus, innumeris Regum aulis venerabilior, ipſiſque Regibus pretioſior. Et erit requies ejus honor. Quodque mirabile dictu eſt, id non ipſi tantum, ſed etiam diſcipulis ejus contigit: nam qui vi ducebantur, & circumagebantur, contempti, vincti, innumeris malis affecti, poſt mortem ipſis Regibus honorabiliores ſunt. Id quo modo fiat, perpende. In regia urbe Roma, miſſis aliis omnibus, ad ſepulcra Piſcatoris, & tentoriorum opificis accurrunt Imperatores, Conſules, exercituum Duces: Conſtantinopoli vero, non prope Apoſtolos, ſed foris ad ipſa limina, optaverunt ii, qui diademate redimiuntur, corpora ſua ſepeliri: atque ita Imperatores piſcatorum oſtiarii facti ſunt &c.* Eadem fere tradit in homilia 26. in epiſtolam II. ad Corinthios, quam alibi producemus.

(c) in lib. contra Judæos, & Gentiles *quod Chriſtus ſit Deus* n. 9. tom. 1. pag. 570.

V. Hujus autem divinæ voluntatis cauſas (ſi loqui ita poſſumus) aliquot indicabimus, cum de utilitate cul-

tus Sanctis delati diſſeremus.

Ad hæc ſi quis adverterit animum, minime, ut puto, mirabitur, traditum fuiſſe a veteribus, Deum ipſum ad invocandos, ideoque ad colendos Sanctos hortatu quodam atque inſpiratione permoviſſe Chriſtianos. Hoc modo ſive Evodius, ſive alius, quiſquis is ſit, cui tribuimus duos illos libros de miraculis Sancti Stephani, qui præpoſito Evodii nomine prodierunt: (d) ,, Proinde (inquit) illis memoratis perſonis ,, diu in talibus fruſtra laborantibus, & non corpore, ,, ſed corde dormitantibus, ecce Deus ille magiſter, qui ,, non dormit, neque dormitat, qui cuſtodit Iſrael; ipſe ,, Deus, inquam, cui cura eſt pro omnibus, religioſam ,, Vitulam Megetiæ matrem fideli calore ſuccendit, at- ,, que ut ad domini *amici* ſui Stephani ſuffragium accurreret, ,, inſpiravit. Quam, ubi benedicta fœmina in ſacratarum reliquiarum loco de Carthaginenſi urbe ad Uza- ,, lenſem profecta eſt, miſericordiſſimus Dominus, & mi- ,, ſerator excepit, exaudivit, atque de filia compotem ,, fecit, ac de diabolo adverſario ſuperato victricem ,, triumphare permiſit.

(d) lib. 1. cap. 1. in ipſo initio numeri ſecundi.

VI. Aliam pietatis hujuſce cultus originem retuli in Sanctorum ipſorum excellentiam, & merita. Et ſane ſi Sanctis, dum vivunt, honorem non levem deferimus, & tanto majorem, quanto certiora habemus eorum Sanctitatis indicia: cur Sanctos mortali vita functos non honorabimus, cum certiſſima habeamus eorum Sanctitatis argumenta? Sicut autem excellentia, cujuſcumque generis ea ſit, convenientem honorem meretur, ita convenientem ſibi honorem promerebitur Sanctorum mortali vita functorum excellentia; ideoque ſacros honores expoſcet, quoniam ſacra, nempe a Deo veluti auctore gratiæ proveniens, & ſupernaturalis eorum eſt excellentia. Id porro ſi dederis, ſacros honores merito a nobis tribui Sanctis agnoſces, ideoque convenientem, & pium eſſe fateberis cultum, qui illis defertur.

CAP-

CAP. XX.

Afferuntur quædam adverſariorum argumenta, quibus a pietate alienum comprobare ſtudent cultum Sanctis adhibitum, iiſque occurrimus.

I. EXpoſitam antecedenti capite de pietate in Sanctorum cultu inhærente doctrinam ut refutent, multa ex iis objiciunt, quæ quoniam & protulimus alibi, & repulimus, minime in hoc loco repetam, eaque tantum modo recenſebo, quæ nondum expoſui. Hæc vero ipſa, quæ referam, vel eo ſpectant, ut probationes noſtras diſſolvant, enerventque, vel ut quædam argumenta adverſus Catholicum dogma proponant, quæ illud directe oppugnent. A primis exordior. Quis putet (inquiunt adverſarii) velle Deum coli Sanctos, poſtquam invictis argumentis oſtenſum eſt, injurioſum eſſe Deo cultum eum, qui Sanctis adhibeatur? Leve autem id eſt, quod ex miraculis, & beneficiis receptis petitur. Nonne Ethnici etiam ad inanes Deos ſuos colendos moveri ſe ajebant a miraculis, & beneficiis, quæ ab iiſdem Diis reciperentur? Id tamen a vero alieniſſimum fuiſſe novimus; & vel dæmonum præſtigiæ, vel Sacerdotum fraudes ea miracula erant. Naturæ autem, aut potius Deo, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*, (*) *miſereturque figmenti noſtri*, (*) debebant miſeri ſupplices ea beneficia, quæ ſe a Diis recipere arbitrabantur. At fac, ſi vis, vera miracula edi per Sanctos, eorumque imagines, aut reliquias. Ergo ne eorum cultum approbat Deus? Minime vero. Sed propterea illa edit, quia Chriſtianæ religioni comprobandæ, propagandæque ea inſerviunt. Id apertiſſime indicat Auguſtinus tum ſæpe alibi, tum apertiſſime in eo, quem ſæpe citavimus, libro *De cura pro mortuis gerenda*, verbis illis: (a) *Quoniam hoc novit* (Deus) *expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti, pro cujus illi confeſſione ſunt paſſi*. Quæ ex Chryſoſtomo allata ſunt, eloquentiam ejus, & rhetoris, quam profeſſus jam dudum erat, artem oſtendunt. At paucos hac in re habebit, qui illi adhæreant. Quis enim honori magiſtro vertet, ſi diſcipulos æque, immo forte magis honoremus, quàm magiſtrum ipſum? Aut quis laudi tribuet Chriſti, ſi illi aut prætulerimus, aut æquaveri-

(*) Matth. 5. 45.
(*) Pſal. 102. 14.
(a) cap. 16. alias n. 10.

mus.Martyres? Porro eo perveniunt, qui effuſiſſime (quod Pontificii ſolent) Martyres colunt. Hæc adverſarii.

II. Atqui plurimum in iſtis hallucinantur. Minime injurioſum Deo oſtendimus cultum delatum Sanctis, neque hic eadem repetere neceſſe eſt. Ethnicos fateor ſive a dæmonibus ſe Deos dicentibus, ſive ab eorum Sacerdotibus deceptos fuiſſe aliquando: interdum etiam naturæ viribus convaluiſſe, dum ipſi interea Diis ſuis acceptam referebant ſanitatem. At non decipi doctiores ſaltem, accuratioreſque inter Pontificios, dum miracula quandoque obtineri per Sanctos ajunt, res ipſa oſtendit, & probabile jam pridem effecit Patrum auctoritas, quorum teſtimonia ſi ſingula referam, in immenſum excreſcet diſputatio. Ad Auguſtinum tantum te allego, rogoque, ut ea legas, quæ tradit ſanctus Doctor capite VIII. IX. & X. libri XXII. *De Civitate*, neque, ut puto, aliud exquires, ut certo perſuadearis, Sanctorum interceſſione multa edita fuiſſe miracula. Neque vero cuncta miracula edi, aut inſigniora beneficia Sanctorum ope nobis tribui ita vult Deus, ut fidei noſtræ comprobandæ tantum modo inſerviant, verum etiam propterea edi vult, ut inſerviant ad commendanda ipſa Sanctorum merita, teſtificandumque amorem, quo, illos proſequitur. Pauca in rem hanc affero teſtimonia Patrum, quoniam neceſſe non arbitror, ut plurima allegem. Sane ſcriptor Actorum Sanctorum Epipodii, & Alexandri, virtutes plurimas (ideſt miracula plurima) ad locum, ubi ſepulti hi fuerant, propterea factas ait, ut his proderetur, quantum iidem Sancti interceſſione ſua apud Deum poſſent. *Virtutes plurimæ, quæ Sanctorum potentiam prodiderunt* (b).

(b) n. 12. pag. 67.

Quanto etiam in pretio a nobis vellet Deus Sanctos mortuos, eorumque reliquias haberi, mihi detegere viſus ſum in verbis illis Actorum S. Vincentii Levitæ: (c) *Sed illos Daciani fortiſſimos remiges, Dei manu gubernante, beati martyris corpus prævenerat, & quod altioris ſali credebatur profundo teneri, jam ad portum ſibi venerat quieſcendi; ante quodam modo honorem reperiens ſepulturæ, quàm nuntiari potuiſſet expoſitum: ut divinis clareſcentibus miraculis, Chriſti miles poſt mortem quoque oſtenderetur invictus, quem nec ſupplicia vincere, nec maria quiverant abſorbere.* Quam ipſam ſententiam Auguſtinus haud dubie exprimit, dum de eodem S. Vincentio ſermonem habens hæc ait: (d) „ Magnum autem Dominus teſtimonium præbet teſtibus ſuis, „ cum ille, qui rexit corda certantium, nec corpora de-

(c) n. 11. pag. 329.

(d) n. 3. ſermonis in ſerie 275. alias IX. inter editos a Pariſienſibus.

„ ſe-

„ ſerit mortuorum, veluti de hujus ipſius Beati Vincentii
„ corpore præclariſſimum miraculum exhibuit; ut id,
„ quod inimicus omnino non apparere cupierat, ſatege-
„ rat, fecerat, tam præſenti nutu divino proderetur, &
„ religioſius humandum, venerandumque demonſtraretur,
„ ut victricis pietatis, & devictæ impietatis præclara in
„ eo memoria perduraret. Vere *pretioſa in conſpectu Do-*
„ *mini mors Sanctorum ejus*: quando nec terra carnis vita
„ deſerente contemnitur, & inviſibili anima de domo
„ viſibili diſcedente, habitaculum ſervi cura Domini cu-
„ ſtoditur, & in gloriam Domini a conſervis fidelibus ho-
„ noratur. Quid enim agit Deus, mira opera faciendo
„ circa Sanctorum corpora defunctorum, niſi teſtimonium
„ perhibet, ſibi non perire, quod moritur, & ut hinc in-
„ telligatur, in quali honore ſecum habeat animas occi-
„ ſorum, quando caro exanimis tanto affectu Divinitatis
„ ornatur? Sicut enim de membris Eccleſiæ loquens Apo-
„ ſtolus ſimilitudinem adhibuit de membris corporis noſtri,
„ quoniam quæ *inboneſta ſunt noſtra*, *bis abundatiorem bo-*
„ *norem circumponimus*: ita providentia Creatoris in ca-
„ daveribus Martyrum tam præclara miraculorum teſti-
„ monia præſtando, abundatiorem honorem exſanguibus
„ reliquiis hominum circumponit, & quod vita emigran-
„ te tamquam deforme jam remanet, ibi evidentius præ-
„ ſens vitæ dator apparet.

III. Non abſimilia his ſunt ea, quæ Paulinus Nolanus tradit. Etenim v. 191. & ſubſequentibus Natalis ſexti S. Felicis non modo innuit miraculis, aliiſque mirabilibus modis a Deo honorari Sanctorum corpora, verum etiam haud obſcure innuit, hoc ipſo honore uti eum ad nos docendos de ſumma illa gloria, qua poſt reſurrectionem donabuntur. Ecce ipſos quos dixi Paulini verſus:

Quanta reſurgentes virtus, & gloria cingat,
Conjectare licet, cum gratia tanta ſepultos
Ambiat; & quanto rediviva decore micabunt
Corpora, in obſcuris cum ſit lux tanta favillis?

IV. Ambroſius etiam (*e*) indicare videtur, ad commendanda Sanctorum merita fuiſſe a Deo in eorum inventione facta miracula. „ Nunc audiſtis (inquit Ambroſius) clamantes dæmones, & confitentes martyri-
„ bus, quod pœnas ferre non poſſint, & dicentes: quid
„ veniſtis, ut nos graviter torqueatis? Et Ariani dicunt:
„ non ſunt iſti martyres, nec torquere diabolum poſſunt,
„ nec

(*e*) in ſermone olim 91. nunc n. 16. epiſt. 22. ad ſororem.

„ nec aliquem liberare, cum tormenta dæmonum ipſo-
„ rum voce probentur, ac beneficia martyrum remediis
„ ſanatorum, & abſolutorum judiciis declarentur.

V. Luculentiſſime quoque Cyrillus Hieroſolymitanus, exemplo honoris, quem miraculis editis adhiberi voluit Deus cadaveri Eliſæi, ad teſtificanda Sanctorum merita, per eorumdem martyrum ſacra cadavera, miracula edi aſſeverat hæc elocutus. (*f*) „ Ut autem non animæ ſolum
„ juſtorum honorarentur, ſed crederetur etiam in juſto-
„ rum corporibus jacere vim penitus inſitam; projectus
„ in monumentum Eliſæi mortuus, mortuum Prophetæ
„ corpus attingens, vitam concepit. Mortuum Prophetæ
„ corpus id, quod animæ videbatur opus eſſe, perfecit,
„ quodque mortuum jacebat, mortuo vitam dedit; &
„ quod vitam dabat, ipſum in mortuis ſimiliter ut ante
„ remanſit. Qua de cauſa? ut ne, ſi reſurrexiſſet Eli-
„ ſæus, animæ ejus ſoli factum illud imputaretur: & ut
„ oſtenderetur, abſente etiam anima ineſſe vim quam-
„ dam ac poteſtatem corpori Sanctorum, propter ani-
„ mam juſtam, quæ tot annos in eo inhabitaverit, ejuſ-
„ que uſa ſit miniſterio.

(*f*) Catecheſi 17. n. 16. Interprete Touttee.

VI. Sed quis Evodium (ſi Evodium appellare eum vis) prætererit, capite quarto, & ſubſequentibus libri primi apertiſſime ſignificantem, non levia miracula Sancti Stephani interceſſione fuiſſe facta, ut præclara illius ſanctitas, & ſumma apud Deum merita hac etiam ratione manifeſtarentur? Evodii verba, tam & ſi ad rem noſtram aptiſſima, non exſcribo, quippe tam multa ſunt, ut referri cuncta illa nequeant. Sed ea facile quiſque conſulere, & legere per ſe poteſt. Ad eum itaque vos amando.

VII. Sed cur ea mitto, quæ Gregorius Magnus recitato celebratiſſimo S. Zenonis miraculo ad extremum adjungit? Ex his nempe conſtat, putaſſe Gregorium, miracula etiam fieri, ut Sanctorum merita dignoſcerentur. Ipſa S. Doctoris audite verba, ex quibus aperte conſtat, me vera profari. (*) „ Hauriri itaque ut aqua poterat, ſed dif-
„ fluere ut aqua non poterat. Stans autem ante januam
„ ad oſtendendum cunctis meritum Martyris, & aqua
„ erat ad adjutorium, & quaſi aqua non erat ad inva-
„ dendum locum.

(*) lib. 3. dialog. cap. 19.

VIII. His adjunge, ſi vis, ea, quæ Gregorius Turonicus cap. 64. libri illius, quem inſcripſit *De gloria Martyrum* enarrat: quippe miracula ad Sancti Patrocli tumu-

lum

lum propterea edita fuiſſe innuit, ut iis *amicum Dei* illum eſſe innoteſceret. (10) Et hæc quidem ad priores omnes adverſariorum objectiones dicta ſint ſatis. Jam poſtremam aggredior.

IX. Verum enim vero gratiarum actione indiget potius, quàm refutatione ea ſolutio, quam Chryſoſtomi verbis adhibent. Levene momentum in tam præclari viri auctoritate ineſſe putant, quem nempe ſummo in honore, atque exiſtimatione univerſa jam pridem habuit, & nunc etiam habet Eccleſia? At tale profecto in eo ineſt, quale non habent ſexcenti ex iis, quos anteceſſores, & magiſtros ſuos jactitant Proteſtantes. Vetuſtus ſcilicet, nec tantum eloquens, verum etiam pius, & doctus eſt Pater, quem proinde ſi nobis favere fatentur, fulgidiſſimum Orientis lumen nobis favere teſtantur, ideoque noſtræ cauſæ probitatem hoc ipſo argumento indicant; teſtatumque faciunt, quàm immerito nos ſuperſtionis, atque erroris accuſant. Nec vero Chryſoſtomus majorem honorem deferri a nobis ait Chriſti diſcipulis, quàm deferatur Chriſto ipſi. Ubinam, obſecro, id tradit? Si Chryſoſtomi verba haud indiligenter expenderis, manifeſto conſpicies, doceri nos a S. Doctore, non modo delatum fuiſſe honorem Chriſto, illiuſque ſepulcro, verum etiam diſcipulis illius. Quibus quidem adhibitus honor, ut crebro diximus, & Chryſoſtomus hic quoque tradit, in magiſtri honorem apertiſſime convertitur, & refertur. En quo denique perveniunt ii, quos reprehendunt, oderuntque Proteſtantes, ut ſcilicet a vetuſtis, ſanctiſſimiſque Patribus edocti teſtatum faciant, ad Deum referri honorem eum, qui Sanctis adhibetur. En quale ſit, & quam nefarium crimen illud, quod ſæpe nobis objiciunt.

CAP.

(10) *Patroclus quoque Martyr, qui ad urbem Tricaſſinorum ſepultus habetur, ſæpius ſe amicum Dei virtutibus multis oſtendit.*

CAP. XXI.

Reliquas adverſariorum objectiones, quibus pietatem in Sanctorum cultu ſitam oppugnant, afferimus.

I. HActenus quidem ſatis oſtenſum putamus, eos valde decipi, qui probationes noſtras ſe facile diſſolvere putant: nunc ea argumenta producamus, quibus directe probare contendunt, a pietate remotiſſimum eſſe cultum adhibitum Sanctis. Sic itaque diſſerunt. Pium ne, Deoque acceptum dicere audebimus ritum eum, qui aut illi demit latriam, ideoque cultum eum, qui ex veterum omnium ſententia, & ex ipſius latriæ notione ipſi ſoli Deo præſtari debet; vel ſi eam forte non demit, procul dubio ſive in idololatriam, ſive in ſuperſtitionem, aut ſaltem in ſuperſtionis non leve diſcrimen adducit? Porro ſi Sanctis cultus adhibeatur, hæc evitare non poſſumus. Ii nempe, qui Sanctos colunt, ſe eos *adorare* teſtantur, ideoque iis deferre latriam. Utque omnis ambiguitatis ſuſpicio tollatur, neque reſpondere quis poſſit, *adorationis* vocabulum in latiori quadam, & minus propria ſignificatione hic ſumi, latriam Sanctis vere adhiberi a Pontificiis, ideoque ab iis, qui cultus iiſdem Sanctis adhibiti defenſionem ſuſceperunt, his argumentis oſtenditur. Quoddam latriæ genus eſt, aliquem invocare, preceſque eas illi deferre, quæ beneficiorum auctorem indicent putari a nobis eum, quem deprecamur: Sanctos tamen invocant, & preces hujusmodi illis adhibent Pontificii. Quid quod templa, & altaria in Sanctorum honorem erigunt iidem Pontificii, miſſaſque, ſeu ſacrificia ſua in eorundem Sanctorum honorem inſtituunt, celebrantque? Hinc porro, ut merito conjicimus, religioſum appellant eum cultum, quem Sanctis adhibent, haud obſcure indicantes, ejuſdem prorſus generis ſe cultum Deo præſtare, ac Sanctis præſtant: religio quippe ea virtus eſt, qua Deum colimus. Hæc etiam adjungite. Ut teſtentur Pontificii, ſe eodem prorſus modo, & ratione Sanctos colere, ac Deum colunt, iiſdem reverentiæ, atque honoris argumentis utuntur. Itaque ſi Pontificii genua Deo flectunt, & Sanctis flectunt, ſi ante Dei altare proſternuntur, etiam ante reliquias, & imagines Sanctorum proſternuntur: quod & de reliquis dic ſive generibus, ſive argumentis cultus.

II. At

II. At age, improbus per ſe ipſe non ſit idem cultus: non ſtatim Deo acceptum, piumque dicere debes, ut pote eum, qui in idololatriam, aut ſaltem in ſuperſtitionem facile inducit. Quot enim per hujus modi cultum in certam, turpiſſimamque idololatriam adducti ſunt? quot ſuperſtitiones in Eccleſiam invectæ? In idololatriam ſane per hujuſmodi cultum adducti ſunt ante Chriſtum natum ſive Ægyptii, ſive Hebræi forte non pauci, qui Jeremiæ cadaver, veluti Deum quendam in monumento ſuperſtitem, coluerunt. Inter Chriſtianos autem Collyridiani, qui ut Mariam enixius venerarentur, Deam fecerunt, illique fœminas Sacerdotes, & placentarum ſacrificia ſtatuerunt. At nonne in idololatriam incidunt noſtris ipſis temporibus ii Pontificii, qui eadem erga Sanctos cultus, & fiduciæ argumenta præſtant, quæ erga Deos ſuos Ethnici præſtitere? Alibi etiam diximus, ſi nomina mutes, nihil omnino inter Ethnicos, & Chriſtianos intereſſe. Nam ſi Pollucem, & Caſtorem olim colebant Ethnici Nautæ, illos ſibi præeſſe putantes, nunc Nicolaum Pontificii colunt, ſibique præeſſe arbitrantur. Si morbis illi præfecerunt Æſculapium, hi Antonium præficiunt, aut Luciam, aut Agatham. Atqui in ſuperſtitionem facile prolabi populos in Sanctorum cultum inclinatos, fateri coguntur ii ipſi, qui Sanctorum cultum approbant, dum ſæpe ſæpius ritus quoſdam in Sanctis colendis condemnant, quos inſana populi pietas intulit. Sic Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus vetuit, ad Martyrum ſepulcra ferri dapes. Alia etiam honoris haud multum probabilia argumenta Martyribus adhiberi non permiſit Sanctiſſimorum Pontificum pietas. Cur ergo pium eſſe affirmabimus eum cultum, ex quo ſuperſtitiones plurimæ, veluti mala germina, pullulant? Quis eum feret, laudabitque in Eccleſia fontem, ex quo dulces aliquæ, (quod tu vis) multo tamen plures amaræ emanant aquæ?

III. Qua propter ut concedamus, improbum per ſe non eſſe eundem cultum, pium tamen, Deoque acceptum eum appellare non audemus, a quo aut in errorem, aut ſaltem in erroris periculum quodam modo compelleris. Quis enim erroris periculum in eo cultu ineſſe neget, dum certo conſtat, in eo adhibendo erraſſe alios non prorſus incautos? Quis porro neſcit, non modo improbitatem, verum etiam ipſum improbitatis periculum effugiendum eſſe maxime? nam qui *amat periculum,*

(a) Eccleſ. 3. 27.

peribit in illo. (*a*) Cur porro non imitamur Mardochæi exemplum, qui cum ſuſpicari merito poſſet, ne dum Amanum humillima corporis demiſſione honoraret, cultum aliquem ſive divinum, ſive divino proximum, ſuperſtitioſumque illi deferret, ab eo cavit prorſus, & indignationem ſuperbi hominis, & potentiſſimi Principis ſubire maluit, quàm eum honorem eidem Amano præſtare?

CAP. XXII.

Primas diſſolvimus ſuperioris Capitis oppoſitiones, & oſtendimus, appellari rectiſſime poſſe religioſum eum cultum, qui Sanctis adhibetur.

I. ET ſi non ſim neſcius, quantum in adductis difficultatibus confidant adverſarii, ſpero tamen fore, ut levi opere eas diſſolvamus, ideoque illis eripiamus gloriolam eam, quam ex iiſdem captant. Primum argumentum ex iis, quæ ſuperioribus capitibus, & diſputatione ſecunda accurate ſunt dicta, promptiſſime refellitur: oſtendimus enim, adorationis vocabulum, quum ad eum cultum ſignificandum ſumimus, quem Sanctis adhibemus, illud venerationis genus exprimere, quod Sanctis deferre convenientiſſimum eſt. Quæ de invocatione, templorum, atque altarium erectione, miſſarumque celebratione dixerunt, conſulto hic omittimus; nam de his argumentis diligenter deinceps ſumus diſputaturi.

II. Id nunc aggredior, quod de religioſi cultus appellatione objecerunt. Porro noveritis, duas controverſias, quarum prima nominis eſt, rei altera, inſtitui hic poſſe. *Nominis* quidem controverſia inſtituitur, ſi quæritur, num cultum Deo adhibitum adeo preſſim ſignificet vox *Religio*, ut ad alium cultum, tam & ſi ſacrum, ſignificandum ampliari ea vox non poſſit. *Rei* vero, ſi concedatur quidem, Religionis nomine nihil aliud ſignificari, niſi cultum Deo debitum, ac nihilo minus quæratur, num religioſus vere dici adhuc poſſit cultus Sanctis adhibitus.

III. Quod ad primum attinet, quidquid adverſarii ſecus moneant, meo quidem judicio non conſtat, vocem *Religio* adeo coarctatam eſſe ad ſignificandum ſupremum eum cultum, quem Deo præſtamus, ut ampliari illa nequeat ad alium cultum ſignificandum. Nonne in latiori ſignificatione vocem eam adhibet Auguſtinus, dum (*) hæc ait:

(*) Cap. 21. lib. 20. contra Fauſtum.

ait: *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat*? Nonne etiam religioſa appellat (*a*) idem Auguſtinus quædam inſtrumenta, quibus Dei peragitur cultus, veluti ſerpentem *illum æneum exaltatum in eremo: & litteras &c.*? Nonne etiam adteſtatur, Deum edidiſſe miraculum, (*b*) ut *præſenti nutu divino proderetur, & religioſius humandum, venerandumque demonſtraretur* (Beati Vincentii corpus, de quo tum loquitur)? Religioſi etiam vocari videntur Chriſtiani omnes, aut ſaltem ii, qui in Sanctorum Martyrum corporibus ſervandis ſe ſe diligentiores oſtenderant. *Gentilium furor* (inquit Scriptor Actorum Sanctorum Epipodii, & Alexandri n. 12.) *extremam denegans ſepulturam etiam in exanimata corpora ſæviebat. Poſtea vero venerabilem locum religioſorum cultus ſervavit*. Et ne cuncta perſequar, hæc quoque expreſſiſſima D. Auguſtinus edocuit: (*) *Nam & ipſa religio, quamvis diſtinctius non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare videatur; unde iſto nomine interpretati ſunt noſtri eam, quæ græce θρησκεία dicitur: tamen quia latina loquendi conſuetudine, non imperitorum, verum etiam doctiſſimorum, & cognationibus humanis, atque affinitatibus, & quibuſque neceſſitudinibus dicitur exibenda religio; non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu deitatis vertitur quæſtio, ut fidenter dicere valeamus, religionem non eſſe niſi Dei cultum; quoniam videtur hoc verbum a ſignificanda obſervantia propinquitatis humanæ inſolenter auferri.*

(*a*) cap. 10. ſive n. 19. lib. 3. *de Trinitate*.

(*b*) n. 3. ſerm. 2. de S. Vincentio, olim IX. inter Pariſienſes, nunc in ſerie 275.

(*) n. 5. cap. 1. libri X. *de Civitate*.

IV. Sed non unus id tradidit Auguſtinus. In eadem ſignificatione ſumpſerunt eandem vocem non raro alii Patres. Hoc modo Gaudentius *religioſas manus* appellat eorum manus, qui quadraginta Martyrum reliquias ſummo ſtudio, atque etiam ſumptu ſibi compararunt (11).

V. Paulinus Nolanus haud aliter ſumere videtur, cum verſu 125. Natalis VI. S. Felicis hæc ait.

Relligioſa pie pugna exercetur amantum:
Quiſque alium premere, & proprior conſiſtere certat
Relliquiis, corpuſque manu contingere gaudet. Si-

(11) *Jam vero nec illud in poſtrema parte reticemus*, (inquit ille *) *quod cum cineres exuſtorum corporum mandato perſecutoris in fluvium jacerentur, non defuerunt religioſa manus, qua partem cineris vel furto eriperent, vel pretio compararent*.

(*) in ſermone, ſeu tractatu, qui inſcribitur *De dedicatione Baſilica Concilii Sanctorum* pag. 199. edit. Comilianæ anni 1720. pag. vero 344. edit. Brixia. an. 1738.

Similiter Gregorius Magnus (c) *religioſum* vocat Conſtantinæ Auguſtæ deſiderium, quo enixiſſime optabat illa *caput S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipſius ad ſe tranſmitti*.

(c) lib. 3. Epiſ. 30.

VI. Denique ut Patrum teſtimoniis recenſendis modum faciam, Venantius Fortunatus *religioſa* appellat loca ea, in quibus Martyrum corpora condita erant. (d)

(d) ſub finem libri quarti *de Vita S. Martini*.

Inde Ravennatem placitam pete dulcius Urbem.
Pulpita Sanctorum per relligioſa recurrens,
Martyris egregii tumulum Vitalis adora,
Mitis & Urſicini parili ſub ſorte beati:
Rurſus Apollinaris precioſi limina lambe &c.

VII. Ex his porro, aliiſque multis, quæ ſi vellem, recenſere facile poſsem, veterum Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimoniis merito conjicimus, vocem hanc *religio*, & reliquas ab ea derivatas deduci facile poſſe ad ſignificandum cultum aliquem, qui Sanctis deferatur. (12)

VIII. At age, ſi vis, coarcta vocem *religio*, & aliaſque affines ad ſignificandum ſupremum cultum Deo adhibendum: adhuc etiam appellare poſſumus *religioſum* eum cultum, qui Sanctis adhibetur. Nonne dirigere, ut alibi multis oſtendi, eum poſſumus (immo ſi ſapimus, dirigemus) ad Dei honorem, atque ad fiduciam, & fidem in Deum, & reliquas hujus generis virtutes teſtificandas? Id intelligere inter Proteſtantes viſus eſt Hugo Grotius, dum hæc protulit (e) *Nam & religioſus eſt honos, qui ſoli Deo defertur, & religioſus eſt, qui ob Deum defertur Angelis, & Apoſtolis: neque enim is honor ad communem, civilemque vitam pertinet*. Vide, ſi vis, quæ Optimi fratres VValemburch in rem hanc protulerunt. (f) Et ſane, ut cetera omittam, id apertiſſime mihi videtur tradere Maximus Vercellenſis, dum ſermonem de S. Euſebio, a Clariſſimo Muratorio evulgatum, ſic exorditur: (g) „ Dum ad „ ob-

(e) in animadver. Rive. ad ar. 20.

(f) tom. 2. pag. 207. & 208.

(g) Tomo 4. anecd. pag. 77.

---

(12) Dum harum vocum, *religio*, *religioſus*, aliarumque ſimilium ſignificationes attuli, non omnes afferre in animo habui, ſed eas tantum quas Sacri Scriptores iiſdem vocibus frequentius tribuerunt. Novi plane, aliis quoque ſignificationibus pollere has voces, quarum aliquas adducit Vir, quantum ea ferebant tempora, valde doctus Joannes Belethus, cujus caput 159. libri, quem *De Divinis Officiis* inſcripſit, conſulas volo; multoque plures occurrunt in Lexico egregii, atque accuratiſſimi Facciolati ad vocem *Religioſus*: nec contempſeris volo, quæ Macrobius capite quarto, alias tertio libri tertii Saturnaliorum adducit.

„ obſequia venerandæ recordationis communis Patris noſtri Euſebii, confeſſionis ejus honore concurrimus, religioſum reddimus famulatum perpetuo Confeſſorum auctori. Quidquid enim erga electos Dei devotionis impendimus, Deo totum, qui electos ſuos ſanctificat, exhibemus. Quamquam in hac difficultate non multum fortaſſe immorari opus erat: nulla enim Concilii Tridentini definitio, aut Pontificum ſanctio nos cogit, ut religioſum appellemus cultum hunc; neque forte deerunt etiam ex noſtris, qui religioſum dicere recuſabunt.

CAP. XXIII.

Expenduntur ea, quæ ex communibus Deo, & Sanctis delati cultus argumentis objiciunt, amoventurque ſi qui ea in re extant ſcrupuli.

I. Reliquas nunc adverſariorum objectiones expendamus: & quamquam ſunt illæ profecto tales, ut magnam veritatis ſpeciem habeant, infirmas tamen, & debiles agnoſcet, qui diligentius illas, attentiuſque conſiderabit. At antequam id aggredior, ratum hic volo, quod diſſertatione II. oſtendi, ſcilicet ambiguas eſſe voces has: *adoro*, *colo*, & reliquas hujus generis, easque facile deduci tum ad ſignificandum ſupremum cum cultum, qui Deo adhibendus eſt, tum etiam ad denotandum minorem illum, quem Sanctis præſtamus. Sed non modo voces, quæ cultus eos denotant, verum etiam ipſa exteriora ejuſdem cultus argumenta æquivoca ſunt, eaque, ſi ſacrificium excipiatis, in utroque cultus genere adhiberi cum laude poſſunt. Teſtatur ſane Auguſtinus, pridem conſueviſſe homines communia adhibere argumenta in deferendo & Deo, & hominibus cultu: (13) quem morem nec ipſe ſuſtulit, nec alii Patres improbavere; immo ſi de argumentis, quibus in Sanctorum cultu utimur, loqueris, ea approbare viſi ſunt, dum ipſi quoque, uti deinceps

(13) *Multa denique de cultu divino uſurpata ſunt, quæ honoribus deferrentur humanis ſive humilitate nimia, ſive adulatione peſtifera; ita tamen, ut quibus ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, & venerandi: ſi autem eis multum additur, & adorandi. Quis vero ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem Deum aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?* Auguſtinus libro 10. de Civitate cap. 4.

ceps videbimus, adhibuerunt. Scilicet non exteriora attendi debent inſpicique honoris argumenta, quæ ementita eſſe poſſunt; ſed animus, interiorque directio eorumdem argumentorum. Etenim in lege nova, in qua fideles *adorant in ſpiritu, & veritate*, non contemnuntur quidem exteriora hæc ſacri honoris, venerationiſque argumenta, ſed multo magis, immo (uti dixi) unice attenditur animus, & directio. Hinc idem extrinſecum honoris argumentum, veluti thus accenſum, & Deo deferri videbis, & Sancto mortuo, & Principi viventi, & cadaveri Chriſtiani hominis, dum illi peraguntur exequiæ. Sed ſi ſapit is qui accendit, dum in Dei honorem accendit, teſtabitur ſummam animi demiſſionem, illudque ſervitutis, & obſequii genus, quod cum Auguſtino, & Catholica Eccleſia *latriam* appellamus: cum vero in Sancti honorem accendit, teſtabitur illud ſacri honoris genus, quod Sanctis adhibere, & *duliam* dicere conſuevimus. At quum Principi accendit, fatebitur tantum eſſe illum *miniſtrum Dei in bonum*, (a) *& cui neceſſitate ſubditi eſſe debemus non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. (b) Dum vero mortuorum cadaveribus thus adolet Sacerdos, ea honorat veluti templa, in quibus inhabitavit Spiritus Sanctus, aut forte per fumi aſcenſum oſtendit Eccleſia, ritum eum præcipiens, corpus illud cum reliquorum fidelium pie viventium e morte excitatis corporibus de monumento proceſſurum, & obviam Domino ſe ſe erecturum in aera, & coram Judice Chriſto appariturum.

(a) Rom. 13. v. 3.

(b) ibid. v. 5.

II. Hæc omnium fere Catholicorum ſententia eſt. Tres tantum proferam, ſed præclariſſimos, Vaſqueſium, Thomaſinum, & Pereſium Ajalam, quos omnes tempore, & dignitate præivit S. Thomas. En quæ Vaſquez (c) edoceat: „ Tota adorationis diſtinctio (inquit ille) ex affectu interiori adhibendi ſigna illa exteriora „ deſumenda eſt. Homo enim fertur in opus ipſum ex„ ternum ex apprehenſione majeſtatis, aut excellentiæ „ ejus, cui ſignum illud exhibere, judicat honeſtum, & „ ea ratione & placet, quatenus eſt cultus quidam il„ lius, cui ob ipſius excellentiam deberi judicat. Et alibi: (d) *Signum hoc* (adorare proſtratum) *non eſt peculiare latriæ*.

(c) to. 1. in 3. par. D. Thomæ in qu. 25. ar. 1. diſp. 93. n. 39.

(d) diſp. 95. cap. 4. n. 22.

Similiter Thomaſinus: (e) „ Hæc interna eſt latriæ „ forma, hic nexus arctiſſimæ ſervitutis, præcordia ipſa „ animæ vinciens, & aſtringens Deo. Externa autem „ cul-

(e) de incarnat. lib. XI. cap. 1. n. XI.

„ cultus hujus ſignificatio ſacrificiis maxime, & altaribus, & templis proditur. Cetera enim, quæ corporis „ miniſterio exeruntur, cultus officia, nempe ad pedes accidere, adgeniculari, caput demittere, corpus inflectere, oſculum libare, & id genus alia, humanis etiam „ plerumque obſequiis evulgata, & pene profanata ſunt. „ At templa, aras, victimaſque dedicare niſi ſummo numini vetat ratio, humanitas ipſa abhorreſcit. Auguſtinus: (*f*) *Manifeſtum eſt, id, quod a nobis pie, ac religioſe fit, a voluntate animi proficiſci, quæ creatura ſpiritalis eſt, & omni corporali præponenda, unde colligitur, corporali creaturæ non eſſe ſacrificandum.* Affinia tradit Martinus Pereſius de Ajala. (*g*)

III. Et his quidem aſſentiuntur, uti jam dixi, Catholici fere omnes: ſed inter eos, qui ab Eccleſia Romana alieni ſunt, vir magni nominis Grotius id ipſum edocet in Commentariis in Apocalyp. 19. v. 10. & fuſius in verſiculum tertium capitis xx. Exodi. En quæ ad citatum Exodi verſiculum tradat. (*) „ Neque vero flexo, aut proſtrato corpore eos honorare illicitum eſt, ubi mos talis obtinet. Fecit id Nathan coram Davide (*h*).... Joſephus de Davide Saulem venerante: *Veneratur eum pronus cadens, ut moris eſt.* At ſi qua in gente is geſtus tantum in re divina uſurpetur, jam eum coram Rege „ uſurpare licitum non erit. Ob id Græci, quibus proſterni, niſi in ſacris, mos non erat, eo more venerari „ Regem Perſarum noluere, ut paſſim ex hiſtoriis diſcimus. Et Chriſtianus apud Sozomenum, Perſarum Regem veneratus, deſtitit poſtea, ubi id aliovorſum interpretando trahi vidit. Etiam coram imaginibus „ Imperatorum procumbere, non alienum a ſua religione „ arbitrati ſunt Chriſtiani. At poſtquam ſuis imaginibus „ falſorum Deorum imagines addi juſſerat Julianus, prudentiores mala quævis potius toleranda duxere, quàm „ ut ibi procumberent. Narrat Gregorius Nazianzenus. Hactenus Hugo Grotius, qui ſtatim ſententiam ſuam Tertulliani auctoritate confirmat.

IV. At proferamus Scholaſticorum Theologorum Principem D. Thomam in eandem ſententiam hæc elocutum: (*i*) „ Et quia ea, quæ exterius aguntur, ſigna ſunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia „ exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum „ eſt adoratio. Sed aliquid eſt, quod ſoli Deo exhibetur,

„ ſci-

(*f*) epiſt. olim 49. nunc 102. quæſt. 3. n. 20.

(*g*) in eo quem de Traditionibus inſcripſit libro, tertia parte *de cultu Sanctorum*, conſideratione ſeptima, paragrapho incipiente his verbis: *Tertio quod*.

(*) Tom. 1. pag. 38.

(*h*) 3 Reg. 1. 23.

(*i*) 2. 2. quæſt. 84. art. 1.

„ ſcilicet ſacrificium. Allegat autem ſtatim in rem ſuam Auguſtinum, quippe qui capite 4. libri 10. de Civitate hæc ſcripſerat: „ *Multa denique de cultu divino uſur-*
„ *pata ſunt, quæ honoribus deferrentur humanis, ſive humili-*
„ *tate nimia, ſive adulatione peſtifera; ita tamen, ut quibus*
„ *ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi, &*
„ *venerandi: ſi autem eis multum additur, & adorandi. Quis*
„ *vero ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem Deum, aut ſcivit,*
„ *aut putavit, aut finxit? &c.*

V. Dixi vero *fere omnes*; nam aliqui extitere, qui enixe optare viſi ſunt, ut diſcrimen aliquod in argumentis, ſeu indiciis horum cultuum ineſſet. Non hic memoro Auctorem librorum Carolinorum, & eos, quibus tribui debet opuſculum illud, quod ad hunc modum inſcribitur: *Synodus Pariſienſis de imaginibus:* quibus quidem diſplicuiſſe videtur, cereos & thus Deo perinde, ac Sanctis, eorumque imaginibus accendi: de quorum ſententia alibi copioſiſſime diſſeretur; Sed me continere non poſſum, ne viri præclari Joannis Beleth quædam hoc de argumento recenſeam. En illa: (*k*) „ Hinc
„ etiam eſt, quod famuli dominis ſuis inſervientes, ſi
„ quando illis pocula porrigunt, non debeant utrumque
„ genu flectere, ſed dumtaxat alterum, nempe ſiniſtrum,
„ per quam partem ſignificatur corporalis ſervitus, quæ
„ tantum debetur hominibus, & non ſpiritualis. Nec
„ eſt acclinandum Principi ſæculari recta facie, ſed ab
„ aure ſiniſtra capite flexo. Sed hujus Doctoris ſententiam & veterum auctoritas, & communis conſuetudo, atque opinio vicit, a qua quidem recedere ſine manifeſta, atque indiſſolubili ratione non poſſumus.

(*k*) cap. 15. lib. de Divinis Officiis pag. 62.

CAP.

CAP. XXIV.

Diſſolvuntur ea, quæ ex ſuperſtitione in Sanctorum cultum facile irrepente, atque ex ejuſdem ſuperſtitionis periculo deducunt.

I. PRimis remotis obicibus reliquos etiam removeamus oportet, atque in primis ea refellamus argumenta, quibus oſtendere ſtudent, per Sanctorum venerationem viam facile ſterni ad ſuperſtitionem. Ab his ut expediamini, notiſſima Auguſtini verba in adverſarios intorquete. (*a*) „ Nolite mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, „ nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes, aut exhibentes. „ Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa „ vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus de„ diti, ut obliti ſint, quid promiſerint Deo. Et n. 76. „ Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Ca„ tholicæ maledicere deſinatis vituperando mores ho„ minum, quos & ipſa condemnat, & quos quotidie tan„ quam malos filios corrigere ſtudet. Quod ſi Scholæ more preſſe, diſtincteque reſpondere nos jubent, negandum præciſe eſt, per adhibitum Sanctis cultum viam ſterni ad ſuperſtitionem. Etenim ſi quis error, aut malus dolus irrepſit, is vel caſu irrepſit, vel hominum, non cultus ipſius vitio. Eccleſia vero merito cultum approbans ſervanſque, errores, & dolos evellere ſtudet; novit enim, non eſſe a ritibus quibuſque, quos inficere ſuperſtitio poſſit, aut improbitas aliqua, abſtinendum, ſed potius adhibendam eſſe cautionem, ne quid imprudentibus fortaſſe noceat: utileſque, ac probas conſuetudines, quæ apud Pontificios magno numero ſunt, ab inutilibus, & illaudabilibus diligenter ſecernendas. Ceterum ea, quæ attulerunt exempla, ut ſuperſtitionem in Sanctorum cultum aliquando illapſam fuiſſe oſtenderent, haud opportuna ſunt. Summos quidem honores cadaveri Jeremiæ prophetæ delatos intelligimus, at divinos honores eidem cadaveri fuiſſe adhibitos, minime nos docent ea ipſa monumenta, ad quæ nos allegant Proteſtantes. En quæ ſcribat Epiphanius, ſeu alius, quiſquis eſt, auctor libri, qui præpoſito Epiphanii nomine *De prophetarum vitis* inſcribitur, Petavio interprete. „ Ægyptii ob acceptum „ ab illo beneficium ſummum ei honorem habuerunt.

(*a*) in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 34. alias n. 75.

„ Cum enim aſpides, & aquatiles beſtiæ, quas Ægyptii
„ Nephot, Græci crocodillos vocant, exitium illis infer-
„ rent, orante Jeremia Propheta, tam aſpidum in terra fu-
„ ror, & rabies, quàm in fluvio belluarum inſidiæ compreſſæ
„ ſunt. Unde ad hoc uſque tempus fideles, qui illic ſunt,
„ omnes orare in eodem loco ſolent, ſumptoque pulve-
„ re morſibus aſpidum medentur, & crocodillos fugant.

II. Id ipſum tradit Iſidorus (*b*) hæc de Jeremia elocutus. *Inſigni eum veneratione, ampliſſimoque honore iidem Ægyptii colunt, ſepulcrumque ejus inſigni cultu hactenus venerantur.*

(*b*) in lib. *de vita, vel obitu Sanctorum qui Deo placuerunt.* cap. 38.

III. Quin etiam Hieronymus, ſeu alius, quicunque is ſit, ſub Hieronymi nomine latens, in breviori quadam præfatione, quæ & *argumentum in Jeremiam* inſcribitur, (*c*) in eandem ſententiam hæc eloquitur. „ Jeremias A-
„ nathothites, qui eſt viculus tribus a Jeroſolymis di-
„ ſtans millibus, apud Taphnas in Ægypto, a populo
„ lapidibus obrutus occubuit. Jacet vero in eo loco
„ ſepultus, quo dudum Pharao Rex habitaverat. Et quo-
„ niam poſtulatione ſua deſugatis ab eodem loco ſerpen-
„ tibus, Ægyptios a tactu aſpidum facit eſſe ſecuros, ma-
„ gna eum ibi religione Ægyptii venerantur. Quæ verba exſcripſit Iſidorus ille, quem nuper allegavi in eodem libello *De vita, & morte Sanctorum*.

(*c*) Extat in multis antiquioribus Bibliis, veluti in iis, quæ edita ſunt Venetiis an. 1538. per Bernardinum Stagninum.

IV. At ubinam ab his edocemur, divinos honores fuiſſe ab Ægyptiis Jeremiæ, ejuſque cadaveri adhibitos? neque enim, quod magna eum religione Ægyptii venerarentur, conjicere poteris, divino cultu Jeremiam fuiſſe honoratum. Vide quæ nuper tradidimus. Et ſane religioſe venerari aliquem poſſumus, ſicuti religioſe ſecretum ſervamus, amicitiam, fœduſque initum cuſtodimus, & id genus alia, quæ a divino honore remotiſſima ſunt.

V. At age, ſi vis, divinos honores detulerint Ægyptii Jeremiæ. Quid mirum id eſt in populo, qui tam facile creaturas quaslibet divino cultu proſequebatur? Nonne propenſi adeo erant in idololatriam Ægyptii, ut & animalia turpiſſima, & cæpas, & allia veluti totidem numina venerarentur: Bovi quoque, & crocodillis divinum deferrent cultum? (*d*) Facile ergo adduci potuere, ut divinos honores illi adhiberent, a quo tam inſignia beneficia receperant.

(*d*) Vid. quę tradſit Hieronymus in caput 46. Iſaiæ, Rufinus lib. 2. cap. 26. ſu æ hiſtoriæ: & Juvenalis ſatyr. 15. v. 2. & ſeq.

Id ipſum forte dicere potes ad ea, quæ de Collyridianis objiciunt. Etenim & iis temporibus, & in iis regio-

gionibus id evenit, a quibus idololatria, & ſumma in eam inclinatio non exulabant. At ubi nam id metuere nunc Catholici poſſunt, apud quos jam pridem in abominatione, & contemptu ſunt quæcunque ad Idololatriam deducere olim incautos homines poterant?

VI. Atque in horum concluſionem, & explicationem, & confirmationem copioſe dicta ad evellendos reliquos etiam objectos ſcrupulos ſufficerent, niſi vellemus ad cuncta diligentiſſime reſpondere. Quod de mutatis in Sanctos falſis Diis objiciunt, detritum id eſt, & ab Ethnicis in Chriſtianos objectum, a vetuſtiſſimis noſtris magiſtris jam dudum evulſum eſt. Vide obſecro, quæ tradunt Auguſtinus cap. 26. & 27. libri octavi *De Civitate:* n. 2. epiſtolæ olim 43. nunc XVI. rurſus capite X. libri XXII. *De Civitate:* denique cap. 20. & 21. lib. XX. contra Fauſtum; & Cyrillus Hieroſolymitanus adverſus Julianum Apoſtatam diſputans: quæ loca cum alibi vel retulerim, vel indicarim, neceſſe hic non eſt ea repetere. Sed ſive hæc Ethnici, ſive Proteſtantes objiciant, ajo, longe alio modo coli a nobis Sanctos, quàm colerentur ab Ethnicis Numina ſua. Neque enim veluti Deos colimus, ſed tantum veluti famulos unius veri Dei, qui ob eas cauſas, quas alibi fuſe enumerabimus, eos beneficos mortalibus eſſe voluit. Neſcimus vero, cur fidelium pietatem hac in re accuſent adverſarii, quando, ſi recte attendas, hac in re nihil eſt, quod merito reprehendas. Enim vero beneficia, quæ a Sanctis recepere majores noſtri, nos compellunt, ut ad eos confugiamus, a quibus ipſi petierunt, & receperunt. Sane D. Leo in Sermone I. in Natali Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ad obſequium Sanctis præſtandum vel hoc ipſo argumento Romanos hortatur: (*) *Sicut autem* (inquit ille) *& nos experti ſumus, & noſtri probavere majores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores iſtius vitæ ad obtinendam miſericordiam Dei ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adjuvandos &c.* Et Caſſiodorus in Commentariis in Pſal. 64. ad verſic. 9. *Qui conturbas profundum maris: ſonum fluctuum ejus quis ſuſtinebit? Turbabuntur Gentes &c.* hæc eloquitur: „Poſtquam per „allegoriam montium dixit, Apoſtolos eſſe præparatos: „nunc exponit, quid per eos Dominus fuerit operatus. „Turbavit enim Apoſtolis prædicantibus non ſolum ſuperficiem maris, ſed fundum (legit antiquiſſimus noſtræ „Bibliothecæ codex, profundum) maris, ideſt gentilium

(*) Cap. VII.

„ corda demerſa profundius. Nam cum ſua numina conticuiſſe cernerent, & annihilata eſſe ſentirent, merito „ corde turbati ſunt, quando ſpes ſuas ad nihilum perveniſſe noſcebant....... Dono Domini ſuffragante, „ Martyres eorum violentiam ſuperare potuerunt: unde „ maxime conturbatæ ſunt gentes, quando fideliſſimos „ cernebant, & vivos facere virtutes, & mortuos ſupplicantium vota complere: Contra ſua numina, & eorum potentiam paveſcere, & reſponſa denegare. Tunc „ enim & Delphicus Apollo conticuit, tunc a Delphis „ Diana diſceſſit; (14) tunc Cytherea Venus erubuit.

VII. Quid ergo mirum, ſi nautæ olim propitium noſcentes Nicolaum, ad eum confugerent, patronumque eligerent; quando illius opem advocantes in periculis, præſentiſſimam experiebantur? Pulchre Baptiſta Mantuanus (e) de Nicolao Myrrhæ Epiſcopo agens, hæc eloquitur.

(e) in faſtis, ſeu de Sacris diebus lib. 12. tit. de S. Nicolao.

* * * * * * *. Cum turbine nautæ
Deprehenſi Cilices magno clamore vocarent
Nicolei viventis opem, deſcendere quidam
Cælituum viſus ſancti ſub imagine patris,
Qui freta depulſo fecit placidiſſima vento.

Simili exemplo ob allatam ſibi validam opem, a nautis ſæpe invocatum fuiſſe Phocam ab Aſterio Amaſeno diſcimus. (f) Nicolaum itaque, & Phocam in periculo propitium experti veteres nautæ, reliquis, ut invocarent, auctores fuere. Multiplex proſper eventus auxit ſpem, effecitque, ut quum procella, aut naufragium immineret, ad opem Nicolai, aut Phocæ implorandam ſe ſe converterent. Quod de Nicolao, & Phoca diximus, de reliquis pro portione dicito, & oppoſitionem diſſolves. Temere ergo nos condemnant, quod quibuſdam morbis laborantes quorumdam Cælitum ſubſidium poſcimus. Deus (uti nos certiores experientia efficit, & Auguſtini auctoritas comprobat) aliquorum Sanctorum præſidium potiſſimum eminere in quibuſdam egeſtatibus noſtris voluit, ſuamque pro lubito poteſtatem, ac liberrimam voluntatem manifeſtavit, dum uni Sancto liberaliſſime tribuit, quod alteri parcius, ac reſtrictius. At ipſa Auguſtini verba audiatis volo, a quibus

(f) Vide Orationem in Sanctum Phocam ſub finem.

(14) *Ab Epheſo* forte dicendum erat, nam Diana non Delphis, ſed Epheſi templum habuit celebratiſſimum. Vide Actus Apoſtol. cap. 19.

bus opportuniſſima, validiſſimaque ſolutio ad diluendas Proteſtantium argumentationes ſubminiſtratur. „ Ubique quidem (inquit ille) (*) Deus eſt, & nullo continetur, vel „ includitur loco, qui condidit omnia: & eum a veris adoratoribus in ſpiritu, & veritate oportet adorari, ut „ in occulto exaudiens, in occulto etiam juſtificet, & coronet. Verumtamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter „ nota ſunt, quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? „ Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui, ut pergerent, quia inde nobis facilius, fideliuſque ſcribi poteſt, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nam & nos novimus, Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter, & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum „ fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat, reddere. „ Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri. „ Sicut enim quod Apoſtolus dicit: *Non omnes* Sancti *habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum*: ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta „ fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique pro ut „ vult. Non abſimilia diſcimus ex eodem Auguſtino in libro *De cura pro mortuis gerenda* cap. 16. in Sermone in nova editione 322. olim 31. de diverſis, quæ brevius repetit lib. 22. de Civitate cap. 8. num. 22. Porro horum & affinium monitorum, quibus Patrum ſcripta referta ſunt, cauſam recenſet ipſe Auguſtinus, dum hæc ait: *Nemo diſputet; voluntas Dei fidem quærit, non quæſtionem*. (g) *Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente, per quos vult, & quemadmodum vult: qui & illa, quæ legimus, fecit* (h).

(*) in Epiſtola ad Clerum, & Seniores Eccleſiæ Hipponenſis, olim 137. in edit. PP. Benedictinorum 78. n. 30.

(g) in Serm. 5. de S. Stephano in ſerie 318. n. 1.

(h) in lib. 22. de Civit. cap. 8. n. 22.

VIII. Illud porro ineptum eſt, quod ex ſublatis ex eodem cultu per Sanctos Epiſcopos conſuetudinibus quibuſdam illaudabilibus repetunt. Non ea profecto cauſa ad condemnandum eum cultum inducere ſapientem poterit, quandoquidem novimus, nihil eſſe tam ſanctum, in quod fraus Dæmonis mala interdum non illabatur. Immo ex eo quod errores, & dolos auferre ſtuduerint Patres, cultum ipſum nunquam deleverint, jure meritoque Catholici eruunt, & laudabilem, & pium eumdem cultum fuiſſe agnitum a

ſanctiſſimis iis viris, qui ut eum expurgarent, omnem operam impenderunt. Si levis aut laus, aut utilitas, pietaſque in eo more ineſſet, delere potius, atque extirpare maluiſſent, quàm ſummo opere adniti, ut eum ſumma cum diligentia ſervarent, iis amotis, quæ labem aliquam illi inferre viſa erant. Id ſane in exordiis ipſis ſuis Eccleſia præſtitit: & notiſſima ſunt exempla, quæ præbent Martinus Turonicus, aliique, quos allegant Chriſtianus Lupus, (i) & reliqui, quos Vir & dignitate, & doctrina Eminentiſſimus Cardinalis Lambertinus recenſet. (k) Operæ vero pretium facies, ſi integros tomos omnes tanti viri leges: agnoſces quippe, eum, qui humanitate, ac comitate in ſummo honore præſtat, etiam eruditione, ac peritia præſtare: adeo vero induſtriæ, ac laboris, & litterarum amantem, ut dum patriæ ſibi commiſſæ utilitatem, ac bona diligentiſſime curat, totius Eccleſiæ commodo, atque emolumento inſerviat. Ad reliqua properemus.

(i) in animadverſionibus in 4. Concilium Romanum ſub Leone IX. celebratum.

(k) tom.1. *De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum Canonizatione* lib. 1. cap.2. n.14.

IX. Jam diximus, & ſi vis, hic repetimus, hominum ſive fraude, ſive imprudentia irrepſiſſe interdum in Sanctorum cultum errorem aliquem, aut crimen: ceterum cultum ipſum expertem criminis eſſe, & fraudis cujuſque: ideoque hic in vitium illud incidere adverſarios, quod tranſitum *a facto per accidens ad factum per ſe* logici appellare conſueverunt. Periculum vero nos evitare jubemur, quod in re ineſt. At dicant, ubinam invenerint, juberi nos, ut caveamus ab iis rebus omnibus, in quas irrepere forte poſſit vitium, aut error aliquis. Quid? num fraudes omnes, & errores ab Dei cultu ſæculis omnibus abfuere, aut nunc abſunt ab eo ipſo, quem eidem Deo Proteſtantes ſe deferre teſtantur? Nonne ii quoque conqueruntur, in ſuis Eccleſiis reperiri non paucos, qui ſuis & ingeniis, & ſtudiis confiſi conſuetudines, atque inſtituta majorum contemnere, atque abolere voluerunt, aut privatis emolumentis, & paucorum lucro Religionem deſervire?

X. Sed jam de ſemita in viam redeamus. Quamquam neceſſe non eſt, tradi a nobis ea, quæ de Mardochæo diſputant Sacrarum Scripturarum interpretes; tradam tamen, ne videar difficultates evitare, quas Proteſtantes adverſus nos urgent. Duas video hac in re præcipuas ſolutiones. Monet prima, diivnos honores exquiſitos fuiſſe ab Amano, & propterea Mardochæum recuſaſſe genu-

nuflectere Amano. Vult ſecunda, civilem tantum honorem exquiſitum ab Amano, ſed adeo eximium, & præſtantem, ut a conſuetudine Judæorum alieniſſimus is foret, ideoque Judæum dedeceret, quippe quia Judæi hujus modi cultum ferre tantum Deo jam pridem conſueverant.

His momentis innititur prima opinio. Temere timuiſſet Mardochæus, ne honorem Deo debitum (honorem Dei) *transferret ad hominem*, ſi civilem tantum modo cultum popoſciſſet Aman. Quis enim merito timeat, ne aliquem veluti Deum colat, qui eximium quidem honorem, divino tamen inferiorem illi adhibet? Divinum itaque cultum ſibi adhiberi volebat Aman. Neque vero inauditum eſt, divinos honores adhibitos fuiſſe arrogantibus quibuſdam, & ſuperbis hominibus. An non divinos honores aut ſibi oblatos acceptarunt, aut interdum etiam exquiſiverunt Principes? Id manifeſto tradunt Quintus Curtius (*l*), & Plutarcus, (*m*) neque leve hujuſce rei argumentum ſubminiſtrat Xenophon (*n*), & ex Sacris auctoribus liber Judith. (*o*) Oblati quoque fuiſſe videntur divini honores Tiberio Romanorum Imperatori vel eos recuſanti: Quippe qui, ut monet Svetonius (*p*), *Templa, Flamines, Sacerdotes decerni ſibi prohibuit: etiam ſtatuas, atque imagines, niſi permittente ſe, poni; permiſitque ea ſola conditione, ne inter ſimulacra Deorum, ſed inter ornamenta ædium ponerentur*. Quin etiam non Principes modo, verum alios etiam ſummis, forte etiam divinis honoribus auctos, non obſcure indicat idem Svetonius (*q*) hæc elocutus. *Sejanum res novas molientem, quamvis jam & natalem ejus publice celebrari, & imagines aureas coli paſſim videret*, (Tiberius) *vix tandem &c.* adeo ut mirum non ſit, quod vel recuſante divinos honores Aſſuero, ſuperbus Aman exceperit: nam recuſante divinos honores Tiberio, Sejanus obtinuiſſe viſus eſt: *imagines aureas coli paſſim videret &c.*

(*l*) lib. 6. cap. 11.
(*m*) in vita Themiſtoclis.
(*n*) lib. 8. de inſtitutione Cyri.
(*o*) cap. 3. v. 13.
(*p*) in Vita Tiberii cap. 26.
(*q*) in Tiberio cap. 65.

Altera opinio his probationibus fundata eſt. Ab Aſſuero, ut nuper diximus, divinos honores exquiſitos fuiſſe, aut illi delatos, omnino non conſtat, immo incredibile eſt, ab eo fuiſſe exquiſitos. Neque enim hujuſce rei ullum extat argumentum: extaret vero, ſi re ipſa exquiſiiſſet. Quis vero in animum ſibi induxerit, divinos honores exquiri a ſubdito, quum Princeps ipſe ſupremus illos recuſat? Quid quod ſi divinos honores exquiſiiſſet Aman,

non ſuſpicatus tantum fuiſſet, ſed manifeſto agnoviſſet Mardochæus, deferri illos Amano omnino non poſſe? Tamen Mardochæus palam fatetur, ſe tantum modo ſuſpicari, vererique, ne divinos honores deferret homini: *Timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo*. Non ergo divinos honores exquiſivit Aman, ſed tantum civiles, eos tamen, quos perraro deferrent Judæi homini, ſed fere Deo tantum. Prudenter vero cavit, ne eum honorem Amano deferret Mardochæus, quia ambiguum eſſe putabat, & quia is perinde Deo, atque homini deferri poſſet. (*) Sed quid hæc quæſo ad rem noſtram? Novimus quippe, & palam fatemur, ſacrum quidem honorem deferri Sanctis, ſed eum manifeſto longe abeſſe a divino.

(*) Vide D. Thomam 2. 2. quæſt. 84. art. 2.

Finis Diſſertationis IV.

AD

AD LECTOREM.

PUtaram ea ſatis eſſe, quibus te in Præfatione allocutus fueram, humaniſſime Lector: ſed rurſus ad te ſermonem convertere neceſſe habeo, & de paucis te monere. In producendis Scriptorum locis, eorum ætatem fere ſequor: ideoque interdum minus perſpicua in primis afferre cogor, rejectis in ſubſequentia capita clarioribus, & expreſſioribus. Ortographiam amplector multorum quidem judicio non improbandam, quam aliqua ex parte deſumpſi ex vetuſtiſſimo, & emendatiſſimo Lactantii codice, (1) quem in Bibliotheca noſtra ſervamus. Tamen ſi quis aliam, veluti eam, quam Cellarius propoſuit, præferendam velit, equidem non repugnabo: tantum expoſco, ne eam mihi vitio vertat, qua haud temere uſus ſum. Quis porro a Theologo de ſanctiſſimis Eccleſiæ dogmatis differenti expoſcat, ut in grammaticis hiſce concertationibus plurimam impendat operam, eorumque voluntati ſatisfaciat, qui a marmori-

(1) Is codex eſt, quem *Bononienſem Lactantii codicem* Germani, *S. Salvatoris Lactantium* Galli appellare conſueverunt. Vetuſtiſſimum fatentur omnes, adeo ut ante mille annos fuiſſe conſcriptum moneant ii, qui tomo III. Lugdunenſis Bibliothecæ Patrum Lactantium inſeruerunt; ſexto autem, aut ſeptimo Eccleſiæ ſæculo eum fuiſſe exaratum arbitratur Clariſs. Montfaucon, [*] qui de eodem codice hęc ſubdit: *Vellem ſane Lactantium ad hujus modi codicem emendatum.* In hoc porro codice legitur *cauſa*, & *Paulus*: de quibus quidem vocibus maxime dubitatur. Pauca affero exempla, quoniam multa producere non eſt neceſſe. Capite primo libri ſecundi hęc occurrunt. *Quanam iſtud ex cauſa fieri putemus?* Et rurſus capite tertio, & viceſimo libri ſexti. *Denique nulla eſt tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc cauſam etc.* Legitur autem *Paulus* capite vigeſimo primo libri quarti; *Quæ Petrus, & Paulus Ro-*

(*) pag. 400. Diarii Italici.

bus potius, quàm a codicibus ortographiam deſumendam arbitrantur? Librorum denique, quos aliquando per paginas, aut capita allego, eo conſilio ſeriem mox recenſebo, ut poſſit, ſi quis velit, per ſe ipſe adire, & conſulere. Vale.

IN-

Romæ prędicaverunt : & rurſus capite ſecundo libri V. *Præcipue tamen Paulum*, *Petrumque etc.* Vide etiam, quæ de vocibus *Paulus*, & *Paulinus* ſcripſit vir doctiſſimus Joannes Franciſcus Madriſius num. nono capitis primi vitæ S. Paulini Patriarchę Aquilejenſis (pag. XII).

INDEX AUCTORUM,

Qui in hac priori primi tomi parte interdum aut per paginas, aut per capita, aut per numeros cum reliquis editionibus non omnino convenientes allegantur.

Acta Martyrum Ruinart, Veronæ 1731.
Ambroſii Opera fere allegantur ex editione Patrum S. Mauri, Pariſiis anno 1686.
Aſterii ſermones edente Theophilo Raynaudo, Lugduni 1672.
Auguſtini Opera ubique allegantur ex editione Patrum S. Mauri.
Baſilii Opera edentibus Patribus S. Mauri, Pariſiis 1721.
Beleth (Joannes) *Rationale Divinorum Officiorum*. Venetiis 1561.
Bernardi Opera ex editione P. Johannis Mabillon. Venetiis 1726.
Caniſius (Petrus) *de Corruptelis Verbi Dei*. Tom. II. Pariſiis 1580.
Chryſologus (Petrus) edente Dominico Mita. Bononiæ 1643.
Chryſoſtomus (Joannes) plerumque citatur ex recenti editione Bernardi de Montfaucon. Pariſiis 1718. & ſequentibus. Interdum tamen vetuſtis editionibus utor.
Conciliorum Collectio Labbei, & Coſſartii. Venetiis 1726. & ſequentibus.
Cypriani Opera edente Baluzio. Venetiis 1728.
Cyrilli Jeroſolymitani Catecheſes interprete Antonio Auguſtino Touttée. Pariſiis
Epiphanii Opera, Petavio Interprete, Coloniæ 1682.
Euſebii demonſtratio. Coloniæ 1688.
Euſebii hiſtoria, cui adduntur Socratis, Sozomeni, Theodo-

doriti, & Evagrii hiſtoriæ cum fragmentis Philoſtorgii, & excerpta Theodori Lectoris, interprete Henrico Valeſio. Pariſiis 1677.

Euſebii Præparatio, interprete Franciſco Vigerio. Coloniæ 1688.

Euſebius in Pſalmos, edente D. Bernardo de Montfaucon. Pariſiis 1706.

Ferrarius (Bernardinus) de Sacris Concionibus. Veronæ 1731.

Gaudentii Sermones edente Paulo Galeardo Patavii 1720. & rurſus Brixiæ 1738.

Gregorii Magni Opera. Romæ 1588. quædam tamen loca contuli cum recenti editione Patrum S. Mauri. Pariſiis 1705.

Gregorii Turonici Opera. Pariſiis 1699.

Hieronymi Opera fere allegantur ex recenti editione Veronenſi; interdum tamen utor editione Mariani Victorii. Antuerpiæ 1579.

Hilarii Pictavienſis Opera edita a Patribus S. Mauri, & a Clariſs. Maffejo cum codice Veronenſi collata. Veronæ 1730.

Irenæi Opera. Venetiis 1734.

Juſtini Opera. Londini 1722. edente Styano Thirlbio.

In afferendis Leonis Magni libris interdum Queſnellii, interdum Theophili Raynaudi editione uſus ſum: Lugduni 1672.

Maximi Taurinatis ſermones fere proferuntur ex anecdotis Muratorii. Patavii 1709.

Natalis Alexandri Hiſtoria Eccleſiaſtica. Pariſiis 1699.

Origenis Opera Baſileæ 1557. Interdum utor accuratiſſima editione P. Caroli de la Rue. Pariſiis 1733.

Sanctorum Patrum Bibliotheca. Pariſiis anno 1644.

Paulini Nolani Opera. Veronæ 1736.

Petri Venerabilis Epiſtolæ. Pariſiis 1522.

Philaſtrii Opera, edente Paulo Galeardo Brixiæ 1738.

Prudentii Opera Tomo 8. Bibliothecæ Patrum. Pariſ. 1644.

Sanctorum Vitæ edente Surio Tom. VII. Coloniæ Agrippinæ 1576. & ſequentibus.

Sirmondi Opera Tomi V. Venetiis 1728.

Tillemont hiſtoria Eccleſiaſtica. Venetiis 1732.

VVallemburch Coloniæ Agrippinæ 1670.

S. Zenonis Veronenſis ſermones edentibus Fratribus Balleriniis. Veronæ 1739.

INDEX

Rerum præcipuarum, quæ quatuor hiſce diſſertationibus continentur.

Prior numerus Romanus Diſſertationem indicat; Arabicorum primus Diſſertationis Caput, alter paragraphum.

A

Acta S. Ignatii.

Acta S. Ignatii ad Sanctorum interceſſionem evincendam producimus, III. 12. 3. Acta etiam S. Polycarpi, ibidem n. 4. Martyrum Scillitanorum III. 13. 1. S. Maximi martyris, ibid. n. 7. S. Theodoti Ancyrani III. 14. 5.

Adoratio.

Adoratio: ejus etymologia, natura, ac diviſio, I. 2. toto capite. Æquivocam eſſe vocem *adoratio* plurimis, perſpicuiſque exemplis evincitur. ibidem. Ad adorationem proprie, & rigoroſe ſumptam teſtificandam, nulla certa habemus argumenta, niſi ſacrificium, IV. 23.

Agnellus Ravennas.

Agnellus Ravennas hiſtoricus allegatur, III. 12. 1.

Albinus Flaccus.

Albinus Flaccus Sanctos pro nobis intercedere docet, III. 18. 14.

Alexander III.

Alexander III. S. Thomæ Cantuarienſis interceſſionem agnoſcit, & prædicat, III. 18. 19.

Almericus.

Almericus Sanctorum cultum improbavit, II. 6. 15.

Ambroſius.

Ambroſii epiſtolam (ſi Ambroſii illa eſt) ad Sanctorum in-

interceſſionem comprobandam afferimus III. 12. 1. & 2. Indubitata, ad idem evincendum, Ambroſii loca producimus III. 15. 8. quæ quidem loca temere adverſarii infirmare nituntur. ibidem 10.

Angeli.

Ab Angelis curam noſtri agi, multaque beneficia ſuis precibus a Deo nobis impetrari putarunt Judæi. Id Scripturarum veteris teſtamenti, & Philonis Judæi auctoritate, ac teſtimoniis evincimus, III. 5. quæ quidem Scripturarum loca a perverſis Proteſtantium explicationibus vindicamus capite ſubſequenti, id eſt 6. Pro eadem perſuaſione ſtetiſſe Chriſtianos, repetitis iiſdem veteris teſtamenti, tum adductis novi teſtamenti, & Patrum locis evincimus, III. 7. Hæc porro teſtimonia ab adverſariorum objectionibus tuemur cap. ſubſequenti, id eſt 8. Angelos ab Hebræis ſacro cultu fuiſſe honoratos probamus IV. 1. 2. Hæc perſuaſio ab objectionibus vindicatur, IV. 2. Quod de Hebræis diximus, de Chriſtianis etiam vel vetuſtiſſimis haud temere dicimus, perſuaſi iis argumentis, quæ afferimus, IV. 3. & 4. Id porro nec Scripturæ, nec Patres improbant, IV. 8. & ſequentibus.

Cur Angelus, qui Joanni Apoſtolo apparuerat, ſe adorari non permiſerit, IV. 10.

Apocalypſis.

Apocalypſis locus (8. v. 3. & 4.) ad evincendam Angelorum interceſſionem affertur, III. 7. 2. Ab adverſariorum cavillis defenditur, Ibidem 8. 5.

Similis alius Apocalypſis locus (5. 8.) ad evincendam Sanctorum interceſſionem adducitur, III. 9. 7. Eum fruſtra perverſis explicationibus eludere ſtudent Proteſtantes. ibidem 11. 3.

Illuſtratur alius Apocalypſis locus, (verſ. 11. capitis ſexti) quo quidem oſtendi adverſarii putant, nullas preces pro nobis fundi a Sanctis in cælo degentibus, III. 27. 1. & 2.

Ariani.

Ariani nequiores, Eunomiani ſcilicet, adhibitum Sanctis cultum averſabantur: non item mitiores, II. 5. 1. & ſequent.

Arnobius.

Arnobii locus, quo tolli ajunt Angelis, & Sanctis cultum, expenditur, IV. 6. 12.

Aſterius.

Aſterius Sanctorum interceſſionem agnoſcit, III. 17. 3.

Athanaſius.

Athanaſio olim tributa opuſcula ad Sanctorum interceſſionem comprobandam proferimus, III. 14. 7.

Auguſtinus.

Auguſtinus adoratum fuiſſe tradit populum terræ ab Abrahamo, I. 3. 4. Eccleſiam minime errare poſſe docet, III. 2. 4. Sanctorum interceſſionem commendat, & populo prædicat, III. 17. 1. & rurſus 27. 2. & 3. Auguſtino quidem judice, *Sanctorum* communio certiores nos facit, nobis opem adhiberi a Sanctis vita functis, III. 20, 2. & 3. Idem Auguſtinus modos indicat, quo nos adjuvemur a Sanctis mortuis, III. 11. 1. Etiam cap. 27. 3. Rurſus cap. 38. 3. 6. Varios modos proponit, quo res noſtræ innoteſcere poſſunt Sanctis. Ibidem, & fuſius cap. 38. 3. 4. & 6. Cultum Sanctis adhibitum ab Ethnicorum calumniis vindicat, II. 1. 4. & rurſus IV. 20. 24. 6. Dudum conſueviſſe homines communia adhibere argumenta in honorandis Deo, & hominibus teſtatur, IV. 23. 1.

De Ayala.

De Ayala. Vide *Pereſius*.

B

Ballerinii fratres.

Ballerinii fratres laudati, III. 5. 4. (in additamentis) & rurſus 24. 1.

Baſilides.

Baſilides Mundum a Deo fuiſſe conditum negavit. In præfatione ad Auditor. Num Sanctis cultum ademerit, II. 2. 2. & rurſus cap. 3. 1.

Baſilius Cappadox.

Baſilius Cappadox Sanctos vita functos ſuis precibus opem nobis ferre haud obſcure indicat, III. 14. 9.

Baſilius Seleucienſis.

Baſilius Seleucienſis a Sanctis nos adjuvari fatetur, III. 17. 8.

Beatitudo.

Beatitudine cæleſti fruuntur quidem Sancti: at id minime neceſſe eſt, ut ſuis precibus, atque interceſſione nobis pa-

patrocinentur, III. 27. 3. Eadem porro beatitudo cum iiſdem precibus, atque interceſſione convenit, ibidem §. 4.

Beleth.

Beleth (Joannes) allegatus IV. 22. 7. & rurſus 23. 5.

Bellarminus.

Bellarminus (Robertus S. R. E. Cardinalis) allegatus II. 2. 6. Et rurſus III. 29. 1. 2. & 3.

Beneficia.

Beneficia nobis certo impetrant Sancti, non ea veluti auctores conferunt, III. 28. toto capite. Num cuncta a Chriſto petant, qui a Patre obtineat, num vero aliqua ſaltem a Patre ipſo immediate expoſcant, dubitatur a Theologis. Utriuſque partis argumenta exponimus, III. 29. Beneficia Sanctorum interventu a majoribus recepta poſteros moverunt, ut ad illos confugerent Sanctos, quorum interceſſione eadem beneficia Majores receperant, IV. 24. 6. & 7. Quædam beneficia quorumdam Sanctorum interventu facilius impetrantur, quàm impetrentur interventu aliorum Sanctorum, IV. 24. 7.

Bernardus.

Bernardus apertiſſime teſtatur ab Angelis curam noſtri agi, III. 9. 3. Idem quoque teſtatur ille de Sanctis cæleſti beatitudine potitis, III. 18. 17. & rurſus 27. 4. Edocet etiam alios præter Deum honorandos eſſe, & convenienti gloria afficiendos, IV. 6. 3.

Beza.

Beza judice, id Auguſtinus ſenſit, quod Africanæ Eccleſiæ: hæ vero idem ſenſerunt, atque Eccleſia Catholica, III. 22. 9.

Blanchinus.

Blanchinus (Joſeph) laudatus, III. 33. 3.

Bogomili.

Bogomili num delatum Sanctis cultum reprehenderint, II. 6. 8.

Bonaventura.

Bonaventura (Sanctus) allegatus, I. 1. 7.

Cai-

C

Caini.

CAini (ſeu ſi vis, Cajani) num Sanctos coli vetuerint, II. 2. 4. & rurſus cap. 3. 3.

Calchedonenſe Concilium.

Calchedonenſe Concilium S. Flaviani nuper mortui precibus ſe adjuvari profitetur, III. 18. 3.

Caniſius.

Caniſius (Petrus) allegatus II. 6. 20. IV. 15. 4. & alibi ſæpe.

Carlerus.

Carlerus (Ægidius) allegatus, II. 6. 19.

Caſſander.

Caſſander citatur, I. 4. 7. & rurſus II. 6. 20.

Caſſiodorus.

Caſſiodorus (ſeu ſi vis, Caſſiodorius) Sanctorum interceſſioni aperte favet, III. 18. 9. & rurſus IV. 24. 6.

De Caſtro.

De Caſtro (Alphonſus) allegatus, II. 2. 6.

Cathari.

Cathari num a Sanctorum cultu abhorruerint, II. 6. 11. & ſeq.

Cerinthus.

Cerinthus a Deo conditum fuiſſe Mundum negavit. In præfat. ad Audit.

Chryſologus.

Chryſologus (S. Petrus) Sanctorum interceſſioni apertiſſime favet, III. 17. 7.

Chriſtus.

Chriſti mediationi injurioſa non eſt Sanctorum interceſſio, III. 26. toto capite.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus (S. Joannes) Sanctorum interceſſionem edocet, III. 16. 6.

Claudius.

Claudius Taurinenſis Dominicam Crucem, & Sanctos coli vetuit, II. 6. 6. & 7.

Collyridiani.

Collyridiani cur in colenda Virgine Maria reprehenſi. IV. 14. 3.

Communio Sanctorum.

A communione Sanctorum, cujus in Apoſtolorum ſymbolo mentio fit, Sanctorum interceſſio comprobatur, III. 20. toto capite.

Cultus.

Cultus etymologia, definitio, & diviſio, I. 1. & 2.

Controverſiæ ſumma.

Summa controverſiæ, quæ circa cultum Sanctis adhibitum nos inter, & Proteſtantes agitur, I. 4.

Cultus.

Cultum Sanctis adhibitum qui reprehenderint II. tota diſſertatione. Cultum Angelis, & Sanctis delatum aſſeveramus, & vindicamus IV. tota diſſertatione. Is porro non relativus tantum modo eſt, id eſt ad Deum tantum directus, ſed abſolutus eſt etiam: fertur quippe ad Sanctos ipſos, IV. 18. Eum pium eſſe, Deoque acceptum oſtendimus, IV. 19. Quam quidem perſuaſionem ab objectionibus tuemur, cap. 20. 22. & ſubſeq.

Cyprianus.

Sanctus Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus apertiſſime docet, Sanctorum mortali vita functorum precibus nos adjuvari.

D

Deus.

DEo ſoli ut honorem deferamus, Scripturæ non jubent, IV. 6. toto capite.

Dilectio.

Quomodo intelligenda ſint ea veterum dicta, in quibus docemur in dilectione, & caritate quadam ſitum eſſe debere cultum Sanctis adhibendum, IV. 16.

Dulia.

Duliæ etymologia, & definitio, I. 1. 4. & ſequen. & rurſus toto capite 2.

E

Eccleſia.

Eccleſiam univerſam errare non poſſe, teſtimonio Matthæi 28. v. 18. 19. & 20. (*Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*) evincimus, III. 2. 2. Quod Sanctorum Patrum teſtimoniis confirmamus. Ibidem 3. 4. & 5.

Eccleſiaſtæ liber.

Libri Eccleſiaſtæ locus (9. 5.) ad adimendam Sanctis vita functis rerum noſtrarum notitiam allatus illuſtratur, III. 37. 2.

Ennodius.

Frequentibus Ennodii dictis Sanctorum interceſſio comprobatur, III. 18. 7.

Ephrem Syrus.

Ephrem Syrus Sanctorum vita functorum ſuffragia, preceſque fuſas tradit, III. 15. 5. 6. & 7.

Euſebius Cæſarienſis.

Euſebius Cæſarienſis ad Sanctorum interceſſionem comprobandam adducitur, III. 13. 6. Rurſus allegatur ad oſtendendum jam pridem a Chriſtianis cultos fuiſſe Angelos, IV. 3. 3.

Ethnici.

Ethnici adhibitam Sanctis venerationem reprehenderunt, II. 1. 1. 2. & ſeq.

Eunapius.

Eunapius honorem, quem Chriſtiani Martyribus deferre conſueverant, acerrime condemnat in vita Edeſii, II. 1. 3.

Eunomius.

Eunomius miracula ad Sanctorum Memorias facta, illiſque adhibitam venerationem irridebat, II. 5. 1.

Evodius.

Evodius (ſi ita appellare eum vis) eadem miracula ad indicandam Sanctorum præſtantiam, atque excellentiam peracta fuiſſe affirmat, IV. 20. 6. In Dei voluntatem refert cultum adhibitum Sanctis, IV. 19. 6.

Euſtatius.

Euſtatius, ſeu Euſtathius in Grangrenſi Synodo damnatus

quiſnam ſit, & num Sanctos coli vetuerit, II. 2. 6. & rurſus toto quarto capite.

F

Facciolatus.

FAcciolatus (Jacobus) allegatus, I. 3. 2. & rurſus IV. 22. 7.

Ferrarius.

Ferrarius (Bernardinus) allegatus, III. 24. 1. & rurſus III. 25. 1.

Fructuoſus.

S. Fructuoſi dictum ab Auguſtino relatum minime obeſt Sanctorum interceſſioni ad ſingulares perſonas deſcendenti, III. 41. 3. 4. & 5.

G

Galeardus.

GAleardus (Paulus, Brixienſis Canonicus) laudatus, III. 16. 5. & rurſus 25. 2. & alibi ſæpe.

Gaudentius.

S. Gaudentius Sanctos vita functos curam noſtri gerere tradit. III. 16. 5.

Gelaſius I.

Gelaſius I. Romanus Pontifex multis in locis Sanctorum interceſſioni favet, III. 18. 4.

Germanus Pariſienſis; Germanus item Conſtantinopolitanus.

Germanus Pariſienſis eidem interceſſioni ſuffragatur, III. 18. 8. Idem de Germano Conſtantinopolitano dicendum eſt, III. 18. 12.

Gnoſtici.

Gnoſtici num Sanctis cultum ademerint, II. 2. 3. & rurſus cap. 3. 2.

Gregorius Magnus.

Gregorius Magnus nobis Sanctos ſuis precibus patrocinari agnoſcit, III. 18. 10.

Gregorius Nazianzenus.

Gregorius Nazianzenus Sanctos pro nobis in cælis orare, nobiſque opitulari affirmat, III. 15. 1. cujus quidem S. Doctoris locum ab adverſariorum objectionibus tuemur. Ibidem §. 2.

Gre-

Gregorius Niſſenus.

Gregorius Niſſenus Sanctorum interceſſioni ſuo ſuffragio favet, III. 15. 3. perperam obſiſtentibus adverſariis. Ibidem §. 4.

Gregorius Turonicus.

Gregorius Turonicus allegatus, II. 5. 3. & alibi ſæpiſſime.

Grotius.

Grotius (Hugo) allegatus, III. 3. 1. Etiam IV. 22. 8. Iterum cap. 23. 3. & alibi ſæpe.

H

Hebræi.

Hebræi. Vide Judæi.

Heliſæus.

Heliſæi cadaver cur mortuum excitaverit, IV. 20. 3.

Hieronymus.

Hieronymus Sanctorum patrocinio defendi nos, juvarique teſtatur, III. 16. 1. 2. & 3. Illius teſtimonia ſe eludere poſſe perperam confidunt adverſarii: ibidem §. 4. Hæreticos acerbioribus dictis vexandos cenſet: ibidem. Celerrimum fuiſſe in exarandis libris: ibidem. Hieronymi locus objectus (ex epiſtola olim tertia, nunc 60.) ad adimendam Sanctis vita functis rerum noſtrarum ſcientiam diſſolvitur, III. 37. 5.

Hilarius.

Hilarius ab Angelis noſtras preces Deo offerri, ſuoque interventu efficaciores reddi tradit, III. 5. 4. (in additionibus). Ab iiſdem Angelis, & Sanctis vita functis adjuvari nos edocet. III. 14. 8.

Honor.

Honor, quem Deus ſibi tribui præcipit, minime vetat nos, ne Creaturis convenientem honorem tribuamus. IV. 6. 2. & ſequen.

Hus.

Hus (Joannes) num Sanctorum cultum improbaverit, II. 6. 17. & 18.

Hyperdulia.

Hyperdulia, I. 1. 6. & rurſus 2. 1. & 3.

I

Iconoclaſtæ.

INter Iconoclaſtas nonnulli quidem reliquis nequiores delatum Sanctis cultum reprehenderunt; mitiores alii eundem cultum approbaverunt, I. 6. 2. & ſubſeq.

Jeremias.

Jeremiæ locus, 15. 1. (*Et dixit Dominus ad me. Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*) illuſtratus, III. 3. 2.

Jeremiæ, ejuſque cadaveri ſummi quidem, ſed non divini honores ab Ægyptiis, & Hebræis delati ſunt, IV. 24. 2. & ſequen.

Idelfonſus Toletanus.

Idelphonſus Toletanus, aliique Patres illius æquales, aut eo nonnihil poſteriores ad Sanctorum interceſſionem comprobandam citati, III. 18. 11.

Imitatio.

Quomodo intelligenda ſunt ea Patrum dicta, quibus docemur, in imitatione Sanctorum collocandum eſſe honorem, qui illis adhibeatur, IV. 15.

Interceſſio.

Interceſſio Sanctorum teſtimoniis veterum combrobata, & ab adverſariorum objectionibus vindicata III. tota diſſertatione. Intercedere pro nobis, noſtrarumque rerum curam agere Angelos, & Sanctos mortali vita functos agnoverunt Hebræi, III. 3. toto capite. Eorundem porro Angelorum, & Sanctorum interceſſio non modo ad Eccleſiam univerſam, & generatim acceptam extenditur, verum etiam ad ſingulares cœtus, perſonaſque deſcendit, III. 34. toto capite. Objectiones, quibus noſtra perſuaſio impetitur, repulſas vide cap. 35. & ſubſequentibus.

Job Libri.

Libri Job locus (33. 23. & 24.) ad Angelorum interceſſionem aſſeverandam allegatur, III. 5. 5. A perverſis adverſariorum ſolutionibus vindicatur. ibidem 6. 6. Alter ejuſdem libri locus (14. 21.) ad adimendam Sanctis vita functis rerum noſtrarum notitiam allegatus explicatur, III. 37. 1.

Jo-

Joſue.

Joſue Angelum, qui illi apparuerat, coluit, IV. 1. 2. Quæ quidem perſuaſio ab objectionibus vindicatur. Ibidem 2. 2. 3. & 4.

Jovinianus.

Joviniani errores, II. 5. 5. Idem Jovinianus Sanctos coli non vetuit. Ibidem.

Iſaias.

Iſaiæ locus, (63. 16.) quo quidem adimi Sanctis vita functis rerum noſtrarum notitiam ajunt, illuſtratur III. 37. 3.

Irenæus.

Irenæi locum ad Sanctorum interceſſionem evincendam aſſerimus III. 12. 5. Eum porro ab adverſariorum cavillis vindicamus. Ibidem §. 7. & ſequentibus.

Judæi.

Judæi eam, quam Chriſtiani Sanctis adhibent, venerationem reprehendunt, II. 1. 6. Ab Angelis, Sanctiſque mortuis curam viventium geri, noſque ab eorum precibus, & interventu apud Deum adjuvari putavere, III. toto tertio capite. A Judæis Angelos fuiſſe cultos oſtenditur, IV. 12. Quæ quidem perſuaſio ab objectionibus vindicatur, IV. 12.

Juſtinus.

S. Juſtini locus, quo comprobetur a Chriſtianis cultos fuiſſe Angelos, affertur, IV. 3. 2. Expenditur, & illuſtratur, IV. 4. 3. & ſubſeq.

L

Lambertinus.

LAmbertinus (Proſper S. R. E. Cardinalis, & Bononiæ Archiepiſcopus) laudatus in Præfatione ad Lectorem, & rurſus, IV. 24. 8.

Laodicena Synodus.

Laodicenæ Synodi Canon quintus & trigeſimus (*Non oportet Chriſtianos relicta Dei Eccleſia abire, & Angelos nominare*, id eſt colere) illuſtratur, explicaturque, IV. 10. 1. & ſequen.

Latria.

Latriæ etymologia, & definitio, I. 2. 2. & 3. & rurſus cap. 3.

Leo

Leo Magnus Sanctos precibus ſuis nobis opitulari docet, III. 18. 1.

M

Macedoniani.

Macedoniani adhibitum Sanctis cultum minime averſati ſunt, II. 5. 3. & 4.

Machabæorum Libri.

Teſtimonium deſumptum ex libro II. Machabæorum (15. verſ. 12. 13. & 14. *Erat autem hujuſcemodi viſus: Oniam, qui fuerat Summus Sacerdos . . . orare pro omni populo Judæorum. Poſt hoc apparuiſſe & alium virum ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: reſpondentem vero Oniam dixiſſe: hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo &c.*) expenditur. III. 3. 2. & rurſus cap. 4.

Madriſius.

Madriſius (Joannes Franciſcus) allegatus in poſtremo monito ad Lectorem.

Maffejus.

Maffejus (Marchio Scipio) laudatus, III. 18. 9.

Manichæi.

Manichæi num Sanctos coli vetuerint, II. 2. 5. & rurſus 3. 4.

Maometani.

Maometani venerationem Sanctis delatam oderunt, II. 2. 5.

Mardochæus.

Mardochæus cur Amanum humillima corporis demiſſione honorare noluerit, IV. 24. 10.

Maximus Madaurenſis.

Maximus Madaurenſis Chriſtianis Sanctorum cultum veluti idololatriam objecit, II. 1. 4.

Maximus Taurinenſis.

Maximus Taurinenſis Sanctorum interceſſioni aperte favet. III. 17. 5.

Mediator.

Mediator, quatenus vox hæc ſignificat complexionem horum quatuor munerum, nuncii, & interpretis partis utriuſque, aut certe unius ad alteram; arbi-

tri electi ad componenda diſſidia, interceſſoris, ſeu advocati, demum ſponſoris, qui parti læſæ ſatisfaciat, ſolus utique Chriſtus dicendus eſt, III. 26. 3. At quatenus internuncium ſignificat, & advocatum, Sancti quoque *mediatores* appellari merito poſſunt, ibidem §. 4. Objectionem deſumptam ex quibuſdam Auguſtini verbis afferimus, diſſolvimuſque; multaque afferimus ex Scriptura, & Patribus fere deſumpta, quæ ad rem hanc illuſtrandam plurimum inſerviunt, ibidem §. 5. 6. & ſequen.

Menander.

Menander Creationem Deo ademit. In præfat. ad Auditores.

Miracula.

Miracula interdum facta, ut Sanctorum excellentia proderetur, IV. 20. 2. & ſequen.

Monachi Benedictini S. Mauri.

Monachorum Benedictinorum S. Mauri editionibus utimur in allegandis Ambroſio, Auguſtino, aliiſque Patribus, quos nuper recenſuimus.

Montfaucon.

Montfaucon (Bernardus) allegatus, III. 24. 1. adnot. 15.

Moyſes.

Vocabulis Moyſis, & Samuelis, quorum meminit Jeremias (cap. 15.) verus Moyſes, & verus Samuel intelligendi ſunt, III. 4. 3.

Muratorius.

Muratorius laudatus, III. 17. 5. Rurſus cap. 27. 3. & alibi etiam.

N

Notarii.

NOtarii veteres in ſcribendo celerrimi, III. 25. 2.

Novatiani.

Novatianis num adhibitus Sanctis cultus diſplicuerit, II. 6. 1.

O

Onias.

ONiam, & Jeremiam pro Judæorum populo oraſſe ex ſecundo Machabæorum libro (cap. 15. v. 12. & ſeq.) evincimus, III. 3. Quem quidem Machabæorum locum ad Sanctorum vita functorum interceſſionem comprobandam aptiſſimum eſſe dicimus. Ibidem, & cap. ſubſequen. §. 4.

Orationes.

Orationes concioneſque veterum Epiſcoporum ad populum, non omnes extemporales fuere, III. 24. toto capite. Eæ tamen ipſæ, quæ extemporales fuere, non levi habendæ ſunt in pretio, quòd ex tempore habitæ fuerint, III. 25. toto capite.

Origenes.

Origenes ad Angelorum interceſſionem comprobandam adducitur, III. 7. 4. Ad eam oppugnandam ab adverſariis adductus vindicatur, illuſtraturque, III. 11. 1. Adducitur quoque ad Sanctorum interceſſionem comprobandam, III. 13. 2. Ab objectis vindicatur, & illuſtratur, ibidem num. 4. & ſubſequen. Origenis loca alia ab adverſariis adducta ad improbandum cultum adhibitum Angelis, explicantur, IV. 9. 5. & 6.

P

Patres.

PAtres tam & ſi tribus primis Eccleſiæ ſæculis poſteriores, aptiſſimi tamen ſunt ad noſtros ritus, & dogmata comprobanda. III. 21. & 22. Nonnulli adverſus Sanctorum interceſſionem objiciuntur, III. 23. quorum quidem dicta explicantur ibidem & cap. 41.

Paulus.

Pauli Apoſtoli locus ad Coloſſ. 2. verſ. 18. (*Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum*) explicatur, IV. 8. 2. & ſequen. Cur Paulus, & Barnabas cultum ſibi a Liſtrenſibus oblatum recuſarint, IV. 13. 2.

Paulinus.

Paulinus Nolanus Sanctos vita functos nobis patrocinari manifeſto, & ſæpiſſime inculcat, III. 17. 1.

Pan-

Pauliciani.

Pauliciani num delatum Sanctis cultum reprehenderint, II. 6. 1.

Pereſius.

Pereſius (Martinus de Ajala) allegatus, I. 2. 1. & rurſus, IV. 23. 2.

Petrus Apoſtolus.

Apoſtoli Petri locus (Epiſtol. 2. cap. 1. v. 15. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis*) haud dubie evincit, Sanctos vita functos noſtri curam agere, III. 9. 5. & 6. Cur Petrus honorem ſibi a Centurione adhibitum recuſaverit, IV. 13.

Petrus.

Petrus (Venerabilis) allegatus I. 3. 5. & rurſus, IV. 6. 3.

Petrus Cellenſis.

A Petro Abbate Cellenſi Sanctos intercedere edocemur, III. 18. 18.

Polycarpus.

Sancti Polycarpi Acta ad condemnandum Sanctis delatum cultum afferuntur, IV. 12. 1. Iis conveniens explicatio adhibetur. Ibidem 14. 1.

Potamiæna.

Potamiæna martyrio functa Baſilidi martyrii coronam ſuis precibus impetrat, III. 13. 6.

Preces.

Preces a viventibus fuſæ, aliiſque proficuæ Sanctos vita functos multa pro nobis poſcere, obtinereque evincunt, III. 19. toto capite. Pro Sanctis vita functis quaſi noſtrarum precum indigis non orat Eccleſia, III. 32. 7. Illuſtrantur ea loca, quibus videtur Eccleſia pro iiſdem Sanctis orare. Ibidem, & §. etiam 6.

Prudentius.

Ex Prudentio intelligimus, matrem pueri illius, qui cum Romano martyrium eſt paſſus, putaſſe ſe ejuſdem pueri, proxime poſt pro Chriſto mortem ſubituri, precibus juvandam eſſe, III. 14. 6. Idem Prudentius Sanctorum interceſſionem alibi etiam deſcribit, III. 17. 4.

R

Regum libri.

LOcus deſumptus ex libro 4. Reg. (22. 20. *Idcirco colligam te ad Patres tuos* . . . . *ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum*) ad adimendam Sanctis vita functis mundanarum rerum ſcientiam allatus explicatur, III. 37. 4.

Religioſus.

Religioſus appellari rectiſſime poteſt cultus ille, qui Sanctis deferri conſuevit a Pontificiis, IV. 22.

S

Sacrificium.

SAcrificio excepto, reliqua extrinſeci honoris argumenta communia eſſe poſſunt Deo, & Hominibus, IV. 23.

Sancti.

Sancti res noſtras norunt III. 36. & ſubſequentibus. Illuſtrantur ea Patrum, & Scripturarum loca, quæ adverſus hanc perſuaſionem afferri conſueverunt, ibidem 37. toto capite. Explicantur probabiles modi, quibus eaſdem res noſſe poſſunt, ibidem 38. toto capite. Sed etiamſi eas neſcirent, juvare nos ſuis precibus adhuc poſſent, III. 27. 3. & rurſus, 38. 6. Sancti ut efficacius certiuſque a Deo obtineant ea, quæ nobis poſcunt, beneficia, aliorum Sanctorum interdum ſuffragium expoſcunt. Id ipſum etiam Angeli faciunt, III. 30. toto capite. Sanctorum cultus a quibus oppugnatus, II. tota diſſertatione. Defenſus, comprobatuſque IV. tota diſſertatione. Peculiares probationes ad id afferimus, IV. toto ſecundo capite. Hujuſce moris antiquitas adductis veterum teſtimoniis comprobatur, IV. 11. Ab objectionibus vindicatur capite 13. & ſubſequen. Sanctorum interceſſio comprobata III. tota diſſertatione. Servi, conſervique noſtri tam & ſi ſint Sancti, (qui tamen etiam *Domini* a veteribus ſunt appellati) adhuc merito coluntur, IV. 17. Solliciti pro nobis ſunt Sancti in cælis degentes, III. 27. 4.

Saturninus.

Saturninus hæreticus a Deo conditum Mundum negat. In præfat. ad Audit.

Si.

Particula *Si* non ſemper dubitationem exprimit III. 37. 7.

Simon Magus.

Simon Magus Deo adimit Creationem. Præf. ad Audit.

Sollius Apollinaris.

Sollius Apollinaris Sanctorum interceſſionem approbat, III. 18. 6.

Somnus.

In ſomnis ſæpe apparuit Deus, & cur apparuerit, III. 4. 4.

T

Temporalia beneficia.

Temporalia beneficia ſæpe nobis impetrantur a Sanctis. Rationes etiam afferuntur cur impetrantur, III. 42. toto capite.

Theophanes Cerameus.

Theophanes Cerameus allegatus, III. 26. 4.

Thomaſius.

Thomaſius (Cardinalis) laudatus III. 18. 4.

Thomaſinus.

Thomaſinus citatus, IV. 23. 2.

Tillemontius.

Tillemontius allegatur II. 4. 5. rurſus II. 5. 2. Etiam III. 11. 1. & alibi ſæpe.

V

Valerianus.

S. Valerianus Sanctorum interceſſionem edocet III. 18. 2.

Vaſquez.

Vaſquez allegatus, IV. 23. 2.

Veneratio.

Venerationis etymologia, atque uſus, I. 2. 26. Enumerantur hoſtes venerationis Sanctis adhibitæ II. 1. & ſeq.

Verratus.

Verratus (Joannes Maria) allegatus, II. 2. 9. & rurſus 5. 5.

Victor Vitenſis.

Victor Vitenſis ad Sanctorum interceſſionem comprobandam allegatus. III. 18. 5.

Vigilantius.

Vigilantii errores II. 5. 5. Procul dubio delatum Sanctis cultum inſectatus eſt. Ibidem §. 6.

VValdenſes.

VValdenſes Sanctorum cultum execratos fuiſſe liquet ex diſſ. II. 6. 14.

VValemburch.

VValemburch (Fratres) allegati I. 4. & alibi ſæpe.

VViclephus.

Num VViclephus Sanctorum cultum improbavit. II. 6. 16. &c.

Z

S. Zeno.

S. ZEno (Veronenſis Epiſcopus) Angelos ſuis precibus nos adjuvare docet, idque inſinuari indicat in libro Tobiæ. III. cap. 5. §. 4. (in additamentis.) Ad ejuſdem S. Zenonis meritum ſignificandum miraculum peractum deſcribit S. Gregorius Magnus IV. 20. 7.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

LECTORI TYPOGRAPHUS.

Nonnullos errores caſu illapſos, eorumque emendationem, & quædam Patrum loca in edendis quatuor hiſce Diſſertationibus forte omiſſa, hic adnecto. Tu labore meo utere, humaniſsime Lector, meamque diligentiam acceptam habe.

Diſſer. I. in titulo capitis I. *tunc celebratiſſima:* lege *tum*.

Diſſert. III. Cap. 4. n. 3. uti explicarunt adverſarii Iſaiæ teſtimonium; lege *Jeremiæ teſtimonium*: illud ſcilicet, quod ex verſiculo primo capitis xv. allegatum eſt.

Eadem Diſſert. III. Cap. 5. n. 4. poſt verba illa *in locum hunc &c.* hæc lege: quorum quidem valde probabilem perſuaſionem jam pridem præivit Hilarius Pictavienſis, (*a*) & ex eo Zeno Veronenſis, (*b*) dum n. 7. interpretationis in Pſalm. 129. hæc ſcribunt. „ Sunt ſecundum „ Raphael ad Tobiam loquentem Angeli aſſiſtentes ante „ claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Dominum offerentes. Hoc ideo commemoratum ſit, ut „ ſi forte hos eſſe oculos, vel aures, vel manus, vel „ pedes Dei intelligere voluerimus, habeamus Job non „ improbabilis intelligentiæ auctoritatem, maxime cum „ ſcriptum ſit: *Sunt enim efficientes ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditabunt ſalutem*. Interceſſione itaque horum non natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra. Miſſi enim ſunt propter eos, qui hæreditabunt ſalutem: Deo nihil ex his, quæ agimus, ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum, & promerendum ſpiritalis interceſſionis miniſterio indigente.

(*a*) col. 494.

(*b*) Vide §. 2. capitis primi & rurſus §. 6. cap. 2. diſſert. primæ a Clariſs. Fratribus Balleriniis præpoſitæ ſermonibus S. Zenonis. Vide etiam pag. 324.

Et Cap. 8. n. 5. poſt illa verba: *conventicula Chriſtianorum*: hæc adde. Hic, ſi vis, repete verba Hilarii, & Zenonis, quæ capite quinto produximus, ideoque hic ea rurſus deſcribere non eſt neceſſe.

Capite porro 13. ejuſdem Diſſertationis n. 6. verbis illis *remunerata ſit*, hæc adjunge. Et ſane putaſſe eundem Euſebium curam noſtri agi a Sanctis, ac beneficia per ipſos a Deo impetrari ex eo conjicio, quod manifeſto edocuerit ad Sanctorum mortuorum merita Deum reſpicere, ut noſtri miſereatur. Quid expreſſius vis verbis illis, quæ occurrunt in commentariis in Pſalm. 78. ad v. 11. & 12. tom. 1. pag. 487.? En illa: „ Nos ſiquidem non di-

„ digni habiti ſumus, qui ad finem uſque certaremus, ac
„ pro Deo ſanguinem funderemus; ſed quia filii ſumus
„ eorum, qui hæc ſunt perpeſſi, virtute patrum noſtrorum
„ ornati, precamur ut illorum gratia miſericordiam
„ conſequamur. Quare dicimus: *Patrocinare filiis occiſo-*
„ *rum. Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum; impro-*
„ *perium ipſorum, quod exprobraverunt tibi, Domine. Nos*
„ *autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ confitebimur tibi in*
„ *ſæculum. In generationem, & generationem annuntiabi-*
„ *mus laudem tuam.* Nobis patrocinare, etſi non no-
„ ſtri cauſa, ſed propter patres noſtros.

In Capite 14. ejuſdem Diſſertationis poſt verba numero quarto poſita hæc colloca.

V. Quod in Occidente Cyprianus, iiſdem fere temporibus in Oriente edocuit Alexander Jeroſolymorum Antiſtes, hæc de Narciſſo, cujus, dum viveret in Epiſcopatu, adjutor fuerat, elocutus. „ Salutat vos Narciſſus, qui ante me hic (Jeroſolymis) tenuit Epiſcopalem locum, & nunc mecum eundem Orationibus regit, & vos mecum precatur, ut unum, idemque ſapiatis (c).

(c) Hieronymus de Viris Illuſtribus cap. 62.

Ad numerum 12. Capitis 26. ſic lege adnotationem in margine poſitam. In commentariis in Canticum Canticorum ad verba illa capitis v. verſ 8. *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per vires poteſtateſque agri (d)*.

(d) pag. 203. tom. 1. Bibliothecę Patrum.

In tit. cap. 27. *Sanctorum interceſſio ex eo propterea oppugnant &c.* ſic lege. Sanctorum interceſſionem ex eo oppugnant.

Capite 32. n. 3. verbis illis *ad interceſſionem requiritur meritum* hæc adjunge, ſi tu vis; nam certe meritum non exquirit D. Thomas hæc elocutus: (e) *Meritum innititur juſtitiæ, ſed impetratio innititur gratiæ.*

(e) 2. 2. quæſt. 83. art. 16. ad 2.

Diſſert. IV. Cap.4. n. 2. *Crabii ſcilicet, & Lang'*: lege Langj.

In titulo ipſo Capitis VIII. *verſ.* 18. *Coloſſ.* lege verſicul. 18. capitis ſecundi epiſtolæ ad Coloſſ.

Cap. 23 num. 2. *Tres tantum proferam, ſed præclariſſimos, Vaſqueſium, Thomaſinum, & Pereſium Ajalam, quos omnes tempore, & dignitate præivit S. Tomas.* Lege hoc modo. Nonnullos proferam, ſed præclariſſimos, Leſſium, Vaſqueſium, Thomaſinum, & Pereſium Ajalam, quos omnes tempore, & dignitate præivit S. Thomas. Hæc proponit Leſſius: (f) *Nam genuflexio, & totius corporis in terram proſtratio (quæ ſummæ videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi ſolent; ut ex Scripturis (g) patet. Itaque a ſola intentione pendet, quod per hæc, iſta, vel illa honoris ſpecies deferatur.* En quæ Vaſquez edoceat &c.

(f) De Juſt. & Jure lib. 2. cap. 38. de ſacrif. & adorat. dub. 1. n. 5.

(g) Gen. 43. & 50. III Reg. 1. IV. Reg. 4. Act. 10.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. C. 24.